ALIA OPERA EIUSDEM AUCTORIS

1. **Storia del B. Gregorio X.** — Piacenza, tip. Solari, 1876.
2. **Che cosa è il Sinodo diocesano.** — Piacenza, tip. Bèrtola, 1879.
3. **Quaestiones Liturgicae**, circa Rubricas a Leone XIII reformatas. — Mutinae, typ. Imm. Concept. 1887.
4. **Dissertatio.** In paritate ritus festa primaria Sanctorum praecedentiam obtinent supra festa Domini et B. Mariae secundaria. — Romae, typ. Liturg. Editr. Romana, 1888.
5. **Manuale pro Visitatoribus ecclesiarum.** In « Ephemer. liturg., 1888-1892.
6. **De cultu S. Ioseph.** Consectaria liturgica ex Encyclica *Quamquam pluries* 15 aug. 1889. — Romae, typ. Cuggiani, 1889.
7. **Corpi santi e reliquie insigni della città e diocesi di Piacenza.** Storia critica documentata. — In « Synodo Plac. », 1893.
8. **Sulle Esposizioni del SS. Sacramento.** Considerazioni e proposte al Congresso Eucaristico di Orvieto. — Fiorenzuola d'Arda, tip. Pennaroli, 1895; 2ª edizione. Roma, tip. Kleinbub, 1896.
9. **Expositio novissima Rubricarum Brev. Rom.** Vol. I. — Romae, typ. Cuggiani, 1898. Vol. II — Romae, typ. Artero, 1909.
10. **Il Rito della consacrazione di un vescovo,** con illustrazioni e note, e col testo latino-italiano. — Piacenza, tip. Tedeschi, 1899 e 1900.
11. **Studio sulle vicende della indipendenza della chiesa Piacentina da qualunque metropolitano.** — Piacenza, tip. Tedeschi, 1900.
12. **S. Sabino vescovo di Piacenza, revisore degli scritti di S. Ambrogio. Presidio diacono Piacentino, arbitro nelle dispute tra S. Agostino e S. Girolamo.** — Piacenza, tip. Tedeschi, 1900.
13. **Un curioso documento della giovinezza di Pietro Giordani.** — Piacenza, stabil. tip. piacentino, 1901.
14. **Dissertatio canonico-liturgica, de iure benedicendi fontem baptismalem.** — Romae, typ. Tata Giovanni, 1902.
15. **De Rubricarum obligatione.** — Romae, typ. Tata Giovanni, 1902.
16. **La vacanza della S Sede. - Il Conclave. - L'elezione del nuovo Papa.** — Roma, libr. Pustet, 1903.
17. **De Itinerario Antonini Placentini.** — Romae, Desclée et Soc., 1903.
18. **Parma sede vescovile nel secolo IV.** — In « Archivio Storico » per le prov. parmensi. — Parma, Battei, 1903.
19. **Una pagina rifatta nella storia del cardinale Iacopo Pecorara.** — Parma presso la R. Deputazione di storia patria, 1905.
20. **Commentarium in "Motu Proprio" S. D. N. Pii P. X de Protonotariis.** — In « Ephemer. liturg. », 1905-906.
21. **Commentarium** in constitutione Gregorii XIII, 30 dec. 1573. — Romae, typ. Prop. Fid., 1907.

PRAELECTIONES

DE

SACRA LITURGIA

PRAELECTIONES

DE

SACRA LITURGIA

QUAS

Doct. PETRUS PIACENZA

BASILICAE CATHEDRALIS PLACENTINAE CANONICUS ARCHIPRESBYTER
PROTON. APOST. DE NUMERO PARTICIPANTIUM
ACADEM. LITURG. ROM. CENSOR

IN PONTIFICIO SEMINARIO ROMANO
HABUIT

DE OFFICIO DIVINO



ROMAE
TYPIS FORZANI ET SOC.
1909

49251

IMPRIMATUR

Fr. Albertus Lepidi O. P., S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Iosephus Ceppetelli, Patriarcha Constantinop., Vicesgerens

QUAS

IUSSORE ET AUSPICE

VIRO EMINENTISSIMO

PETRO CARD. RESPIGHI

URBIS VICARIO

DE LITURGICIS DISCIPLINIS

IN PONTIFICIO SEMINARIO ROMANO

ANNIS MCMVII–IX

TRADIDIT PRAELECTIONES

EIDEM PATRI AC PRAESIDI DIGNISSIMO

DICANDAS AUCTOR COLLEGIT

PRAEFATIO

Ultimis hisce temporibus in lucem prodierunt quamplurima opera ad clericos imbuendos in sacra Liturgia, quae inter non desunt quidem praestantiora, inquisitionibus inspectis seu archaeologicis seu historicis seu cultus evolutionem spectantibus; in eis tamen vix leges liturgicas normasque actu perficiendas attingunt auctores, alioquin praeclari, quasi diceres, sermonem de rubricis facere idem esse atque sibi aliquid dedecoris afferre.

Alii, ex opposito, ad minutas quaestiones descendentes, regulas in praxi tenendas summa diligentia proponunt, quin tamen illarum tangant originem, rationem et evolutionem pro temporis progressu.

Nos vero, statim ac ab E.mo Viro Petro Respighi Cardinali Urbis Vicario vocati, munus suscepimus in scholis Pontificii Seminarii Romani lectiones tradendi de sacra Liturgia, mediam semitam sequendam esse duximus; ut nec ea omissa forent particularia, quae Liturgiae praxim spectant, nec, quae iisdem dederunt originem, neglecta essent.

Praelectiones ergo nostrae eae ipsae sunt, quas manibus discipulorum commisimus; in eis porro pro viribus conati sumus, ut clerici alumni PRINCIPIA noscerent, quibus innituntur liturgicae leges, ORIGINEM et EVOLUTIONEM ipsarum non ignorarent, sed praecipue, clare

tamen et absolute, quae omnia ad PRAXIM LITURGICAM pertinent, prae oculis haberent, ne recentissimis quidem omissis praescriptionibus a S. Sede nuper promulgatis.

Ut finem nobis propositum assequeremur, opera illustrium virorum, qui Liturgiam praestantissimis voluminibus illustrarunt, uti cardinales Bona et Thomasius, Martène, Grancolas, Zaccaria, et ex recentioribus Duchesne, Bäumer et Batiffol, evolvimus; maxime vero Gavantus, Guyetus, Meratus et Cavalerius, in enucleandis Rubricis magistri celeberrimi, duces ac praemonstratores nostri fuere, neque non minores alii recentiores De Herdt et A Carpo. Nihilominus, ut de se scribit Meratus (in praefatione ad Gavantum commentatum), « doctos huiusmodi magistros non secuti sumus clausis oculis, sed ingenua libertate; nam ita cum illis nobis agendum rati sumus, non ut pro ratione esse deberet eorum auctoritas, quasi malimus cum illis errare, quam, iuxta ratiocinationis vim, recta sentire. Nonnullis ergo in locis, hanc nobis indulsimus libertatem, ut secus ac illi sentiremus ».

Hoc autem egimus, non tantum quia multa nova molita est S. Rit. Congregatio post illorum scripta, maxime vero nostris hisce temporibus, sed etiam quia, iuxta nostrum sentiendi modum, vi ducti, quam ex liturgicis principiis hausimus, errasse quandoque eos reperivimus. Enimvero, ex. gr., quod festum Annunciationis B. Mariae nulli festo cedere deberet, etiam quando ritu dupl. II classis colebatur; quod festa primaria Sanctorum praeferentiam habere debeant super secundaria Domini et B. Mariae; quod in Vesperis primo semper sit facienda commemoratio officii, quod pridie persolutum fuit, vel in crastino celebrabitur; quod dies infra octavam ius habeant ad utrasque vesperas (ut de minoribus quaestionibus taceamus), sententiae sunt quidem novae, a nobis pluries propugnatae, quae licet fuerint a praedictis insignibus doctoribus, sicut et a multis ex scriptoribus hodiernis, adversatae, nihilo-

minus postea, opportuna discussione exagitatae, a S. Rit. Congregatione acceptae fuerunt.

Praesens volumen agit de *Officio Divino*, in eoque eandem methodum secuti sumus, quam in alio opere nostro, cui nomen *Expositio rubricarum breviarii romani*. Annis proximis, Deo iuvante, Praelectiones nostrae erunt *de Sacramentorum administratione;* postea *de Missae sacrificio;* tandem *de ceteris sacris functionibus solemniter celebrandis:* illustrabimus, scilicet, *rituale*, *missale* et *caeremoniale episcoporum*.

Faxit Deus, ut hae nostrae, quamvis haud satis perpolitae appareant. Praelectiones de re tam clero necessaria, nobilem illum finem, ni assequantur, saltem aliquomodo attingant, quem Ss. Tridentina Synodus ac recentes apostolicae Constitutiones clero praestituerunt; cuique intendentes iuvenes in sortem Domini vocati sacrae Liturgiae addiscendae ita incumbant, ut nullimode patiantur, quod saepenimis est dolendum, scientiam cultus divini, cui omnes aliae, ex sententia Benedicti XIV, famulantur, vel leviter parvipendi, vel etiam audacter contemni.

Romae, in festo S. Apollinaris, 1909.

CAPUT I.

DE LITURGIAE DEFINITIONE ET OBIECTO

1. Vox *Liturgia* apud antiquos scriptores significabat *ministerium publicum*, ita ut Λειτουργὸς diceretur qui publico aliquo munere fungebatur, uti ex. gr. iudices, magistratus, praesides provinciarum, et illud officium publicum exercere diceretur λειτουργειν. In quodam rescripto Marci Antonini (cf. *Pandect.* l. 10, tit. 6, *de iure immunit.*) liturgia dicuntur *onera publica*; ita ut antiquitus apud ethnicos huiusmodi vocabulum nullam sacram significationem prae se ferebat.

In sacris libris, tam veteris quam novi Testamenti, in graeca lingua translatis, per vocem *liturgiae* iam indicantur sacrae functiones. Hinc apud LXX interpretes de Levitis legitur (*Num.* I, 50): καὶ αὐτοὶ λειτουργήσουσιν ἐν αὐτῇ. In Evangelio de ministerio sacerdotali Zachariae habetur (*Luc.* I, 23): καὶ ἐγένετο ὡς ἐπλησθησαν αἱ ἡμέραι τῆς λειτουργίας αὐτοῦ. Similiter aliis locis (cf. *Act.* XIII, 2; *Rom.* XV, 16; *Hebr.* VIII, 1, 2, 6 et IX, 21); et quamvis alibi (II *Cor.* XI, 12; *Phil.* II, 30) vox *liturgia* adhibeatur ad significandum etiam pium munus pauperes curandi, nihilominus exclusivam significationem cuiuscumque civilis ministerii publici in libris sacris prorsus amisisse dicendum est.

Apud antiquos Patres graecos usitata fuit vox *liturgiae* cum addita voce *sacrae*, seu *divinae*, seu *misticae*, maxime pro denotando sacrosancto Eucharistiae Sacramento, ita ut actio missarum, in ritu graeco, adhuc inscribatur, ut videre in eorum libris Η ΘΕΙΑ ΛΕΙΤΟΥΡΓΙΑ. Nunc vero apud omnes occidentales vox *liturgia*, ullo sine addito, iam includit per se notionem aliquid sacri in ecclesiis celebrandum, ac propterea in lessicis definitur, scientia quae agit de sacris ritibus.

2. Vera tamen Liturgiae definitio sic traditur a clarissimo Muratori (*Dissert. de reb. liturg.*, c. 1. Op. tom. XIII): « Ratio colendi Deum verum per externos legitimos ritus ». Quam definitionem, prae omnibus ab auctoribus datis seligimus, quia

excludit formam colendi falsos deos ethnicorum, et includit liturgiam tum iudaicam antiquae legis, tum christianam licet non catholica sit.

Si vero liturgiam definire velimus prout apud catholicam Ecclesiam sumitur, ipsa nil aliud est nisi: « Ratio colendi Deum per legitimos ministros catholicae religionis sub Romani Pontificis auctoritate ». In qua comprehenduntur omnia quae ad divinum cultum destinata sunt, sive personae, sive res, sive loca, sive actiones, sive preces, tum Romanae Ecclesiae, tum aliarum particularium, etiam Orientalium. Hoc sensu apud quoque iudaicum populum, ante incarnationem dominicam, liturgia vera habebatur, quum sacrificia Deo offerebantur, et sacrae coeremoniae, ex divina institutione per Moysen publicatae, servabantur, et psalmi cum hymmis sacris decantabantur. Hinc Paulus ait: (*Hebr.* X, 11): « Omnis quidem sacerdos praesto est quotidie ministrans, et easdem saepe offerens hostias », quae, eodem Apostolo testante (*Colos.* II, 17): *umbra* erant *futurorum*. Per adventum autem Filii Dei, ut scribit Muratori (ibid.), reformata in melius veteri Lege, et cessantibus cruentis Sacrificiis, uti iam a prophetis praedictum fuerat, successere perfectiora Sacramenta ac novi ritus, antiquis abrogatis: idest nova Christianorum Liturgia successit.

3. Ex quo noscitur *origo* celsissima ac veneranda Christianae liturgiae, quae dupliciter statui potest. Partim enim constat ex ritibus ab ipso Salvatore eiusque Apostolis, nascente Ecclesia praescriptis, partim ex iis quos identidem universalis Ecclesia aut particulares ecclesiae invexerunt in sacris celebrandis, prout Pastoribus visum fuit magis congruum maiestati Misteriorum, sive efficacius ad colendam augendamque populorum devotionem. Nulla enim dubitatio est, quin vel ipsis Apostolis viventibus aliquis fuerit Liturgiae usus. Teste S. Luca (*Act.* II, 42) primissimi fideles ab apostolo Petro conversi, *erant perseverantes in doctrina Apostolorum, et communicatione fractionis panis, et orationibus*. Item Paulus Apostolus (I *Timoth.* II, 1) vult fieri *obsecrationes, orationes, interpellationes et gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus et omnibus, qui in sublimitate sunt*. Quae omnia in liturgicis conventibus tunc fiebant, maxime vero in Sacrificio missae; ut aperte tradit sanctus martyr Iustinus (*Apologia*, II): Eo enim tempore congregabantur fideles *ad communes preces et supplicationes tum pro se ipsis, tum pro illuminatis, et aliis*

ubique gentium omnibus, intento animo peragendas. Et S. Cyrillus Alexandrinus, circa annum 347 morem hunc ab Ecclesia observatum fuisse describit (*Cathec.* 23, n. 8); nec non S. Augustinus qui (*Epist. ad Paulinum, 149*) quidquid in ecclesia Dei a vetustis temporibus ageretur considerans, « obsecrationes et precationes ab Apostolo memoratas interpretatur quas facimus in celebratione Sacramentorum, antequam illud, quod est in Domini mensa, incipiat benedici. Orationes quoque significari ait, quas proferimus, quum benedicitur et sanctificatur et ad distributionem comminuitur, quam totam petitionem fere omnis Ecclesia dominica oratione concludit ». In quibus, prosequitur citatus Muratori, paucis delineatum habes sacrum missae canonem, qualis adhuc in usu est. Praefationis adhuc in Missa usitatae meminit S. Cyprianus (lib. *de Oratione*) cum dicimus *Sursum corda*, populus respondet: *Habemus ad Dominum.* Item apud Patres primitivae Ecclesiae ritus baptismi, nec non et confirmationis, descripti habentur, ut de aliis taceamus.

Et licet Le Brun (*Dissert. liturg.*, tom. 2) aperte declaverit ante quintum seculum nullam ex liturgiis sive graecis sive latinis fuisse scripto commendatam sed memoriter tantum traditam; nihilominus Muratori (ibid.) abunde demonstrat id probari non posse; imo ex enarratis sanctorum Patrum, saltem III et IV saeculi, plane constare multa, nempe preces variabiles, scripta fuisse. Ex. gr. S. Gregorius Nazianzenus in Oratione in laudem S. Basilii (*Orat.* 20) habet ipsum Basilium conscripsisse suam liturgiam, quae Εὐκῶν διατάξεις ordo precum, appellatur. Neque negare quis potest S. Cyrillum Hierosolymitanum, partem non exiguam liturgiae in Baptismo et sacra Synaxi observatam in suas catecheseos intulisse. Item teste S. Hieronymo (*de script. eccle.*) S. Hilarium *librum hymnorum, et Mysteriorum alium*, nempe divini sacrificii, conscripsit. Celebris ac pervulgata est sententia quae S. Coelestino I (ep. 21) tribuitur, certo tamen illius aevo conscripta : « Obsecrationum quoque sacerdotalium sacramenta respiciamus, quae ab Apostolis tradita in toto mundo atque in omni Ecclesia catholica uniformiter celebrantur, ut legem credendi lex statuat supplicandi ». Et pergens recensendo nonnullas ex iisdem precibus ait: « Sanctarum plebium praesules precantur ut infidelibus donetur fides, ut idololatrae ab impietatis suae liberentur erroribus; ut iudaeis, ablato cordis velamine, lux veritatis appareat » etc. Si eiusmodi preces, bene concludit Muratori (ibid.) » in toto mundo atque in

omni Ecclesia catholica uniformiter » et quidem ab Apostolorum aevo celebrabantur, quis unquam credat sine scripto potuisse haec celebrari?

4. Quibus ex dictis facile comprobatur quale sit Liturgiae *obiectum*. Quidquid ad cultum publicum pertinet sub praesidentia et cura Sacerdotis, obiectum est Liturgiae. Hinc non solum sacrosanctum Missae Sacrificium, non solum Sacramentorum administratio, sed et sacra psalmodia, officium nempe divinum, omnesque sacrae functiones quae fiunt in honorem Dei, preces, cantilenae, coeremoniae, actiones scilicet quae functiones comitantur, res divino cultui dedicatae, uti ex gr. vasa, indumenta et templa sacra, omnia obiectum efformant Liturgiae.

Itaque tam leges (rubricae) quam preces, aliaeque formulae, quae inveniuntur in libris liturgicis, (Missale, Breviarium, Martyrologium, Rituale, Pontificale et Coeremoniale) liturgicae sunt, coetera quae in hisce libris non continentur, vel si contineantur, non tamen in functionibus stricte liturgicis adhibentur, uti ex. gr. Litaniae B. Mariae V. SS. Nominis Iesu et Sacri Cordis: Rosarium mariale, officia parva S. Crucis, de Spiritu Sancto et similia, ad liturgiam non pertinent, licet sacrae sint, et in honorem Dei effundantur.

Diximus ergo obiectum esse Liturgiae *quidquid ad cultum publicum pertinet sub praesidentia Sacerdotis*: quia Sacerdos solus est dux verus liturgiae; aliae personae altaribus servientes ministri dicuntur et sunt. Preces ergo et functiones quae privatim fiunt, vel sub ducatu non sunt Sacerdotis, licet fortasse in sacris templis peragantur, liturgicae proprie dici nequeunt: *Omnis namque pontifex*, ait Apostolus (*Hebr.* V, 1) *ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum*. Item Episcopus ad consecrandos novos presbyteros alloquens, eis dicit (Pontif.): *Sacerdotem oportet offerre, benedicere, praeesse*.

Neque dicatur, officium divinum privatim recitatum, vel in choro a monialibus decantatum, liturgicum semper esse, licet Sacerdos non praesideat, quia officium divinum per se est ordinatum ut in ecclesia celebretur a clero et populo, ut in primis saeculis fiebat, sub praesidentia sacerdotis; ideoque, etiamsi privatim recitetur officium, naturam suam non amittit, remanet nempe liturgicum.

5. Nemo itaque est qui non videat Liturgiae *praestantiam*.

Ipsa enim, ut docet Bouix (*De iure liturg.* p. I, c. 5 et 6) ex natura sua:

a) Est praepotens sanctificationis et instructionis fidelium instrumentum. Nam oratio est conditio sine qua non, ut quis sanctus fiat, et usque ad finem perseveret, et quidem oratio assidua et quotidiana; atqui liturgia orationibus constat quotidianis per horas distributis excellentissimis, et per se maximum valorem habentibus, utpote quae nomine totius Ecclesiae funduntur; ergo. Item constat actionibus sacris (ritus, cantus, coeremoniae) quae ad hoc institutae sunt ut corda ad Deum subleventur, et facilius gratia repleantur; nec non ut fideles, per aptas expositiones, a Concilio Tridentino Parochis praeceptas (Sess. 22, c. 8, et sess. 24, c. 7), erudiantur in fide et excitentur in observandis mandatis. Non immerito itaque Sixtus papa V (Constit. *Immensa* 22 Ian. 1588) de huiusmodi sacrae liturgiae vi sanctificandi et evangelizandi obloquitur hisce verbis: « Cum sacri ritus et coeremoniae, quibus Ecclesia a Spiritu Sancto edocta, ex apostolica traditione et disciplina utitur in sacramentorum administratione, divinis officiis, omnique Dei et Sanctorum veneratione, magnam populi eruditionem, veraeque fidei protestationem contineant, rerum sacrarum maiestatem commendent, fidelium mentes ad rerum altissimarum meditationem sustollant, et devotionis eos igne inflamment... ideo etc. ». Neque immerito Cardinalis Bona (*De div. Psalmod.* c. 19, § 3, n. 1) extollens liturgicos ritus dicit quod per ipsos « mens ad superna elevatur, nutritur pietas, fovetur charitas, crescit fides, devotio roboratur, instruuntur simpliciores ».

b) Liturgia est ex natura sua magnifica fidei expressio; etenim ex citata Coelestini I epistola, *legem credendi lex statuit supplicandi.* Idcirco sive ex verbis et expressionibus, quibus constant formulae precum, hymni, et lectiones, sive ex ipsis ritibus seu actionibus, quae preces, ipsas comitantur, nonnisi sana et vera fidei christianae professio demonstrari potest, quia nonnulla ab ipso Christo Redemptore instituta, vel ab Apostolis tradita, nonnulla vero vel a Patribus conscripta, vel ab infallibili Summorum Pontificum magisterio adprobata.

6. Ad rem perbelle scripsit S. Augustinus (*De bono persev.*, c. 23; Migne, *P. L.*, t. X, c. 1031): « Utinam tardi corde et infirmi, qui non possunt Scripturas vel earum expositiones intelligere, sic audirent vel non audirent in hac quaestione disputationes nostras, ut magis intuerentur orationes suas, quas semper

habuit Ecclesia et habebit ab exordiis suis donec finiatur hoc saeculum. De hac enim re quam nunc adversus novos haereticos tueri et defensare compellimur, nunquam tacuit in precibus suis... Quando enim non oratum est in Ecclesia pro infidelibus atque inimicis eius ut crederent?... Quis sacerdotem super fideles Dominum invocantem, si quando dixit, *da illis, Domine, in te perseverare usque in finem*, non solum voce ausus est, sed saltem cogitatione reprehendere, ac non potius super talem eius benedictionem, et corde credente et ore confitente respondit, *amen*? Sicut ergo in his orationibus, ita et in hac fide nata est et crescit et crevit Ecclesia... Nec oraret Ecclesia ut perseveraret in fide Christi,... nisi crederet Dominum sic in potestate habere cor nostrum, ut bonum quod non tenemus nisi ex propria voluntate, non tamen teneamus nisi ipse in nobis operetur et velle. Nam si haec ab ipso poscit Ecclesia, sed a seipsa sibi dari putat, non veras, sed perfunctorias orationes habet; quod absit a nobis ».

Haec Augustini argumentatio tota, ut patet, nititur precationum universali usu in liturgia adhibitarum auctoritate et infallibilitate. Posse autem huiusmodi orationibus aliquid subesse falsi, non tantum non admittit Hipponensis Episcopus, sed cum horrore reiicit, *absit a nobis*. (Cfr. Bouix, loc. cit.).

Refert postea Augustinus quomodo aliqui ex iis, qui peccatum originale negabant, victi auctoritate formularum et rituum baptismatis, aliud effugium excogitassent; confitentes nempe parvulum recens natum in peccato quidem esse, sed in peccato quod ipse, quantumvis parvulus, iam in hanc vitam ingressus commiserit: « Falsam igitur vel fallacem tradi parvulis baptismatis formam, in qua sonaret atque agi videretur, et tamen nulla fieret remissio peccatorum, viderunt aliqui eorum nihil exsecrabilius ac detestabilius dici posse atqui sentiri... Non tamen originaliter, inquiunt, sed in vita iam propria, posteaquam nati sunt peccatum habere coeperunt » (*De peccatorum meritis*, l. I, c: 34; editio Migne, t. X, p. 146).

Idem recurrit sancti doctoris ratiocinium in libro 6 contra Iulianum, capite 5: « Quae (Ecclesia catholica) filios fidelium nec exorcizaret, nec exsufflaret, si non eos de potestate tenebrarum et a principe mortis erueret... Sed id tu commemorare timuisti, tanquam ipse ab orbe toto exsufflandus esses, si huic exsufflationi, qua princeps mundi et a parvulis eiicitur foras, contradicere voluisses » (Editio Migne, t. X, p. 829).

Ex his porro Augustini textibus patet ipsi omnino persuasum fuisse quod supra sustinuimus; nempe: liturgiam esse quamdam dogmatum et fidei expressionem et publicam professionem.

7. Etiam angelicus doctor s. Thomas, qui Beatam Virginem fuisse in utero antequam nasceretur sanctificatam concludit tantummodo ex instituto in Ecclesia Nativitatis festo. Propositis enim in contrarium obiectionibus, subdit hoc modo: " Sed contra est quod Ecclesia celebrat Nativitatem Beatae Virginis. Non autem celebratur festum in Ecclesia nisi pro aliquo sancto. Ergo Beata Virgo in ipsa sua nativitate fuit sancta. Fuit ergo in utero sanctificata " (parte 3, quaest. 27, art. 1). In sequenti vero articulo, ubi sustinet Beatam Virginem non fuisse sanctificatam ante animationem, seu non fuisse immunem a peccato originali, sic inter alia sibi obiicit: " 3. Praeterea, sicut dictum est (articulo praecedenti, argumento *sed contra*), non celebratur festum nisi de aliquo sancto. Sed quidam celebrant festum Conceptionis B. Virginis; ergo videtur quod in ipsa sua conceptione fuerit sancta; et ita quod ante animationem fuerit sanctificata ". Cui obiectioni respondet hoc modo: « Ad tertium, dicendum quod licet Romana Ecclesia conceptionem B. Virginis non celebret, tolerat tamen consuetudinem aliquarum ecclesiarum illud festum celebrantium. Unde talis celebritas non est totaliter reprobanda ».

Ex allatis textibus satis patet a doctore angelico tanquam validum habitum fuisse argumentum quo a liturgiis ad dogmata in iis expressa fit illatio. Imo dubium non est quin S. Thomas, si festum Conceptionis universaliter ut hodie celebratum, et obiectum ipsius (immaculatam nempe conceptionem) apud omnium mentes clare expressum reperisset, eamdem deduxisset conclusionem ac circa nativitatem. Quemadmodum nempe sanctus doctor suo tempore sic ratiocinatus est: " Celebratur festum Nativitatis; ergo sancta fuit nativitas ", ita hoc diceret: « Celebratur festum Immaculatae Conceptionis; ergo immaculata et ab originali peccato immunis fuit conceptio ».

8. Item Suarez assumptam in corpore fuisse Beatam Virginem tanquam certum concludit ex liturgia: « Usuardus et Ado in suis Martyrologiis dicunt Ecclesiam celebrare dormitionem Virginis. Nam *ubi eius sanctissimum corpus collocatum sit, plus*, inquiunt, *elegit sobrietas Ecclesiae cum pietate nescire, quam quid frivolum et apocriphum inde tenendo docere.* Sed hoc aperte pugnat cum communi sensu Ecclesiae, ut constat ex

omnium fidelium, tam simplicium quam sapientium, mente et sermone, et inscriptione Romani Martyrologii ac Missalis, ex officio illius diei in introitu missae et aliis antiphonis et versiculis, in quibus saepe repetit B. Virginem assumptam fuisse in coelum. Neque est verisimile intelligere de assumptione solius animae », etc. (In III partem divi Thomae, t. II, disput. XXI, sect. 2).

Tridentina ipsa Synodus, ad probandam veritatem dogmatum, ad Liturgiam appellat; ex. gr. (Sess. 6, c. 10) docet: « Hoc iustitiae incrementum petit sancta Ecclesia, cum orat: Da nobis, Domine, fidei, spei et charitatis augmentum ». Porro ex illo textu sic argumentari licet: precatio citata, *Da nobis, Domine*, etc., est collecta missalis Romani dominicae 13 post Pentecosten; collectam autem illam dicit sancta Synodus esse *orationem Ecclesiae*; hoc enim aequivalenter exprimunt verba ista: « Hoc petit Ecclesia, cum orat: Da nobis, Domine », etc.: ergo Tridentina Synodus supponit orationes in liturgia Romana expressas esse ipsiusmet Ecclesiae orationes; ac proinde his orationibus exprimi sensum et doctrinam Ecclesiae catholicae: ideoque posse ex ipsis tutissime concludi veritatem doctrinae quam exprimunt.

Idem erui potest ex sequenti eiusdem Synodi textu: « Cum sancta sancte administrari conveniat, sitque hoc omnium sanctissimus sacrificium, Ecclesia catholica, ut digne reverenterque offerretur ac perciperetur, sacrum canonem multis ante saeculis instituit, ita ab omni errore purum, ut nihil in eo contineatur quod non maxime sanctitatem ac pietatem quamdam redoleat, mentesque offerentium in Deum erigat: is enim constat cum ex ipsis Domini verbis, tum ex Apostolorum traditionibus, ac sanctorum quoque Pontificum piis institutionibus » (Sess. 22, cap. 4). « Si quis dixerit canonem missae errores continere, ideoque abrogandum esse, anathema sit » (Sess. 22, can. 6). Sedulo animadvertendum est canonem liturgiae Romanae maxima ex parte constare formulis a Romanis Pontificibus institutis.

Breviter, ne in re tam clara alia loca Patrum vel doctorum congeramus, sufficiat hic meminisse, quod ipse Pius IX, dogma definiens Immaculatae Conceptionis B. Mariae (Bulla *Ineffabilis*) inter alia argumenta, illud etiam accipit ex antiqua Conceptionis festi institutione.

Concludendum igitur est cum Bellarmino (*Controv. de Ss. Sacr.* II, 31): « Aliquando ex vetustis coeremoniis melius persuadentur aliqua dogmata, quam multis testimoniis.

CAPUT II.

DE VARIIS LITURGIIS IN CATHOLICA ECCLESIA

9. Quamquam una sit Ecclesia Christi, quia in ea habetur unica fides, unicum regimen, unica sacramentorum participatio, imo quia ipsa solummodo principium possidet unitatis, quod est auctoritas Romani Pontificis, nihilominus, quoad externos modos liturgiam exercendi, non una ratio observata est. Uti supra n. 3 innuimus, ipsimet Apostoli, praeceptum Christi exequentes: *hoc facite in meam commemorationem*, primitivam liturgiam, maxime in sacra synaxi, instituerunt, quam adhuc habemus in in libro, qui *Constitutiones Apostolicae* vocatur (Migne, *P. G.* I, p. 1130), nec non in *Didachè*, hisce nostris diebus inventa.

Cum vero Ecclesia per orbem diffunderetur, sancti Patres sive ob linguarum varietatem, sive ob diversum populorum ingenium, sensim sine sensu novas formulas precum, novasque actiones sacras induxerunt, ita ut, una semper substantialiter liturgia existens, diversimode in diversis regionibus actitata est. Hinc, praesertim post III Ecclesiae saeculum, plurimae liturgiae invectae fuere, quae a sacris scriptoribus multifarie dividuntur, vel a nomine institutoris eorum, vel a lingua, in qua conscriptae sunt, vel a regionibus ubi inductae fuerunt. Scriptores qui recentius hac de re egerunt (Cf. Kraus, *Real-Encycl. der Christlichen alterthümer*, Friburgi in Brisg. 1886; *The Encycl. Britan.* vol. XIV, p. 708; Duchesne, *Origines du cult Chrèt.* chap. 2 et 8 et Magani, *L'antica liturg. Rom.* c. 2), inspectis novis documentis, plus minus distinguunt diversas liturgias in quinque ordinibus:

I. *Liturgia S. Petri*, scilicet romana, aut italica, quae habetur in *Constitutionibus Apostolicis*.

II. *Liturgia S. Iacobi*, nempe Siro-Occidentalis, seu Hierosolimitana, quae comprehendit liturgiam graecam et syriacam S. Iacobi; graecam S. Basilii et S. Ioannis Chrisostomi, nec non armenam S. Gregorii illuminatoris.

III. *Liturgia S. Marci*, scilicet aegyptiaca, et alexandrina, quae comprehendit iterum graecam et coptam S. Basilii, et S. Gregorii, nec non et Ethiopicam.

IV. *Liturgia Ss. Addaei et Maris*, quae invaluit in Syria orientali: ad haec accedit liturgia Theodori Mopsuestenis et Nestorii, quae etiam vocatur liturgia S. Thomae.

V. *Liturgia S. Ioannis*, dicta etiam Ephesina, quae viguit praesertim in Europa occidentali, latine reddita, ex qua prodiit liturgia *gallicana, mozarabica* et *ambrosiana.*

Iuxta cl. Duchesne, qui quatuor typicas liturgias cognoscit (p. 62) nempe *syriacam, alexandrinam, romanam* et *gallicanam*, gallicana ad syriacam, et alexandrina ad romanam reduci possunt.

10. Haec autem dicta sint de diversis liturgiis quae iuxta earum originem ita dividi possunt; hodie vero liturgiae ab Ecclesia Catholica admissae, quae adhuc vigent, hae sunt quae sequuntur.

A) Liturgiae occidentales, seu latinae.

I. *Liturgia romana*, quae ubique terrarum diffusa est, maxime quia evangelii praecones, qui a S. Sede ad exteras regiones mittuntur, omnes sunt ritus romani. Ad hanc pertinent etiam:

a) *Ritus monasticus*, quem sequuntur monachi ordinis S. Benedicti, aliique ex ordinibus a benedictino promanantibus. Ritus tamen monasticus huiusmodi quoad Missale omnino est romanus, quoad Breviarium vero in multis differt, ex. gr. in dispositione psalterii, et in numero lectionum, quae duodecim sunt ad matutinum;

b) *Ritus Cistercensis*, quem adhibent Cistercenses (non tamen itali) iuxta reformationem abatis Claudii Vaussin anno 1641 factam. Prius a S. Sede tantum toleratus fuit hic ritus, tandem anno 1868, approbantus; discrepat non parum a romano monastico;

c) *Ritus carmeliticus*, qui et hierosolimitanus vocatur, a patribus Carmelitis antiquae observantiae adhibitus;

d) *Ritus dominicanus*, qui cum carmelitico in multis convenit; eo utuntur fratres ordinis Praedicatorum;

e) *Ritus Carthusianus*, quem monachi S. Brunonis adhibent, et non multum a romano differt;

f) *Ritus Praemonstratensis* quo utuntur Canonici Regulares ordinis praemonstratensis, noviter editum ac recognitum anno 1741;

g) *Ritus bracharensis*, quo utuntur nonnullae ecclesiae cleri saecularis, in civitate et dioecesi bracharensi in Lusitania;

h) *Ritus lugdunensis*, qui viget in lugdunensi dioecesi; est fere in omnibus romanus; postquam Pius Pp. IX romanam liturgiam in tota Gallia instauravit, ex S. Rit. Congr. decreto d. d. 27 Augusti 1865 nonnulla (ex. gr. prosae) antiqui ritus retenta sunt.

Hi omnes ritus missale habent proprium, et proprium breviarium, item et rituale ac coeremoniale; excepto ritu monastico qui ut diximus solum breviarium proprium habet, et lugdunensi qui missale tantum proprium possidet.

II. *Liturgia Ambrosiana*; ea utuntur fere omnes ecclesiae dioecesis mediolanensis, nec non aliquae in dioecesi novariensi et luganensi.

Huiusmodi liturgia ambrosiana dicitur, non quia S. Ambrosius eam instituerit, sed quia ipse eam in melius ordinavit atque locupletavit praesertim hymnis et psalmis et antiphonis.

III. *Liturgia mozarabica*, quae olim in fere tota Hispania viguit, et dicitur etiam *gothica*, eo quod ex Oriente a gothis inducta. Vocatur autem mozarabica quia sub arabica dominatione in Hispania, christiani inter arabes degentes mozarabes vocabantur. Hunc ritum restituit cardinalis celeberrimus Franciscus Ximenes de Cisneros toletanus archiepiscopus in speciali cappella suae cathedralis, exeunte saeculo XV.

Ambrosiana et mozarabica in multis conveniunt cum antiqua liturgia *gallicana*, quam suadente Romano Pontifice Carolus magnus abolevit.

B) Liturgiae Orientales.

I. *Liturgia graeca*, quae praesertim a S. Basilio et S. Ioanne Chrisostomo reformata atque ordinata fuit; ad eam pertinent:

a) *Ritus graecus purus*; clerus et populi qui hunc ritum sequuntur non habent constitutam hierarchiam, sed qui degunt in Oriente a delegatis apostolicis reguntur, qui in Italia, in Sicilia et Corsica habitant, ab episcopis latinis in loco ordinariis;

b) *Ritus graecus rumenus*, a catholicis graecis usitatus,

qui degunt in Hungaria in quatuor dioecesibus Fagarasiensi (metrop.) Armenopolitana, Magno-Varadinensi, et Lugosiensi;

c) *Ritus graecus rutenus*, qui in usu est apud graecos catholicos degentes partim in Austria in dioecesibus Leopoliensi (metrop.) Premisliensi, Sanochiensi et Samboriensi, Stanislaopolitana et Cisiensi; partim in Hungaria, in dioecesibus Eperiessensi, et Monchacsiensi, partim in Polonia in dioecesibus Chelmensi et Beltiensi, ac Minscensi;

d) *Ritus graecus bulgarus* quo utuntur graeci catholici in Thracia et Macedonia sub iurisdictione Vicarii Apostolici; quia duos habent Episcopos eiusdem ritus bulgari, qui sunt titulares;

e) *Ritus graecus melchita*, quem sequuntur graeci catholici sub patriarcatu Antiochiae in Syria cum tribus Archiepiscopis, Aleppensi, Bosrensi, et Tyrensi, ac decem episcopis.

II. *Liturgia Syrorum*, est antiqua liturgia graeca in lingua syriaca translata, ad quam pertinent:

a) *Ritus syrus purus*, quo utuntur syri patriarcatus Antiochiae, cum archiepiscopis tribus Babylonensi, Damasceni, et Hemesensi, ac sex episcopis;

b) *Ritus syrus chaldaeus*, quem sequuntur syri degentes sub patriarchatu Babylonensi in tredecim dioecesibus;

c) *Ritus syrus maronita* quo utuntur catholici de monte Libano, sub patriarchatu Antiocheno, cum decem dioecesibus;

d) *Ritus syrus sorianus*, seu *malabaricus*, quo utuntur catholici in Malabar, sub tribus Vicariis Apostolicis, nam non habent episcopos proprios.

III. *Liturgia Armena*, quae maxima ex parte, est graeca. Catholici huius ritus dispersi sunt, et habent patriarcham Ciliciae cum quatuor archiepiscopis cum decem episcopis in imperio Turcarum in Asia, nec non unam dioecesim in Austria (Leopolitanam), in Russia (Artuinensem), in Perside (Hispahanensem) et in Aegypto (Alexandrinam).

IV. *Liturgia copta*, quae distinguitur in duos ritus, nempe:

a) *Ritus coptus purus*, a catholicis usitatus qui sub iurisdictione sunt patriarchae copti Alexandrini, cum duobus episcopis Hermopolitano et Thebano;

b) *Ritus coptus ethiopicus*, quo utuntur catholici in Abissinia degentes, qui tamen episcopos proprios non habent, sed reguntur a Vicario Apostolico Abissiniae.

Omnes ritus orientales, quibus adiici potest et ritus slavus,

distinguuntur non tantum lingua, sed etiam ob singulares coeremonias et preces speciales, ac propter usum panis fermentati, quo praesertim utuntur graeci.

Circa ritus latinos, a romano puro diversos, notandum est, quod S. Pius V, in sua bulla qua novum suum breviarium imposuit, illos admisit et retinuit qui iam tunc a ducentis annis legitime in usu erant.

Et optime romanus pontifex, hos ritus diversos admisit et adprobavit, quia Ecclesia Christi maiori splendore emicat sicut regina *circumdata varietate*; uti Pius IX (Constit. 6 Ian. 1862) aperte declaravit: « Fidei unitas cum legitimorum rituum varietate optime consistit, ex quibus imo maior in Ecclesiam ipsam splendor et maiestas mirifice redundat ».

CAPUT III.

DE LIBRIS LITURGICIS EORUNQUE RUBRICIS

11. Fontes iuris pro romana liturgia sunt praesertim ipsi libri liturgici, nempe *Breviarium*, *Missale*, *Rituale*, *Pontificale* et *Coeremoniale*, in quibus habentur Rubricae, quae indicant, docent et praescribunt quomodo ritus et preces in sacris functionibus sunt perficiendi. De unoquoque libro dicemus inferius suis locis.

Tribunal autem, quo Apostolica Sedes liturgiam ordinat et tuetur, est *Sacra Rituum Congregatio*, quae per totam Ecclesiam sua decreta promulgat. Primo ergo dicemus de *Rubricis*, ac dein de Rituum congregationis *decretis*.

12. Rubrica proprie dicta, terra quaedam est rubri coloris, qua fabri lignarii ad recte lignorum sectionem filo dirigendam utuntur; ita ex Columella lib. 3, cap. 7, Vitruvio l. 7, c. 7, ac Plinio l. 35, c. 6. Ac proinde Horatius Flaccus *Satir.* l. 2. *Satir.* 7, cecinit:

> ... contento poplite miror
> Praelia, rubrica picta aut carbone, velut si
> Re vera pugnent.

Rubrica autem metonymice sumitur pro inscriptione, seu titulo earum rerum, quae in textu, vel capitulo infrascripto continentur. Ratio nominis est, quod olim Rubrica, seu dicta terra rubra, legum tituli et capita notabantur perspicuitatis et distinctionis causa, ut facile apparerent.

Calepinus insuper in suo dictionario ad hanc vocem addit, nonnullos Iurisconsultos huius esse sententiae, ut legum tituli Rubrica scribi consueverint, vel ad legum maiestatem ostendendam, siquidem purpura regum et magistratuum propria est, vel ad sanguinem minitandum, idest mortem aut aliam poenam transgressoribus legum. Unde illud ex Iuvenale *Satir.* 14: « Perlege rubras maiorum leges ».

Usus vero titulos legum in codicibus rubro colore inscri-

bendi, etiam in liturgicis seu ritualibus libris invaluit, ut ea, quae clericis in officio vel in Missa dicenda erant, a legibus seu regulis recitationis aut caeremoniarum interscriptis facilius distinguerentur.

Quapropter ad rem nostram *Rubricae* nihil aliud sunt, quam regulae indicantes ritus servandos in rebus sacris peragendis, quae regulae, ex usu rubro colore eas inscribendi, Rubricae dictae sunt.

Huius tamen, cum hac significatione, vocis usurpatio, ut habet Gavantus in suorum commentariorum principio, primum reperitur anno 1550 in editione veneta Breviarii. At S. Pius V in promulgatione Breviarii Romani ad mentem Tridentini Concilii (Sess. 23) restituti, omnes ipsius leges, Rubricarum Generalium titulo inscripsit, quod antea non fuerat factum. Teste autem eodem Gavanto, in quibusdam codicibus Bibliothecae Vaticanae saeculi XIV ab ipso collatis, leges rituales nomine Rubricae vocantur, ita ut in volumine 4397, folio 227 haec verba *Rubricae novae*, et folio 228 *Rubricae antiquae* legantur.

13. Rubricae ergo cuiuslibet libri liturgici, definiri possunt: *leges quibus externus Dei cultus in Ecclesia Catholica ordinatur*. Hoc docent et concedunt omnes bonae notae scriptores. Cf. Gavantum (p. 1, tit. 1), Cavalerium (t. 5, c. 2, n. 1), Ferraris (Bibl. voce *Rubrica*). Bissus autem (*Ierurgia ad Rubr.*) scribit: « *Leges* tam Missalis quam Breviarii dicuntur Rubricae ». Quarti (Sect. 1, n. 1), definitionem explicans dicit: « Dicitur primo *regula*, in quo convenit cum *legibus* et aliis ordinationibus et solent esse firmae quousque revocentur ». Prae ceteris autem Benedictus XIV audiatur qui (*de sacr. Mis.* III, 13, 3), scribit: « Ipsa communis omnium sententia docet Rubricas esse leges praeceptivas ». Nec valet refragari loco citato loqui Pontificem solum de Missalis Rubricis, quia hoc etiam admisso, de Breviarii Rubricis aliorumque librorum idem prorsus locutus esset, si subiecta materia id postulasset. Quod certe fecit in suis litteris d. d. 25 Martii 1752 *Quamvis ardenti*, de nova Ritualis, Caeremonialis et Pontificalis Romani editione, in quibus Bullas praedecessorum suorum confirmans, omnes liturgicos libros a se probatos et emendatos, *iuxta* ab ipso *praescripta*, publici iuris fieri mandavit.

Si ergo Rubricae sunt leges, facile consequitur eas omnino obligantes esse, quia, teste S. Thoma (I, 2. quaest. 90, art. 1), *lex* dicitur a *ligando*, ac propterea vis obligandi in notione

legis necessario includitur; sub gravi vel sub levi, nunc parum refert.

Sanctus doctor Alphonsus (lib. 6, n. 399) docet Rubricas Missalis esse praeceptivas; « nam in Bulla S. Pii V sic dicitur: Districte praecipientes ut Missam iuxta normam in Missali praescriptam legant ». Sed Romani Pontifices eadem vel similia verba protulerunt in Bullis quibus approbaverunt alios liturgicos libros.

Quoad Breviarium, idem S. Pius V in Bulla *Quod a nobis*, d. d. 9 Iulii 1568 operte decernit: « Iubemus igitur, omnes et singulos... Ecclesiarum praelatos, ut, omissis quae sic suppressimus et abolevimus... Breviarium hoc in suis quisque Ecclesiis introducant ». Atque; quasi hoc parum esset, insuper dicit: « Statuentes Breviarium ipsum nullo unquam tempore vel totum, vel ex parte mutandum, vel ei aliquid addendum, vel omnino detrahendum esse... neminemque ex iis, quibus hoc dicendi psallendique munus necessario impositum est, nisi hac sola formula satisfacere posse ». Stricte ergo et sub gravi obligatorium est Breviarium aeque ac Missale Romanum, ut omnes docent (*Vide* Bouix, *De iure lit.* 4, c. 2, n. 2). Siquidem non satis intelligitur quomodo *sub gravi* obligatorius esse possit usus unius libri, quando regulae quae in eo inveniuntur sint tantummodo *directivae* et non *praeceptivae*.

14. Idem dic de Rituali Romano, in Bulla Pauli V, *Apostolicae Sedis* d. d. 17 Iunii 1614 legitur: « Hortamur... ut in posterum Ecclesiae Romanae filii... constituto rituali in sacris functionibus utantur et in re tanti momenti quae Catholica Ecclesia et ab ea probatus usus antiquitatis statuit *inviolate* observent ». Neque dicas Paulum V hac voce usum esse: *hortamur*, ideoque non esse praeceptivas Ritualis Rubricas; quia, ut omnes in hac re docti scriptores concedunt, Pontifex noluit Ritualia particularium Ecclesiarum omnino abolere, nihilominus Rubricae tam illorum quam Romani Ritualis *inviolate* observari mandavit. Ad rem, Card. Gennari (*Consultazioni* p. 3, cons. 2), docet: « Quod Rubricae Ritualis maximi aestimandae sint, fit manifestum ex brevi Pauli V, in quo dicitur in eo contineri ritus, *qui in Sacramentorum administratione aliisque ecclesiasticis functionibus servari debent*. Si *debent* observari, ergo non licet cuique aliis diversis ritibus uti ». Lege S. R. C. Decreta sub numm. 822, 826, 1322 ad 7, 1643 ad 7, 2932, 3654, 3697 ad 9, et 3901 ad 1, et in eis passim has formulas invenies: « standum Rituali, servandum Ri-

tuale, fieri ut in Rituali praescribitur ». Sit tamen pro omnibus Decr. n. 3276 d. d. 31 Aug. 1872, in quo legitur: « Ad Ritualis Romani observantiam Ordinarius tenetur obligare omnes Sacerdotes, non obstante contraria consuetudine ». Ergo et Ritualis Rubricae, quando aliquid fieri praescribunt, *praeceptivae* sunt.

Idem est de *Caeremoniali* in rebus ubi liberum quemque non relinquit iuxta locorum mores, quia tam Clemens VIII in sua bulla *Cum novissime* d. d. 14 Iulii 1600, quam Innocentius X, *Etsi alios* d. d. 30 Iulii 1650 et Benedictus XIII *Licet alias* d. d. 7 Martii 1727, hisce verbis utuntur: « Perpetuo observandum esse praecipimus»; et, « in virtute sanctae obedientiae » addit Benedictus XIII. Item pro Caeremoniali, lege S. R. C. Decreta sub numm. 9, 152, 432, 524, 950, 991, 1612, 1795 ad 4 et 2195 ad 3, et maxime illud sub n. 1666 d. d. 19 Aprilis 1681, in quo habetur: « servanda esse ad unguem praescripta in Caeremoniali... in quibuscumque sacris ritibus et caeremoniis... sublato quolibet alio diverso, seu contrario usu, seu consuetudine ab eiusdem Caeremonialis dispositione et forma praescripta difformibus ».

Nunc vero ad *Pontificale Romanum* quod attinet, Clemens VIII, in sua bulla *Ex quo in Ecclesia*, d. d. 10 Februarii 1696, postquam omnia et singula Pontificalia, usque tunc edita, suppressa declaraverit, dicit: « ... et hoc nostrum Pontificale sic restitutum et reformatum in omnibus universi terrarum Orbis Ecclesiis, Monasteriis, Ordinibus et locis etiam exemptis, si quae sunt, *recipi et observari praecipimus*... et mandamus *ut*... sacras caeremonias et ritus in *eodem Pontificali* praescriptos iuxta illius modum et normam, in quibuscumque actibus, exercere et observare (omnes et singuli) *teneantur* ». Similiter legas S. R. C. Decreta, sub. nn. 9, 426 et 1182 in quibus semper dicitur *servandum esse Pontificale Romanum*. Ergo et eius Rubricae, quando aliquid agendum esse dicunt, praeceptivae sunt

15. Nihilominus supponamus Rubricas extra Missam, nempe ex. gr. Breviarii, non esse *praeceptivas*, sed *directivas* tantum. Hodie occurrit Dominica Palmarum; Rubrica mihi clare indicat in casu quale Officium et quo ordine recitare debeam, at ego. 1. relicto Breviario Romano, utor Breviario Ambrosiano; 2. Matutinum lego de Dominica Paschatis; 3. horam Nonam prorsus omitto; 4. in Vesperis, quas dico, praepono canticum *Magnificat*, dein lego hymnum et orationem, postea quinque psalmos, ac

denique omnes simul antiphonas. Omnes theologi, nullo excepto, unanimiter docent non licere officium ut supra, persolvere. Etenim: 1. mutare Breviarium; 2. mutare officium diei cum aliis; 3. omittere et unam tantum horam minorem; 4. invertere partes quibus singulae horae constant, nemo potest, sine peccato plus vel minus gravi. Audiamus pro omnibus clarissimum Cardinalem D'Annibale (*Summula*, p. III, l. 2), et quoad 1um, nempe usum Breviarii, docet (n. 148): « ut quis satisfaciat, officium recitandum est ex eo Breviario quo quisque legitime utitur ». Quoad 2m docet (ibid.): « Qui consulto aliud (officium) pro alio recitat non satisfacit, velut in die Palmarum officium Paschatis », et ad rem citat damnatam propositionem 34 Alexandri VII. Quoad 3um docet (n. 147): « At grave, nisi modicum quoad totum, omiserit; modicum autem intelligitur, quod minus est hora parva, ut puta Nona ». Quoad 4um docet (n. 150): « Officium recitandum esse... *suo ordine*; hoc duo continet, ne horae intervertantur, neve horae partes, sed utrumque est leve ». Leve, sed tamen peccatum, ergo et ordo partium cadit sub praecepto licet non gravi. Et alibi (ibid. n. 148, nota 19: « Is non satisfacit, qui eius (officii) partes adeo perturbat ut vix species officii divini supersit », et citat Suares 11, 7. Atqui Rubricas Breviarii negligens partes officii perturbat, ergo.

Nunc vero, quid aliud praescribunt Rubricae Breviarii nisi Breviario Romano uti, et non alio mihi non proprio? Officium talis diei, et non aliud recitare? nihil omittere, et multo minus integram horam? partes quibus horae singulae constant suo ordine recitare? ergo si res a Rubricis praescriptae cadunt sub praecepto, quid aliud est hoc, nisi quod Rubricae sunt *praeceptivae*?

Adde, omnes doctores fatentur Decreta S. Rit. Congregationis esse *praeceptiva*, uti infra videbimus; atqui, omnia decreta, paucissimis exceptis, nihil aliud sunt nisi declarationes vel confirmationes Rubricarum, tam Missalis, quam Breviarii, Ritualis, Caeremonialis ac Pontificalis Romani; ergo si praeceptiva sunt Decreta huiusmodi, praeceptivae non erunt Rubricae, quae nihil aliud sunt nisi textus codicis venerandi, quem S R. C. responsa identidem interpretantur et exponunt? Quis unquam audivit *glossam* vim legis habere, non vero *textum glossatum*?

Quapropter en gravissimum argumentum, quod dicunt *ab absurdis*. S. Rit. Congregatio post breve SS. D. N. Leonis XIII

Nullo umquam d. d. 28 Iulii 1882 quater expurgavit, et reformavit Rubricas Breviarii Romani, atque revisit et emendavit illas quoque Ritualis, Caeremonialis et Pontificalis, ut taceamus de Missalis. Circa Rubricas Breviarii res etiam minimas pertractavit, ex. gr. de ordine commemorationum in Vesperis, de qualitate primarii et secundarii in festis etc. attamen si Rubricae huiusmodi non obligarent, et quisque pro lubito suo eas negligere posset, ad quid valerent studia istius sacri Tribunalis?

Id melius probatur ex alio Decreto 4 Aprilis 1879, n. 3491, in quo S. R. C. concludit: « in reliquis autem Caeremonialis Episcoporum ac Rubricae inviolabiliter serventur » nec non ex eo quod supra retulinus, 10 ianuarii 1852, n. 2993, ubi apertissime sacrum Tribunal declarat: « non posse, illaesa conscientia, praeceptivas regulas Breviarii, Pontificalis, Caeremonialis et Ritualis infringere aut omittere ».

Hinc quoque est quod Romani Pontifices, Clemens et Urbanus VIII praesertim, stricte praescripserunt nullum librum liturgicum typis edi posse, nisi prius Ordinarius concordare recognoverit cum typicis editionibus (cf. S. R. C. Decretum d. d. 26 Aprilis 1834, n. 2716). Quae concordantia adamussim adesse debet non tantum quoad textum, sed etiam quoad Rubricas, ut patet, et in praxi fieri conspicimus.

Porro si Rubricae extra Missam, illae scilicet quae inveniuntur in Breviario, Pontificali etc. praeceptivae non essent, parum interesset earum concordantia cum typicis editionibus.

16. Nos quidem non latet in omnibus libris liturgicis nonnullas inveniri Rubricas quae aliquid pro lubito faciendum proponunt. Ita, ex. gr., in Missali habetur, datis temporibus *tertia oratio ad libitum*, in Missis Defunctorum *Epistolae* et *Evangelia posita in una possunt dici in alia*; et Sequentia *Dies irae* in quotidiana privata est *ad libitum* Sacerdotis. In Processione Palmarum antiphonae *vel omnes, vel aliquae tantum* dici possunt; in Missis privatis duplicibus II classis Collectae dicuntur *ad libitum*. Item in Breviario habemus Festa S. Canuti et S. Remigii Episc. *ad libitum*, et hodie Officia votiva; in Rubricis generalibus (T. 26, n. 23) habetur: « Legitur 9 lectio homiliae Dominicae vel Feriae, scilicet vel prima lectio de homilia, vel tres simul in unam lectionem coniunctae »; hae revera sunt Rubricae non praeceptivae, cum lubito meo relinquunt quid agere debeo. Saepius in Rituali, Caeremoniali et Pontificali Romano inter Rubricas decretorias, ex. gr. *dicit, fit, sedet, sur-*

gunt omnes, hic ordo servabitur, etc., aliae inveniuntur quae decretoria non sunt, ex. gr. (*Caer.* I, 5, 4), vestis caeremoniarii, *ubi commode fieri possit*, sit violacea; (I, 12, 1) *decet* in Festis splendidior ornatus; (ibid. 4) si Ecclesia habuerit porticum *congruum erit* pannis... exornari (I, 28, 1). In Festis... *potest* organum adhiberi; (II, 2, 6) dum psalmi recitantur sedere *poterunt*... (II, 8, 45). Si in Ecclesia fuerint ambones in illis *poterit* cantare Evangelium (*Pontif. Rom. De consecr. Episc.*). Si vero Officium legitur *poterit... capere sandalia*: (ibid. in fine *Altar. consecr.*) Pontifex... si celebrare *voluerit*; (ibid. *ordo ad visit. paroch.*). Deinde, *vel* in medio Missae, versus ad populum sedens proponit populo causas adventus sui, etc.

Itaque si habentur huiusmodi Rubricae, quae non obligant, quia libertatem relinquunt, ideoque neque nos eas praeceptivas esse dicimus; nihilominus propositio: « Dantur in libris liturgicis Rubricae facultativae », toto coelo differt ab alia, quae passim a theologis docetur: « Rubricae dividuntur in praeceptivas et directivas; praeceptivae sunt Rubricae intra Missam, et obligant; directivae extra eam et non obligant ». Unde non pauci scriptores in hanc sententiam facile venerunt, praeceptivas esse tantummodo Missalis Rubricas et non illas quae habentur in aliis liturgicis libris, quia non sunt intra Missam.

Reapse, require inter omnes moralistas, quid sentiant de vi obligandi Rubricarum, et omnes, non dissimulamus, loquuntur de Missalis Rubricis, de aliorum librorum nihil dicunt. Nihilominus quando pertractant de Officio divino, licet explicite de Rubricis eius taceant, aequipollenter tamen, loquentes de forma et de ordine horarum, plane admittunt Breviariuim quoque, scilicet Rubricas eius, vim legis habere.

Iam ab anno 1887, ut videre est in *Ephemeridibus Liturgicis* (vol. I, pp. 144–146) hanc sententiam nos primi propugnavimus, nihil amplius valere distinctionem inter Rubricas praeceptivas et directivas, modo quo huc usque intellexerunt doctores; et nobis adstipulatus est venerabilis vir G. F. I. Bouvry tunc Vicarius Generalis dioecesis Tournacensis, auctor acceptissimus Commentarii in Rubricis, qui in iisdem *Ephemeridibus* (ibid. p. 146), scripsit: « de ea distinctione hodie tractari non debet nisi modo historico ».

Si magis placet dicatur potius Rubricas esse praeceptivas simul et directivas; praeceptivae sunt quidem, quia *praecipiunt* quomodo *dirigantur* actus externi cultus; directivae, quia *di-*

rigunt actus eosdem, qui *praecipiuntur*. Etenim notio *directionis* in lege plane includitur. Ad rem cl. Santi (*Prael. iur. can.* I, n. 26, 6) : « Notio legis secum fert notionem medii practici et propriam efficaciam habentis : quo medio utitur legislator ut subditos in officio contineat, atque ad bonum comumnem dirigat. Quibus positis, si legislator ius habet leges intimandi, subditi habebunt relativam obligationem legibus obtemperandi. Haec virtus legis, qua subditi eam tenentur implere, non ob aliam rationem, nisi quia legitime imposita est, dicitur *vis directiva legis* ».

Dicamus ergo, omnes Rubricas, quae in libros liturgicos continentur, praeceptivas et directivas esse, sub gravi vel sub levi, vel, si vis, etiam sub levissimo, exceptis illis quae aperte libertatem relinquunt. Id postulat obsequium quo sacrorum ministri revereri debent regulas quibus Deus honoratur, a patribus nostris et praesertim a Christi Vicario traditas; id exigit bonus ordo et communis aedificatio populorum, ut sicut una fides nos coniungit, ita et unus ritus in Romana Ecclesia fratres nos esse demonstret.

CAPUT V.

DE S. RITUUM CONGREGATIONE EIUSQUE DECRETIS

17. Cum apostolo Petro eiusque successoribus in romano pontificatu comissum fuerit supremus ius in ecclesia, idcirco soli romano pontifici pertinet quoque ea omnia decernere, quae ad cultum divinum attinet. Res per se patet; si aliter esset, nempe si episcopi, ac peius si saeculares principes, aliquid possent in sacris ritibus, inaudito romano pontifice, actum esset de unitate fidei, cuius custodia a Christo concredita fuit supremo ecclesiae pastori. Quapropter, licet antiquitus episcopos aliquam facultatem in liturgia ordinanda vel etiam constituenda habuisse videatur, de tacito saltem consensu romani pontificis id evenisse tradunt unanimiter doctores.

Ceterum iam ab anno 196, cum agitata fuit controversia de die, quo Pascha erat celebranda, testante Eusebio (*Hist.*, l. 5, c. 23), ad pontificem s. Victorem I recursum est, etiam ab Asiae episcopis. Similiter s. Siricius papa anno 385 scribens ad Himerum tarraconensem episcopum, decernit baptisma extra casum necessitatis non posse conferri nisi in Paschate et Pentecoste. Item ipse Siricius in epistola ad gallicanos episcopos missa, declarat baptismum non a diaconis sed a presbiteris, nisi in necessitate, esse administrandum. Alia exempla ad rem tradi possunt ex iis quae egerunt pontifices Innocentius I (416), Caelestinus I (428), Leo I (460) et maxime Gregorius I (596). Confer Bouix *De iure liturg.*, pag. 122–133:

Ad sequiora vero tempora si deveniamus, Sedem Apostolicam magis ac magis huic de re liturgica negotio incumbentem reperimus; ita ut eam sibi demum totam quoad orientales simul et occidentales ecclesias reservet. Sanctus nempe Gregorius VII in Hispania Romanam liturgiam, sublata Mozarabica, usurpari praecipit. Alexander III beatificationis et canonizationis causas, Sedi Apostolicae in posterum reservatas decernit. Clemens IV Dominicanorum liturgiam ita determinat, ut iam in nulla re

possit absque Romani Pontificis auctoritate immutari. Orti post sanctum Franciscum de Assisio religiosorum novi ordines Romanae liturgiae mancipantur. Sanctus Pius V universali lege reformato a se missali et breviario ritus latini ecclesias (paucis exceptis) subiicit. Similem postea legem successores ejus quoad pontificale, caeremoniale, rituale et martyrologium edicunt; atque simul suas orientalibus ecclesiis liturgias, iam a nullo, praeter Saedis Apostolicae veniam, immutandas imponunt.

18. Subcrescentibus vero universalis ecclesiae negotiis opportunissime Sixtus papa V, inter alias congregationes sacras Cardinalium, quas pro ordinato et sollertiori ecclesiae regimine anno 1587 (Const. *Immensa*) instituit, illa quoque habetur, quae *Sacra Rituum Congregatio* dicta est. Huic congregationi ordinariam potestatem circa res omnes ad liturgiam spectantes tribuit romanus pontifex, et quomodo eiusdem iurisdictio determinata fuerit, ex verbis illiusmet constitutionis edoceri possumus.

« Quinque itidem Cardinales delegimus, quibus haec praecipue cura incumbere debeat ut veteres ritus sacri, ubivis locorum in omnibus Urbis orbisque ecclesiis, etiam in capella nostra pontificia, in missis, divinis officiis, sacramentorum administratione, caeterisque ad divinum cultum pertinentibus a quibusvis personis diligenter observentur; caeremoniae, si exoleverint, restituantur; si depravatae fuerint, reformentur ; libros de sacris ritibus et caeremoniis, imprimis pontificale, rituale, caeremoniale, prout opus fuerit, reforment et emendent; officia divina de sanctis patronis examinent, et Nobis prius consultis concedant. Diligentem quoque curam adhibeant circa Sanctorum canonizationem, festorumque dierum celebritatem. Controversias de praecedentia in processionibus aut alibi, caeterasque in huiusmodi sacris ritibus et caeremoniis incidentes difficultates cognoscant, summarie terminent et componant ». (Bulla *Immensa*, Bullarium Romanum, edit. Cocquelines, lib. 4, part. 4, pag. 365).

Ex illis autem verbis patet S. Congregationem Rit. circa multa ad liturgiam pertinentia, fuisse revera universali potestate seu iurisdictione instructam. Ille enim universalem habet circa res liturgicas iurisdictionem, qui in toto orbe potest difficultates quoad ritus et caeremonias cognoscere et terminare, libros liturgicos, prout opportunum existimaverit, emendare et reformare, et ubivis locorum definire quinam tenendus, quinamve rejiciendus rituum et caeremoniarum modus. Atqui diserte Sixtus V id potestatis praefatae Congregationi In dicta bulla confert.

Ordinariam autem esse hujusmodi potestatem, patet, tum ex unanimi doctorum id asserentium sententia, tum ex eo quod mortuo Pontifice et vacante Romana Sede, perseveret tribunalis illius iurisdictio, quin opus sit eam a novo creato Pontifice restitui aut confirmari.

19. De eadem congregatione agens Ferrari (Bibliot. verbo *Ritus*) haec tradit:

« Sacrorum Rituum Congregatio distinguitur in Generalem, et Ordinariam. Generali intervenit Summus Pontifex una cum Cardinalibus quotquot eidem Congregationi adscripti sunt, omnibusque ipsius Congregationis Consultoribus, atque in ea agitur de Servorum Dei virtutibus, Martyrio, aut Miraculis recognoscendis, et approbandis. Ordinariam vero constituunt soli Cardinales cum ipsis Congregationis Secretario, cum Protonotario Apostolico, et Promotore Fidei, atque in hac, praeter caetera, agitur etiam de revisione Operum conscriptorum a Servis Dei, quorum Beatificatio promovetur. Benedict. XIV, tom. 2, Constitution. 46, Incip. *Postulatum* ».

« Consultores Congregationis Sacrorum Rituum eliguntur a Summo Pontifice ex caetu Praelatorum Romanae Curiae, et ex Clero Saeculari et Regulari; Bened. XIV, *De Servorum Dei Beatificat. et Beator Canonizatione*, lib. 1, c. 26, num. 13. Consultores Congregat. Sacr. Rituum aliqui dicuntur nati, quia statim ac quoddam determinatum Officium assequuntur, intelliguntur etiam facti Consultores dictae Congregationis; et isti sunt Episcopus Apostolici sacrarii, vulgo sacrista, Protonotarius Congregationis sacrorum Rituum, tres antiquiores Rotae Auditores, auditor Summi Pontificis, Assessor Sanctissimae Inquisitionis, Magister Sacri Palatii, Secretarius Congregationis, et Fidei Promotor. Idem ibidem ».

« Item licet electio Consultorum Regularium ex una potius, quam ex alia Familia assumendorum a Summi Pontificis arbitrio dependeat, ex quo tamen electio praedicta fieri consuevit, semper aliquis assumptus est ex Familia Patrum Dominicanorum, ex Familia Minorum Observantium, et ex Familia Patrum Societatis Jesu; Praeter quos Summus Pontifex Benedictus XIII, *per suas Litteras Apostolicas in forma Brevis expeditas die 7 augusti, et die 1 octobris 1725, et die 8 augusti 1726*, statuit perpetuis futuris temporibus unum Consultorem Congregationis Sacrorum Rituum esse assumendum ex Familia Minorum s. Francisci Conventualium, alterum ex Congregatione Clericorum Re-

gularium Barnabitarum, et alium ex Ordine Servorum B. M. V. Idem ibid., num. 14 ».

« Consultores Regulares ex Decreto Clementis XII, *edito 11 maii 1733*, exceptis Personis in dignitate Episcopali constitutis, et Magistro Sacri Palatii, non possunt interesse Congregationibus, quando agitur de Causis Servorum Dei eiusdem Instituti Regularis. Idem ibid., num. 14 ».

« Consultores Congregationibus Sacrorum Rituum non possunt esse Postulatores in quibuscumque causis Beatificationis, et Canonizationis ex citato Decreto Clementis XII, 14 maii 1733. Idem ibid., num. 24 ».

20. « Officium Consultoris est, primo diligenter legere informationes omnes, summaria, scripturas tum facti, tum iuris, animadversiones Fidei Promotoris, responsiones, et replicationes, quae in causis exhibentur. Secundo, tenentur verbales audire informationes Procuratorum, Advocatorum, et Postulatorum. Tertio, tenentur accedere statutis diebus ad Congregationes quando coguntur, et in illis ferre suffragium. Quarto, tenentur inviolabile servare secretum sub poena excommunicationis latae sententiae, a qua absolvi nequeunt, nisi a Summo Pontifice, excluso quoque Majori Poenitentiario, praeterquam in mortis articulo. Quinto, debent manifestare, an oretenus, vel in scriptis sibi fuerint causae Beatificationum, et Canonizationum commendatae. Sic expresse idem cit. c. 16, num. 15, ubi num. 16, tradit formulam iuramenti ad id ab ipsis praestandi ».

« Dicti Consultores uti non possunt adiutorio alicuius familiaris pro studio causarum, nisi id eis, quae saepe saepius ratione verae indulgentiae concessa est, ita tamen, ut nec iis, nec quotquot aliis, qui uti possunt consimili adiutorio, licitum sit adhibere operam alicuius, qui sit Advocatus, Procnrator, aut Postulator Causarum Beatificationis, et Canonizationis, ex Decreto Clementis XII, die 11 maii 1733, edito. Idem ibid., num. 18 ».

« Consultores possunt Procuratoribus, et Advocatis in verbali informatione proponere difficultates absque timere violandi secretum. Idem ibid., n. 19. Debent si absunt a Congregatione, suum suffragium in scriptis transmittere in eadem Sacra Congregatione legendum. Idem ibid., n. 21, et rursus in lib. 4, *addition. ad cap. 16, Libri primi ex Decreto Clementis XII, edito 7 septemb. 1735* ». Hucusque Ferraris loc. cit

Consultores sedent cum suffragium praestant in congregationibus coram Cardinalibus; nunc autem, ex permissione ver-

bali SS. D. N. Pii Pp. X (die 12 Ianuarii 1904 qua prima vice praesedit) sedent etiam in congregatione generali coram Summo Pontifice, quia antea coram Papa omnes semper stabant, sedentibus solis cardinalibus; quando autem votum quisque est lecturus, accedit propius, et stans legit. Postquam omnes suffragati sunt, exeunt ex aula congregationis, remanentibus in ea Summo Pontifice, Cardinalibus, Protonotario Apostolico, tribus S. Rotae Auditoribus, S. Palatii Magistro, Secretario, Fidei Promotore ac duobus Magistris Caeremoniarum.

21. Nobis tamen agendum est de liturgia proprie dicta, non de sanctorum canonizatione, ideoque de iure liturgico nunc dicemus, ut nobis exhibetur a legifera rituum congregatione, scilicet de eius decretis; haec ad simplificationem citabimus per litteras S. R. C. adiecto numero quo decreta in collectione inscribuntur.

Itaque S. R. C. decreta, vim legis habent statim ac publicantur; duobus tamen primis saeculis ab eius institutione numquam prodiit aliqua authentica huiusmodi decretorum collectio. Pithonius quidem, ac post ipsum Meratus, Cavalerius et Ferraris, aliique minoris notae scriptores, indices decretorum dederunt, plus minusve copiosos in suis operibus, sed his indicibus fides scientifica tantum tribuebatur. Enimvero ab ipsa congregatione die 14 februarii 1632 latum fuerat decretum « quod in futurum non liceat imprimere decreta emanata per hanc s. c. sine licentia eiusdem in scriptis obtinenda... quod si in aliis operibus iam impressis reperiantur allegata decreta huius s. c., nulla fides eis adhibeatur, nisi fuerint subscripta a secretario ».

Sub pontifice tandem Pio VII, iussu cardinalis placentini Iulii Della Somaglia, curante clarissimo viro Aloysio Gardellini assessore, prodiit prima editio authentica decretorum, cui, ex decreto d. d. 1 Ianuarii 1808, « voluit (Pius VII) ut in iudiciis et in quacumque controversia derimenda, illorum tantummodo decretorum auctoritas valeat, quae in hac editione a se permissa et approbata continentur ». Post hanc primam, secunda ac tertia editio in lucem exivit, imo anno 1879 et aliud volumen continens continuationem decretorum ab anno 1856 usque ad 1877. Cum vero post rubricarum emendationem a Leone XIII peractam, nonnulla antiqua decreta amplius vim legis habere nequibant, anno 1898 nova decretorum collectio parata fuit, typis edita de Propaganda Fide, quam idem pontifex, ut legitur in decreto d. d. 16 februarii 1898 « apostolica sua auctoritate approbavit,

atque authenticam declaravit, simulque statuit decreta hucusque evulgata in iis, quae a decretis in hac collectione insertis dissonant, veluti abrogata esse censenda, exceptis tantum quae pro particularibus ecclesiis indulti aut privilegii rationem habeant ».

Hinc ex. gr. licet S. R. C. decretum pro ecclesia placentina datum die 30 iulii 1800, quo permittitur officium votivum SS. Sacramenti etiam tempore Passionis, non inveniatur in collectione, nihilominus, quia privilegii rationem prae se fert, adhuc in ea dioecesi viget.

Nova haec autem collectio ordine chronologico decreta, quae in tertia editione reperiuntur, exibet non paucis tamen ademptis, ut legitur in praefatione, nempe, « *a*) quae circa idem subiectum undecumque relatum saepius repetita otiose locum tenere compertum sit: vel *b*) quae per seriora responsa fuerint abrogata: vel *c*) quae secum ipsa aut cum rubricarum praescripta confligerent; vel *d*) quae post rubricarum novissimas emendationes, iure suo prorsus exciderint; vel *e*) quae mutatis rerum adiunctis careant utilitate ».

Hodie porro huiusmodi decretorum collectio citari potest, licet nonnulla decreta omissa fuerint quae, utpote non dissonantia, adhuc vim legis habere videantur.

22. Decreta vero S. R. C. alia sunt *Generalia formaliter*, alia *aequivalenter generalia*, alia demun *particularia*.

Generalia formaliter ea sunt, quae ex voluntate ipsius S. R. C., vel Summi Pontificis, conficiuntur, ac publicantur, et ad episcopos mittuntur ut cognoscantur et executioni mandentur. De his a nemine dubitari potest quod verae legis pro universa ecclesia rationem habeant. Indicantur autem in collectione sub inscriptione *Urbis et Orbis*, vel *Decretum generale*, vel *Dubium*, vel *Dubiorum*, vel *Decretum*, sine alicuius loci particularis mentione; et reapse de rebus agunt quae universam ecclesiam respiciunt, pro iis omnibus locis vel personis, quae ritum *romanum* sequuntur.

Generalia aequivalenter ea sunt, quae lata fuerunt quidem ad petitionem alicuius ecclesiae vel ordinis regularis, ac proinde sub eorum nomine inscribuntur in collectione, quia autem legem communem tangunt, et sensum rubricarum declarant, eo ipso cum lege liturgica confunduntur, ideoque omnes doctores tenent ea ex natura sua vim legis habere, et tantum extendi quantum lex ipsa declarata extenditur. Neque in casu necessaria est nova promulgatio, non enim de nova lege agitur, quae indiget pro-

mulgatione, sed de authentica interpretatione seu declaratione a legislatore facta, cui sufficit certa notitia (cf. *Acta S. Sedis*, vol. III, p. 565).

Exemplum rem declarabit. Decretum sub n. 3528 inscribitur sub nomine *Avenionen.* et ad quaesitum « An cantus Orationum in processionibus et benedictionibus SS. Sacramenti debeat esse nec ne solemnis », responsum fuit: « in functionibus extra missam, laudes et vesperas adhibeatur cantus minus solemnis ». Haec porro dispositio, non solum pro dioecesi avenionensi valet, sed pro omnibus, ibi enim declaratur Coeremonialis Episcoporum (l. 1, c. 27, n. 1) dispositio vigens ubique.

Decreta autem particularia ea sunt, quae non solum pro loco vel ecclesia particolari feruntur, sed et de re agunt speciali seu locali, de aliqua scilicet consuetudine vel facultate, vel indulto, quae illum locum vel ecclesiam tantummodo tangunt.

Ex. gr. Decretum sub n. 3697 inscribitur *Ordinis Cappuccinorum* et continet 17 dubia, quorum tertium sic se habet: « Utrum capuccini licite possint incensationes altaris perficere in missis conventualibus, quae sine ministris paratis et sine cantu celebrantur? ». Cui S. R. C. respondit: « Ad III *Negative*, ex gratia tamen permitti in missis aliqua maiori solemnitate celebrari solitis ».

Hoc autem decretum particulare esse, nemo est qui non videat; agitur enim de *gratia*, seu de concessione, quae in casu favet tantummodo ordini capuccinorum qui dubia exposuit.

23. De valore tandem suorum decretorum rogata fuit eadem S. R. C. quae approbante Pio papa IX, die 17 iulii 1846, respondit: « Decreta a S. R. C. emanata eamdem habent auctoritetem ac si immediate ab ipso Summo Pontifice promanarent, quamvis nulla facta fuerit de iisdem relatio sanctitati suae ». (S. R. C. decr. 2916).

Nec alia esse poterat responsio; namque romanus pontifex sibi propria facere intelligitur ea, quae tali apostolicae auctoritatis commissione decernuntur; quare sive accedat explicita subsequens confirmatio Pontificis, sive non accedat, decreta iuxta limites delegatae apostolicae auctoritatis emissa, illum obtinent valorem, quasi vere a summo pontifice immediate promanarent.

Quod quidem illustrari potest ex eo quod Iustinianus imperator edixit (l. 1, c. *de vetere iure enucl.* 6); committens enim idem imperator Tribuniano, iurisconsulto celebratissimo,

aliisque peritis viris, confectionem pandectarum, eisdemque facultatem interpretandi et emendandi responsa prudentum, statuit: « ut omnes, qui relati fuerint in hunc codicem prudentissimi viri, habeant auctoritatem, tamquam si eorum studio ex principalibus constitutionibus profecta, et a nostro divino fuerint ore profusa. Omnia enim merito nostro facimus, quia ex nobis eis impertietur auctoritas ».

Ad rem ergo concluditur (cf. *Acta S. Sedis*, loc. cit.) quod Decreta tam S. R. C. quam aliarum congregationum « inspecto fonte ex quo derivant, eamdem habent auctoritatem, ac si ex ore romani Pontificis prolata essent ». Quapropter, sicut non dantur Rubricae nisi *praeceptivae*, uti supra probavimus, ita et decreta prorsus praeceptiva esse tenemus, non intelligentes ea quae a nonnullis auctoribus traduntur, de *decretis directivis*.

24. Hic tandem in tyronum servitium, formulas declaramus, quae in S. R. C. responsis usitatae sunt:

I. *Affirmative*, vel *negative*, ullo sine addito, per se patent; dirimitur enim propositionis dubium definitive.

II. *Affirmative*, vel *negative, in casu*, vel *prout iacet* vel *uti proponitur*, tunc S. R. C. restringere intendit suum responsum solummodo in casu de quo agit dubium, ac proinde in aliis casibus non applicandum.

III. *In decisis*; significat responsum alias iam datum observandum esse, neque amplius esse locum interloquendi.

IV. *Ad mentem*; haec formula, adiecta ad verba affirmative, vel negative, indicat, quod ad responsum adnexa est mentis S. R. C. declaratio; aliquando mens ipsa statim exponitur per verba: *Et meus est* etc.

V. *Et amplius*; haec formula adiecta ad responsum ex. gr. *negative et amplius*, non significat, ut aliqui scriptores tradiderunt, *plus quam negative* (quasi si dici posset *negativissime*), indicat vero, rem sufficenter discussam fuisse, nec denuo reproponi posse, scilicet: *affirmative*, vel *negative et amplius* hoc dubium non reproponatur.

VI. *Affirmative* (vel *negative*) *ad I partem*; *negative* (vel *affirmative*) *ad II.* S. R. C. utitur hac formula, quando dubium propositum duas partes habeat, et per se patet.

VII. *Dentur decreta*, indicat dubium iam ab aliis decretis, quae citantur, resolutum fuisse.

VIII. *Serventur Rubricae*; clare patet quid indicat haec responsio. Cum enim S. R. C. vult ut Rubricae in casu ser-

ventur ulla sine mutatione vel additione, simpliciter dicit ut serventur.

IX. *Nihil* vel *lectum*, indicat quod S. R. C. dubium propositum non admisit.

X. *Dilata*: significat quod responsio dilata fuit ut matariori examini subiiciatur.

XI. *Facto verbo cum Sanctissimo*, adiungitur haec formula, quando agitur de immutanda aliqua rubrica, vel quando E.mi Cardinales Summi Pontificis voluntatem exquirere in casu censuerunt.

XII. *Consulat probatos auctores*, S. R. C. huiusmodi formula utitur, quando nolit rem ab auctoribus agitatam resolvere, et in neutram partem movere intendit.

CAPUT VI.

DE DIVINI OFFICII ORIGINE, EVOLUTIONE, DEQUE EIUS OBLIGATIONE

25. Nomen *officii* non solum apud philosophos, sed et apud scriptores sacros usitatum esse, docet divus Ambrosius (*De Officiis Ministr.*, l. 1, c. 8, pag. 30. Ed. Mediol. 1879) qui et vocis tradit etymologiam dicens: « Officium ab efficiendo dictum putamus, quasi efficium: sed propter decorem sermonis, una immutata littera, officium nuncupari: vel certe, ut ea agas, quae nulli officiant, prosint omnibus ».

Officium autem, iuxta latini sermonis significationem, illud est, « quod quisque efficere debet, observata locorum, temporum et personarum ratione. Unde in familia bene instituta dicimus, omnes in officio suo esse oportere, idest agere, quae debent: " ita Calepinus (*ad hanc vocem*). Hoc pro omnibus officiis in genere dicitur, praesertim vero pro officiis sacris in specie. Legimus proinde de Abraham in morte Sarae: « Cumque surgeret ab officio funeris » (*Gen.* XXIII, 3); de Aaron: « vestietur ea (tunica) in officio ministerii sui « (*Exod.* XXVIII, 35); et de filiis eius: « ut fungantur officio suo in sacris » (*Exod.* XXXI, 10); ita ut divus Ambrosius (loco citato) dicat: « Nam cum Zacharias Sacerdos obmutuisset in Templo, et loqui non posset, factum est, inquit, ut impleti sunt dies officii eius, abiit in domum suam (*Luc.* I, 23). Legimus igitur Officium dici a nobis posse ».

Omnia ergo sacra ministeria sub nomine officiorum veniunt, sed restrictiori significatione *officium* in subiecta materia iuxta Bellarminum (*De bonis operibus*, l. 1, c. 10) definitur: « Officium est certa ratio laudandi, precandique Deum, mente simul ac voce, auctoritate praesulum Ecclesiae instituta ». Congruit etiam cum Angelici doctoris documento (2, 2, quaest. 83, art. 12) ubi ait: « Respondeo dicendum, quod duplex est oratio; communis et singularis. Communis quidem oratio est, quae per ministros Ecclesiae in persona totius fidelis populi Deo offertur,

et ideo oportet quod talis oratio innotescat toti populo, pro quo profertur; quod non posset fieri, nisi esset vocalis; et ideo rationabiliter instituta est, ut ministri Ecclesiae huiusmodi orationes etiam alta voce pronuntient, ut ad notitiam omnium possint pervenire ».

26. Hoc autem vocabulum Officii divini, quo hodie communiter utimur, etiam antiquitus inveni nus fuisse commune; ait D. Hieronymus in vita Hilarionis, « psallemus, reddamus Domino officium, et sic advitam properabitis ». Et Concilium Aurelianense (an. 570), praecipit: « ad celebranda divina officia ordinem, quem Metropolitani tenent, provinciales observare debebunt ».

Aliis vero nominibus maiores hanc precandi rationem vocare consueverunt.

Psalterium nuncupatum est, quia maior pars ex psalmorum recitatione constabat; ideoque S. Hieronymus, in epistola ad Rusticum, habet: « Numquam de manu et oculis tuis discedat liber, discatur Psalterium ad verbum ».

Cursus quoque dicitur in regula 47 S. Columbani († 598) et apud Gregorium Turonensem (l. 1, *De gloria Mart.*) propter solis cursum, qui Officii divini dirigit horas. Item Alcuinus in formula Confessionis habet: « Peccavi, quod negligens fui de meo cursu, quem per horas canonicas exsolvere debui ».

Canon etiam vocabatur, ideoque Rufinus (in *Vitis patrum*, l. 3, c. 5) scribit, quod hisce verbis conquerebantur monachi cum iis, qui eos in solitudine invisebant: « Non possumus propter vos omnem Canonem psallere, ideoque repausate modicum, quia de itinere fatigati estis ». Ex hoc canonis nomine manavit vox illa *Horarum canonicarum*, per quam adhuc significatur Officium divinum.

Bäumer (*Hist. du Bréviaire*, p. 2), in veteribus scriptoribus sacris Officium divinum nomine *Missae, synaxis, sacrificii, agendae, collectae, psalmodiae* et *Pensi servitutis* vocatum se invenisse tradit; attamen aliud nomen suavissimam redolens pietatem ei tribuitur in regula S. Benedicti; in qua passim vocatur *Opus Dei.*

In ea (cap. XIX) legimus: « Ubique credimus divinam esse praesentiam, et oculos Domini in omni loco speculari bonos et malos: maxime tamen hoc sine aliqua dubitatione credamus, cum ad Opus divinum assistimus ». Cap. autem XLIII, quod sic inscribitur: *De his qui ad Opus Dei tarde accurrunt,* ita regula loquitur: « Ad horam divini Officii mox ut auditum fuerit

signum, relictis omnibus... curratur... Ergo nihil Operi Dei praeponatur ». Ex quo magis magisque certo in nobis crescere debet amor et reverentia erga tantum Opus, quod *divinum* per antonomasiam dicitur; quia est proprius actus eorum, qui Deo sunt dicati.

27. Divini Officii originem, ad apostolorum aetatem esse referendam docet card. Baronius qui (ann. 34) ait: « Quod spectat ad antiquum certis horis orandi ritum, ab Apostolis in Ecclesiam deductum. Apostoli enim ab Hebraeis accepere horas orandi, et ora tertia orantes erant in Pentecoste (Act. 2); hora sexta Petrus orabat (ib., c. 10), ad horam nonam ascenderunt in Templum Petrus et Ioannes (ib., c. 3). Media nocte orabant Paulus et Silas (ib., 16); quare easdem horas praescripsere fidelibus ». Hinc S. Augustinus (*Ep.* 1119, c. 18) ait: « De psalmis et hymnis canendis, ipsius Domini et Apostolorum habemus documenta et praecepta ».

Si autem officium consideremus sub ratione laudis divinae, originem longe augustiorem habere fatendum est. In aula enim caelesti iugis laus Deo omnipotenti extollitur in ore Angelorum, iuxta illud: « Seraphim stabant..: et dicebant Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria eius » (*Is.* VI, 3): quod passim in visionibus prophetarum, sicut et in Apocalypsi b. Ioannis Apostoli invenimus confirmatum. Ita Ecclesia Christi a canticis sanctorum civium, exemplum sumpsit divinarum laudum, quae nobis in terris agendae sunt, sicut eximie se exprimit in praeclara imagine hymni; quem canimus in festo Dedicationis.

Alto ex Olympi vertice
Summi Parentis Filius,
Ceu monte desectus lapis
Terras in imas decidens,
Domus supernae, et infimae,
Utrumque iunxit angulum.

Sed illa sedes caelitum
Semper resultat laudibus,
Deumque Trinum et Unicum
Iugi canore praedicat:
Illi canentes iungimur
Almae Sionis aemuli.

Christus Dominus Deus et homo, lapis ille angularis est, quae Ecclesiae triumphanti iungit militantem, ideoque laudes Deo optimo maximo sublatae, nihil aliud sunt, quam aliqua imitatio Caelituum laudum, quibus ex communione Sanctorum iungimur exultantes.

Card. Bona (*De div. Psalm.*, c. 1, § 2) dicit: in primo hominis ortu primum divinarum laudum excercitium spectare,

vix enim protoparentes creati fuere, admirabili pulchritudine et magnificentia rerum creatarum capti, Creatori sapientissimo canticum laudis et gratiarum actionis ex ore depromere coeperunt. Hinc ortum traxit multiformis rituum et laudum ratio apud populum Hebraeorum: hinc Abel, Enoch, Noe, Abraham, Iacob, Iob, et Moyses sua cantica duxerunt. Hinc Aaron et totus Levitarum ordo, hinc David et Salomon, hinc denique prophetae omnes Deo extulerunt laudes, et iugiter ediderunt usque ad Christum; e cuius latere profluens nova Ecclesia, idem munus Deum laudandi, statis diebus et horis per suos sacros ministros ad hoc electos, instituit. Igitur eiusmodi est nobilissima et sancta origo Officii divini.

28. Ex his, quae circa originem divini Officii delibavimus, adeo liquido eius excellentia profluit atque praestantia, ut peculiariter de ea quid disserere vix necessarium iudicemus. Ad rem tamem evidentius comprobandam, nostra facimus egregia verba cl. Mabillon (*De cursu gallicano*), §§ 71–75, in Migne, *P. L.*, 82, col. 414–416): « Quid enim aptius ad Deo debitum cultum honoremque persolvendum? aut quid ad excitandam fidelium pietatem accomodatius... quam illa ecclesiasticarum precationum institutio, sive publice sive privatim recitandae sint... quarum obligatio si nonnullis durior videtur et morosior, timendun est, ne id et divinarum rerum taedio et fastidio oriatur?... Nihil itaque Dei ministris convenientius institui poterat quam illarum precum scilicet psalmorum, lectionum s. Scripturae, orationum seu collectarum breviarium, si modo a nimia prolixitate et ab incertis historiis sit repurgatum. Id pro sua providentia identidem curarunt summi Pontifices, emendando breviarium romanum, quod aliorum exemplum esse debeat... Et quidem in ecclesiasticis officiis, « non novella audiri decet vel laevia » ut scribit Bernardus in epistola 312 ad Arremarenses, « sed certe authentica et antiqua, quae et Ecclesiam aedificent et ecclesiasticam redoleant gravitatem ». Quod si nova audire libet et causa requirit, ea recipienda, quae cordibus audientium, quo gratiora, eo utiliora reddat et eloquii dignitas et auctoris. Porro sensa indubitata resplendeant veritate, sonent iustitiam, humilitatem suadeant, doceant aequitatem: quae etiam lumen veritatis mentibus pariant, formam moribus, crucem vitiis, affectibus devotionem, sensibus disciplinam ». Ac dein, hic doctissimus ac pius benedictinus, loquens de multiplicibus officiis clericorum, nempe de iis qui vel in cura animarum, vel in scholis sunt occupati, concludit: « Haec oportet facere, sed

pias etiam precationes non omittere ..... sic nulli unquam, etiam occupatissimo, deerit otium ad Deo vacandum, si pietatis studium non defuerit ».

Nil mirum ergo, si Cardinalis Newman, anglicanis erroribus necdum abdicatis, cum Breviarium Romanum dono accepisset, statim ad illius studium animum adiecit; ex quo studio, scribit ille (*Hist. de mes opinions relig.*, p. 3) « substantiam deduxi mei Tractatus super Breviarium Romanum, cuius promulgatione amici mei stupefacti sunt. Librum hunc exinde nunquam dimisi ».

In alio autem libro (*The roman breviary*, p. 1) tradit quod in 75 *Tract for the times* anni 1836 ita excellentiam Breviarii Romani extollebat: Officium precum Breviarii, talis est excellentiae, et talis pulchritudinis, ut si Romani controversiarum disceptatores, ita sagaces et cauti fuissent, ut protestantibus illud exhibuissent prouti librum propriae Ecclesiae precum, ipsi animum cuiusque dissidentis, dummodo non praeccupati, in sui favorem induxissent.

Quam ob rem si Officium divinum iuxta alios ritus cum Romano conferamus, hac illac partes minimae forte inveniri poterunt, quibus nostro Breviario ipsae antecellunt; si autem totam eius compaginem coniunctim sumptam accipiamus, Breviarium Romanum facile ceteris praestare comperimus.

Ad rem Benedictus XIV (*De Canon. SS.*, l. 4, p. 2, c. 137, n. 5): « De Breviarii Romani praestantia, si cum ceterarum Ecclesiarum Breviariis conferatur, illustre testimonium praefertur a Grancolas, in comment. hist. in Roman. Breviar. cap. 4: Quemadmodum Romana Ecclesia ceteras omnes ordine, nobilitate, dignitate atque loco antecellit, ita et eius Breviarium principem locum obtinet inter ceteras omnes rationes, quibus in reliquis Orbis Ecclesiis recitari consuevit ».

Quod testimonium tanto pretiosius est, quanto auctor, qui illud perhibet, in Romanam Ecclesiam audacter et irreverenter scripsit, sicut constat ex eodem Benedicto XIV (ibid. n. 6).

29. Oleum et operam perderet, qui apertum praeceptum clericis impositum, recitandi divinum officium, in antiquis canonibus inquireret. Habetur quidem in iure (dist. 91, cap. *Clericus*) canon 49 concilii IV Carthaginensis, anni 398: « Clericus qui absque corpusculi sui inaequalitate vigilis deest, stipendiis privatus excommunicetur »; quo loco doctores subintelligi volunt Officii praeceptum (Cf. Billuart, *De Relig.*, art. 8, § 2, concl. 5).

Item in iure (dist. 91, cap. *Eleuterius*, et cap. *Presbyter.*) citantur canon concilii Agathensis anni 506, et epistola Pelagii II Papae (579–590), in quibus praecipitur clericis *Vigiliis vacare*, et *pensum servitutis canere*. Praeterea item citari potest canon 7 concilii Tarraconensis II, anni 517, in quo legimus; « De clero id placuit definire... ut omnis clerus diebus omnibus vesperas et matutinas celebret »; at non aperte in his canonibus, sicut et in aliis plurimis saeculo XIII anterioribus, comperitur, an praeceptum illud recitationem in communi tantum, vel etiam privatam et singularem spectet

Luculentius, ad rem nostram, sancivit Lateranense concilium anni 1216 (c. 9 *Dolentes*, t. *De Celebr. Miss.*), ubi expresse clericis praecipit: « in virtute sanctae obedientiae ut divinum Officium nocturnum pariter et diurnum, quantum eis dederit Deus, studiose celebrent pariter et devote »: sed nec in hoc de privata recitatione apertam mentionem habemus.

Porro concludendum est, concilia et constitutiones monasticas, in quibus divinum Officium a clericis et monachis recitandum esse praescribitur, non verum et explicitum praeceptum continere, sed antiquum et immemorabile praeceptum supponere, iuxta illud: « Oportet semper orare » (*Luc.* XVIII. 1). Cum enim Redemptor noster, omnibus fidelibus orandi praeceptum imposuerit, ita antiqui patres, ex apostolica traditione, clericis statis horis et forma publica orandi praeceptum dedisse, sensus Eccclesiae nos docet. Et sane Ecclesia Christi vivit eadem vita sui institutoris, « qui in diebus carnis suae preces supplicationesque offerens semper vivens ad interpellandum pro nobis », ideoque per suos ministros quotidianas preces depromit. Hinc nemo est qui non videat dignitatem nobilissimam eorum, quibus Ecclesia munus imposuit fundendi preces pro populo, ideoque clerici in hoc etiam officio successerunt apostolis qui dixerant: « Nos vero orationi et ministerio verbi instantes erimus » (*Act.* VI,4).

Quod tamen non tantum in communi, sed et singulariter clericis praecipiebatur antiquitus; citari potest Toletani concilii IV (anno 661) canonem: « Quisquis ergo sacerdos, vel subiacentium clericorum hanc orationem Dominicam quotidie, aut in publico aut *in privato* Officio praeterierit... mulctetur ».

Cum enim primis Ecclesiae saeculis, clerici omnes vitam communem ducerent, prout postea monachi tantum retinuerunt; hinc est quod raro de privata recitatione Officii divini mentionem tunc invenimus.

Quando vero Presbyteri, ad pascendum gregem Domini in pagis et villis singulatim missi fuere, quibus in locis soli habitabant, tunc certo certius et illi privatim Officium recitare tenebantur. Super quod aliud perspicuum testimonium habemus apud Reginonem (*De Eccl. disciplina*, c. 26), qui inter plures inquisitiones, quae ab Episcopis Ecclesias visitantibus faciendae erant saeculo VI, hanc quoque invenisse testatur: « Inquirant si Clericum habeat Presbyter, qui cum eo psalmos cantet. Si nocturnis horis ad matutinas laudes persolvendas surgat ».

Porro obligatio divini Officii, quod substantiam spectat, oritur ex praecepto Apostolico, in prisca traditione implicito; circa formam vero hodiernam, pro latinis romani ritus, ex praecepto s. Pii Papae V; qui in sua Bulla *Quod a nobis* d. d. 9 Iuiii 1568 haec habet: « Omni itaque alio usu quibuslibet, ut dictum est, interdicto, hoc Nostrum Breviarium, ac precandi psallendique formulam, in omnibus universi orbis Ecclesiis, monasteriis, ordinibus et locis, etiam exemptis, in quibus Officium ex more et ritu dictae Romanae Ecclesiae dici debet, aut consuevit... *praecipimus observari* ».

30. Haec autem obligatio ex triplici titulo derivat, iuxta communem sententiam (Ferraris, voce *Offic.* 18; Billuart, l. c., § 3; Ligorius, *Op. mor.* l. 4, n. 140), nempe Ordinis sacri, Professionis religiosae, et Beneficii.

Ex titulo *Ordinis sacri*, tenentur ad Officii recitationem, etiam privatam, omnes clerici in maioribus Ordinibus constituti. Quod probatur, ex constanti et universali traditione ecclesiastica, quae legem supponit Apostolicam. Iugiter enim et ubique haec lex observatur, etiam cum non levibus incommodis, ab omnibus Subdiaconibus, Diaconibus et Sacerdotibus; pessimeque habentur apud omnes ii, qui hoc pensum negligunt, gravisque culpae rei communiter iudicantur. Sententia est communis; et Basileense concilium (sess. 21) ad rem habet: « Quoscumque *in sacris constitutos* cum ad horas teneantur, admonet Sancta Synodus etc. ».

Titulo *Religionis professae* obligantur ad recitandum divinum Officium, non tantum in communi, sed etiam privatim singuli Regulares utriusque sexus, qui profitentur Religionem Choro adstrictam; exceptis tamen Tyronibus, Laicis et Sororibus conversis. Tyrones enim utriusque sexus nondum Religionem professi sunt, Laici autem et Sorores conversae, licet professi, per professionem tamen, non ad Chorum sed ad exercitia cor-

poralia et servitium monasterii recipiuntur et deputantur. Hanc sententiam communiter tradunt Theologi (V. Billuart, Ferraris et Ligorium, loc. cit.).

Quae obligatio oritur ex regula cuiusque Religionis, ad quam observandam voto se adstringunt professi, proindeque sub gravi ad eam tenentur.

Et sane, ad hoc enim Religiosi saeculum aufugerunt, ut a mundanis curis liberi, Deo magis adhaereant, et laudes persolvendi in Religione munus praecipuum habeant.

Titulo *Beneficii*, quilibet beneficiatus, sive in sacris constitutus sive non, sub gravi ad Officium recitandum tenetur, aut in choro, aut privatim, ex praecepto ecclesiastico, et ex iustitia: ita ut culpabiliter Officium omittens, sit restitutioni obnoxius, etiam ante iudicis sententiam. Sic communiter omnes doctores (V. Billuart, Ferraris, Ligorium, loc. cit.).

In concilio enim Lateranensi V anni 1517 (sess. 9) statuitur: « ut quilibet habens beneficium cum cura vel sine cura, si post sex menses ab obtento Beneficio, divinum Officium non dixerit, legitimo impedimento cessante, beneficiorum suorum fructus suos non faciat, pro rata omissione recitationis Officii: sed eos tanquam iniuste perceptos, in fabricas huiusmodi beneficiorum, vel in pauperum eleemosynas erogare teneatur. Si vero ultra dictum tempus in simili negligentia contumaciter permanserit, legitima monitione praecedente, Beneficio privetur, *cum propter officium detur beneficium*. Intelligatur autem Officium omittere quoad hoc ut Beneficio privari possit, qui per quindecim dies illud bis saltem non dixerit ». Item in Bulla S. Pii V, *Ex proximo* expresse dicitur: « Qui horas omnes canonicas uno vel pluribus diebus intermiserit, omnes beneficii vel beneficiorum suorum fructus, qui illi vel illis diebus responderent, si quotidie dividerentur; qui vero Matutinum tantum, dimidiam; qui coeteras omnes horas, alteram dimidiam; qui harum singulas, sextam partem fructuum eiusdem diei amittat... Item ille, qui firmis sex mensibus Officium non dixerit, nisi legitimum impedimentum ipsum excusaverit, grave peccatum intelligat admisisse ».

Ex quibus decretis sequitur, Beneficiatum teneri ex iustitia ad Officium recitandum, etiamsi beneficium sit tenue, dummodo tamen sit vere beneficium stricto sensu in iure acceptum, quamquam nondum fructus percipiantur, cum spe tamen percipiendi, vel etiam sine spe, ob consensum vel culpam Beneficiati.

Obligatio autem Officii recitandi incipit ab hora suscepti Ordinis Subdiaconatus, quoad Clericos; emissae professionis quoad Regulares; et possessionis adeptae quoad Beneficiatos, quam proinde citius procurare debent, ne cum culpa differatur. Ita omnes Canonistae (Gavantus, sect. 1, c. 4).

Quae obligatio omnes Clericos et Regulares quoque afficit, etiamsi degradatos, suspensos, excommunicatos, interdictos, fugitivos et apostatas, nec non carceri mancipatos, iuxta illud Iuris (cap. intelleximus, 7, *de iudiciis*): « Ne videatur de sua malitia commodum reportare »; quia in eis fundamentum remanet huiusmodi obligationis.

CAPUT VII

DE BREVIARIO ROMANO.

31. Officium divinum continetur in *Breviario.*

Sunt qui hanc vocem invectam fuisse dicunt temporibus inferioris latinitatis ad denotandum librum precum, quasi *breve-orarium* (Fornici, p. 2, c. 2). Verum, licet in lingua Ecclesiae, nihil aliud nunc significet, nisi librum in quo clericorum quotidianae preces continentur; Calepinus tamen in suo *dictionario* septem linguarum hanc vocem aureae latinitatis appellat. Immo Svetonium citat, qui de Caesare Augusto ait: « Fecit *Breviarium* totius imperii quantum militum sub signis ubique esset, quantum pecuniae in aerario ». Ceterum per se patet, Breviarium idem ac compendium significare, summarium, opus concisum, etc.

Sed altum apud veteres ecclesiasticos scriptores occurrit silentium de voce *Breviarii* iuxta significationem, quam ipsi tribuit Ecclesia, et secundum quam pluribus abhinc saeculis communiter usurpatur. Primus inter sacros auctores qui hac voce, usus sit, fuit Bernoldus Constantiensis, qui hodie (V. *Revue bénédict.*, 1891, p. 385) cognoscitur auctor operis cui nomen *Micrologus de ecclesiasticis observationibus*, et sub Gregorio VII floruit (1073-1085). Teste vero Benedicto XIV (*De Canon. SS.* l. 4, c. 13, n. 1) in magno Cassinensi monasterio codex membranaceus adservatur, tempore Alexii Comneni scriptus, ideoque circa annum 1100, in quo habentur haec verba: « Incipit Breviarium, sive ordo Officiorum per totam anni decursionem, quod quidem Breviarium totius ecclesiastici Officii Rubricas, ritus etiam et caeremonias continet tam officii recitandi ». Item. cl. Martène (*De antiq. Monach. rit.* lib. 5, c. 17, n 16) Breviarii nomen, divinorum officiorum libro inditum a Monachis putat scribens: « Huiusmodi libellos eo quod longe breviores lectiones, quam lectionarii monasterii continerent, posteris appellare Breviaria visum est ». Hinc in statutis abbatum provinciae Narbonensis,

anno 1222 promulgatis, sancitum invenimus: « Monachi in sacris ordinibus constituti, in longo itinere profecturi sine Breviario vel Psalterio non mittentur ».

Item iuxta Grancolas (*Comment. hist. in Brev. Rom.*, l. 1, c. 3): Officium divinum Breviarii nomen fortasse sortitum est, quod temporis successu idem officium valde contractum fuit praesertim apud monachos ». Siquidem, priscis Ecclesiae temporibus totum Psalterium quotidie recitabatur, et s. Benedictus ad breviorem illud formam redegit, atque ita rem composuit, ut semel tantum in hebdomada absolveretur.

Liturgistae omnes a Gavanto (sect. 1, c. 2, n. 2), non excluso D. Guéranger (*Instit. liturg.*, 2ª edit., p. 82), qui Zachariae (*Bibl. rit.*., t. 1, p. 107) auctoritatem facile secutus est, usque ad viventem Schober (*Explanatio crit. Brev.* Ratisbonae, 1891, p, 7) docent s. Gregorium VII antiquum officium contraxisse in *breve horarium*; sed hodie, novis ac diligentioribus studiis peractis, in aperto est Gregorium VII numquam officium contraxisse; scriptores enim confunderunt septimum cum primo Gregorio papa (cf. Baümer, *Hist. du Brév.*, 1905, t. 2, p. 3).

Ineunte autem saeculo decimosecundo, certo habuit contractionem, de qua testimonium nobis suppeditat Petrus Abailardus in *Epistola apologetica* adversus s. Bernardum (Migne, *P. L.*, t. 178, col. 340 *b c*), ad commodum clericorum, qui ob multiplicata negotia in Curia, longioribus precibus vacare non poterant. Sequenti saeculo Fratres Minores S. Francisci, qui apostolicis missionibus fungentes, mirabili celeritate provincias innumeras peragrati sunt, hoc Officium sic abbreviatum acceperunt ac propagarunt. In quo cum plures irrepsissent mendae, Haymo, generalis eorum minister, approbante Gregorio IX, illud expurgare studuit; eiusque forma eadem fere est ac illa quae adhuc impraesentiarum viget. Hinc est quod Rodulphus decanus Tungrensis, qui exeunte saeculo XIV floruit (Lib. *de Canonum observ.*, prop. 22) ita scribit:

« Hodie omnium credulitas et opinio divulgatur, quod nullae ecclesiae servent ordinem S. Romanae Ecclesiae, nisi Fratres Minores; nec in aliquorum, nisi in ipsorum Breviariis libris contineatur, ex eo quod B. Franciscus in regula praecipit, ut clerici faciant divinum officium secundum dictum Ordinem, ubi Breviaria haberi possunt. Huius autem rei Romae contrariam didici veritatem. Nam olim quando Romani Pontifices apud Lateranum residebant, in eorum cappella servabant divinum offi-

cium non ita complete, sicut in aliis Urbis ecclesiis collegiatis. Imo cleri cappellares sive de mandato Papae, sive ex se, officium romanum semper breviabant, et saepe alterabant prout domino Papae et cardinalibus congruebat observandum. Et huius officii ordinarium vidi Romae a tempore Innocentii III, recollectum, et istud officium abbreviatum secuti sunt Fratres Minores ». Et multis interpositis, quibus ostendit, officium Fratrum Minorum nullo modo posse dici romanum, quod ab ipsis immutatum et confusum fuit, subdit: « Sciendum tamen quod Nicolaus papa III, natione romanus de gente Ursinorum, qui coepit anno Domini MCCXXVII, fecit in ecclesiis Urbis amoveri Antiphonarios (*sic*), Gradualia, Missalia, et alios libros officii antiquos quinquaginta; et mandavit ut de caetero ecclesiae Urbis uterentur libris et Breviariis Fratrum Minorum, unde hodie in Roma omnes libri sunt novi et Franciscani ». Haec Rodulphus, qui omnia, quae spectant ad romanos ritus, ut notat card. Bona, diligentissime investigavit, eorumque vindex acerrimus fuit.

32. Hic tamen sub silentio praetermittendum non est aliud Breviarium, quod ex mandato Clementis VII, Franciscus Quignonus Cardinalis ex ordine Minorum tituli S. Crucis composuit, ac dein Paulo III dicavit sub nomine *Breviarium Romanum ex sacra potissimum Scriptura et probatis Sanctorum historiis collectum et concinnatum*. Id brevissimum erat, atque ita dispositum, ut singulae Horae tribus psalmis constarent, omissis capitulis, versiculis ac responsoriis, et in uno tantum nocturno tres lectiunculae haberentur.

Facile intellectu est, quomodo opus tam breve Cardinalis S. Crucis, clericis statim arriserit; ita ut a mense februario 1535, ad iulium usque anni proximi 1536 octo editiones eiusdem Quignoniani breviarii factae sint, nempe 2 Romae, 1 Venetiis, 1 Lugduni, 3 Parisiis, 1 Autuerpiae (cf. Bäumer, II, p. 426).

Tursellinus (*De vita S. Francisci Xav.*, l. VI, c. V) haec habet: « Nuper novum ternarum lectionum Breviarium (Sanctae Crucis dicebatur) ad occupatorum hominum levamen editum erat; eiusque usus Francisco propter occupationes ab initio concessus. Ille tamen, quamvis ingentibus curis negotiisque distentus, nunquam *permissa uti voluit licentia*; vetusque Breviarium novenarum lectionum haud paulo longius perpetuo recitavit; ut (ecce quam pium et nobis imitandum exemplar) qui iucundissime cum Deo ageret, cum eodem quam diutissime collequeretur ».

Cuius Quignoniani Breviarii usus ad quadraginta circiter

annos perseveravit; quamquam pro privata solum recitatione permissus, haud lege impositus: denique a s. Pio V per suam, qua novum Breviarium restituit, bullam, omnino abrogatus fuit.

33. Ecclesia latina ergo, ubique per orbem diffusa, proprium Breviarium possidet, quod ab omnibus et quibuscumqne ad divinum officium recitandum seu publice seu privatim obligatis adhibendum et observandum est. Hoc Breviarium sic in fronte inscribitur: *Breviarium Romanum ex decreto S. Concilii Tridentini restitutum, S. Pii V Pontificis Maximi iussu editum, Clementis VIII, et Urbani VIII* (nunc autem additur Leonis XIII) *auctoritate recognitum.* In bullis enim eorumdem Pontificum (1), quae Breviario ipsi praemittuntur, id clare praecipitur: adeo ut diversi Breviarii usu, divini officii oneri non possit satisfieri.

Ab hac lege quaedam excipiuntur ecclesiae particulares, ut Mediolanensis et Toletana, et nonnullae religiones, ut supra notavimus (n. 10), quae diversi Breviarii consuetudinem antiquiorem ducentis annis ante bullam s. Pii. V, *Quod a nobis*, d. d. 9 iulii 1568, habebant, vel exinde ex apostolico privilegio habuerunt. Diximus *ex apostolico privilegio*, nam per dictam bullam Pianam omnis facultas cessavit, quam Ordinarii saeculares regularesve circa liturgiam, etiam a ritu romano diversam, antea habere poterant.

In recitatione ergo, tam privata quam publica, divini officii, omnino adhibenda est forma Breviarii Romani s. Pio V editi, ab aliisque Pontificibus recogniti. Si quis autem alia ratione horas canonicas recitaverit, praecepto officii dicendi non satisfacit; et ultra reatum peccati, ad restitutionem etiam fructuum beneficii pro rata tenetur, si beneficiatus sit. Haec est doctrina communis scholarum, prouti satis superque probat Bouix (*De iure liturg.*, p. 5, c. 2, § 1).

Clementi VIII, ac dein etiam Urbano VIII, in suis bullis *Cum in Ecclesia* d. d. 10 maii 1602, et *Divinam psalmodiam* d. d. 21 ianuarii 1631, aperte inter alia placuit statuere, ne in Urbe deinceps imprimeretur Breviarium, nisi in Vaticana typographia, extra Urbem vero iuxta exemplar Vaticanum, et de licentia in scriptis obtinenda Inquisitorum vel Ordinariorum. Dolendum

(1) Non satis intelligitur, cur in editionibus Breviarii post annum 1882 impressis, insertum non fuerit Breve S. D. N. Leonis XIII *Nullo unquam*, post Pii, Clementis et Urbani Bullas, ex quo probe noscitur cur in fronte hodie etiam inscribatur nomen ipsius Leonis.

tamen quod temporum progressu non semper hae constitutiones apostolicae perfecte adimpletae fuerint; siquidem, exeunte saeculo decimo octavo praesertim, Breviaria et similia plurimis in locis in lucem prodiere absque ulla Ordinariorum licentia; ita ut S. R. C. gravis sui muneri esse duxerit hac super re, *Generale Decretum* emanare 2716 et 2855.

Igitur omnis typographus, qui editionem librorum liturgicorum suscipit, 1° exemplar a S. R. C. approbatum acceptumque sibi comparare debet: 2° licentiam a loci Ordinario in scriptis expetere, qua declaretur novam editionem cum authenticis concordare: 3° licentiam ipsam in fronte vel in fine voluminis imprimere; novissime enim, scilicet annis 1884, et 1898 S. R. C. Breviarii *typicas editiones* dedit, quibus omnino concordare debent sequentes editiones.

CAPUT VIII.

DE RECITATIONE DIVINI OFFICII

34. Officium divinum, ut supra definivimus « est certa ratio laudandi precandique Deum, mente simul ac voce... » Igitur de conditionibus mentis et vocis ad licitam et validam recitationem hic nobis agendum venit.

Conditio mentis duplex est, scilicet, *intentio* et *attentio*. Intentio autem requisita, ut valide officium divinum persolvatur, principaliter debet esse intentio Deum precandi; nam Officium, cum sit oratio, est profecto elevatio mentis in Deum; intentio ergo orandi, et omni quidem meliori modo, est necessaria conditio ut Officium divinum valide persolvatur. Et sane, sicuti superius demonstravimus, Ecclesia Christi propriis ministris hoc nobile onus demandavit, ut iugiter et quotidie preces supplicationesque ad Deum suo nomine funderent, propterea intentio orandi iuxta mentem et praeceptum Ecclesiae, deesse nequit, quin ipsa oratio proprie dicta desit.

Per se enim Officii recitatio actus est indifferens, vel ad cultum Dei, vel ad eruditionem: ut autem ad actum Religionis determinetur, intentio orandi requiritur. Quam ob rem qui Officium legit, ut studium in eo instituat, ut mentem suam erudiat, aut ob lucrum inde sibi emergens, sed nullam precandi intentionem habet, saltem implicitam, praecepto officii non satisfacit.

Non autem requiritur intentio *explicita* et *actualis*, sed sufficit *virtualis*, quae est motio quaedam mentis, vi primae intentionis actualis, potentiis externis impressa, qua recitatio Officii continuatur. Hanc virtualem intentionem unusquisque habet, procul dubio, in sola acceptione Breviarii, ut satisfaciat suae obligationi. Ita omnes communiter. (Cf. Gavantum, Billuart, D. Ligorium etc.).

35. Sed et requiritur etiam *attentio*, quae similiter duplex esse potest, *interna* atque *externa*. Interna habetur cum attenditur ad Deum, vel ad sensum verborum, vel ad verba; scilicet

cum mens nostra directe applicatur *ad Deum*, ut spiritu cum illo communicemus; ad *sensum verborum*, ut horum intelligentiam percipiamus; ad *verba*, ut recte illa proferamus. Licet attentio ad Deum omnium perfectior sit (et utinam semper haberetur), omnes tamen doctores, ait Ligorius, attentionem ad verba sufficere tenent, cum intentione generali colendi Deum, iuxta illud Divi Thomae (In 4, dist. 15, q. 4), qui docet: « Prima est attentio ad verba, quibus petimus, deinde ad petitionem ipsam... Et quaecumque earum attentionum adsit, non reputanda inattenta oratio; unde etiam illi, qui non intelligunt petitionis verba, ad orationem attenti esse possunt ».

Hinc est quod moniales, choro addictae, bene et valide Officium recitant, etiamsi sensum litterae non intelligant, cum nomine Ecclesiae orent. Siquidem sicut idiota, qui nihil intelligit de memoriali seu supplici libello, quem principi suo tradit, nihilo tamen secius ardentissime exoptet gratiam obtinere, quae in libello inscribitur, ita et is qui nihil intelligit de iis, quae in Breviario continentur.

Attentio vero *externa* tunc habetur, cum non ponitur actio cum attentione interna incompassibilis, ut esset fabulari, scribere, attente alios loquentes audire, vel aliud quodcumque agere valde mentem occupans. Quidquid ergo quis agat, dum Officium recitat, quod attentionem internam non distrahat, non prohibetur, neque ex eo recitatio fit invalida.

Ex quo patet, externam attentionem requiri, non per se principaliter, sed quia absque ea nequit haberi interna, quae utique omnino requiritur ad explendum praeceptum Deum exorandi. Quod si verum semper est pro precibus etiam liberis ac non debitis, ita ut oratio non detur sine devota attentione, multo magis hoc dicendum de divino officio, quod est oratio imperata.

Itaque merito a clero Gallicano, advertit Billuart (loc. cit.), confixa est haec psopositio: « Praecepto satisfacit, qui voluntarie labiis tantum, non mente orat ».

Hic locus esset agendi de distractionibus in divino Officio, super quas tamen lectores remittimus libenter ad theologos. Sat nobis sit haec subdere ex s. Ligorio (loc. cit., n. 117), qui ad scrupulos abiiciendos et ad animum levandum horas recitantium ait: « ut dicatur aliquis officio non satisfacere, non solum requiritur ut voluntarie se distrahat, sed etiam ut plene advertat se distrahere; nam alias iste, licet sponte se divertat, non tamen

sponte se divertit a recitatione... Bene enim ait Concina, has distractiones esse hominibus impossibile omnes vitare... hinc notant... alii communiter quod si quis advertens se distrahi, habet mediocrem diligentiam ad attendendum, nullo modo peccat ».

36. Officium est oratio vocalis, eius ergo recitatio vocalis profecto esse debet: ita ut absque vocis pronuntiatione, praecepto Officii non fiat satis. Sententia communis tenet, quod aliquis sonus suorum verborum, in privata recitatione audiri debet ab unoquoque recitante, nec sufficit ut mente legatur Breviarium, absque distincta verborum pronunciatione: adeo ut detruncatio vel diminutio verborum omnino arceatur:

Si autem cum socio Officium privatim quis recitet, ad validitatem sufficit, ut socium distincte audiat; neque requiritur, ut socius ipse ad Officium teneatur, et non sit distractus. Si vero cum duobus vel pluribus sociis recitetur officium, unus pro omnibus legere potest lectiones, antiphonas, capitula, et orationes. Psalmi autem, hymni ac responsoria alternis versibus, ad modum duarum partium chori, dicendi sunt, ex usu communi Ecclesiae, alioquin non fit satis.

Item dicatur de Officio recitato vel cantato in choro, ita ut prolatio verborum integra et distincta unius partis chori, perfecte ab alia parte audiatur.

Mutilatio vero et nimia praecipitatio, ita ut sensus integer non audiatur, evitanda sunt pro viribus ut praeceptum officii adimpleatur.

Ad rem iuvat hic referre quae docet Ferraris (Bibl. Can. voce *Officium* n. 97 et seq.):

« Extra chorum ipsi canonici, et quicumque alii, quando soli recitant, non obligantur tam alte loqui, et recitare, ut circumstantes possint audire, quia id nulla lex praecipit, ut testibus Gobat, tom. 1, tract. 5, num. 601. Sporer, loc. cit. num. 110, docet *Communis Doctorum*. Probabilius tamen privatim, et soli recitantes debent ita alte proferre verba; ut possint ipsimet ea audire, si non impediat propria surditas, vel tumultus, et strepitus aliorum, quia Divinum Officium est iniunctum per modum orationis vocalis. Sic cum multis docent Suarez, et Sporer, loc. cit. n. 110; Monacell. tom. 2, tit. 16, form. 1, n. 9, et alii. Sufficere autem, ut quocumque minimo sono seu voce absque syllabarum confusione verba distincte pronuncient, docent Azorius part. 1, lib. 10, cap. 11, qu. 4; Tannerus, *de Horis Canonicis* q. 1, num. 110; Layman, lib. 4, tract. 1, cap. 5, num. 6; Busem-

baum, lib. 4, cap. 2, dub. 2, art. 4, num. 2, cum Bonacina, et aliis ibi citatis; item Caramuel, Baffaeus, Baldellus apud Dianam, part. 10, tract. 11, resolut. 33, et alii, quia revera non potest exiberi lex aliqua requirens clariorem pronunciationem.

« Et hoc maxime pro Regularibus ob Privilegium a Leone X concessum Fratribus Minoribus, ut possint Horas Canonicas mentaliter persolvere, ut patet ex infrascriptis verbis dictae petitionis relatis a Rodriguez in *Bullario Regularium inter vivae vocis Oracula Leonis X*, et a Sporer, loc. cit., n. 111, ibi: " Placeat Sanctitati vestrae, ut ne Fratres mutuo se impediant in Officio Divino, aut aliis sint fastidiosi, quod, quae in ordinario iubentur dici secreto sub silentio, tam in Horis Canonicis, quam etiam in Missa, non teneantur proferre vocaliter, sed satisfaciant dicendo mentaliter aut legendo intra se per librum, quia aliqui devotius sic dicunt, et absque impedimento, et fastidio aliorum. Et eodem modo possit facere, qui dicit Officium solus, cum prolatio verbalis sit praecipue, ut ab aliis intelligatur ". Cui postulationi cum aliis simul propositis annuit Leo Papa, ut per suas litteras autenticas testatur Eminentissimus Laurentius presbyter cardinalis SS. Quatuor Coronatorum die 15 april. anno 1516.

« An autem illa verba: " Et eodem modo possit facere, qui dicit Officium solus ", debeant referri solum ad praecedentia, nimirum illa, quae in ordinario iubentur dici *secreto sub silentio*, ut *Pater*, *Ave*, *Credo*, et alia quaedam, an vero sint extendenda ad totum divinum Officium, ita ut solus extra chorum possit totum divinum Officium dicere mentaliter absque ulla pronunciatione, seu expressione, vel formatione verborum? Gravis est inter doctores controversia. Quidam enim, ut Navarrus ..... tenent, quod solus extra chorum possit totum divinum Officium dicere mentaliter, quia id suadet ratio addita in petitione: " Cum prolatio verbalis sit praecipue, ut ab aliis intelligatur ", quae ratio non tantum de illis paucis *Pater*, *Ave*, *Credo*, sed de toto Officio a solo recitando militat; alii tamen ..... tenent oppositum, teste Sporer, ubi dicit hoc privilegium, utpote vivae vocis oraculo concessum, fuisse ad Urbano VIII revocatum ».

Idem autem Ferraris (ib. voce *Oracula vivae vocis*) subdit: « Unde saltem pro foro interno valent adhuc hodie privilegia *vivae vocis Oraculo* concessa ante tempora, vel tempore Leonis X, quia dictus Leo X concessit, quod " Fratres Minores Regularis Observantiae secura conscientia possint uti omnibus a

Sede Apostolica, sive per Bullas, sive per Brevia, sive vivae vocis Oraculo concessis Privilegiis ..... additur, quod " pro maiori conscientiarum securitate omnia de novo concessit vivae vocis Oracula vere authentica ": atqui " vivae vocis Oracula vere authentica ", (ut sunt ista, utpote testificata a supradicto eminentissimo cardinali Laurentio tunc Ordinis protectore) non sunt revocata, ut expresse declarat Urbanus VIII in dicta sua secunda Constitutione allata supra sub n. 9, ergo adhuc hodie vigent ».

Et S. Alphonsus de Ligorio hoc etiam tenet (l. 4, n. 64) scribens : « Leo X concessit Regularibus (lege Minoribus) privilegium recitandi officium privatum mentaliter », et licet fateatur quod nonnulli doctores doceant hoc privilegium fuisse revocatum, quia Urbanus VIII omnia privilegia abstulit *vivae vocis oraculo* concessa, attamen cum Salmaticensibus contradicit quia « praedicta revocatio respexit tantum privilegia oretenus concessa ante s. Pium V, non autem hoc quod a s. Pio confirmatum fuit per bullam ». Et postea concludit: *Ergo recitatio privata, ubi nihil dicitur, ut ab aliis intelligatur, potest ex hoc privilegio tota mentaliter fieri.* — Scilicet Fratres Minores, qui Leonis X privilegio utuntur, privatim officium recitantes, non tenentur verba labiis proferre. Et quia clerici tertio Ordini adscripti ex concessione Pii VI (Rubr. franciscal. n. 55) officium franciscanum recitare possunt, dummodo alicui choro non sint addicti, probabilius et ipsi huiusmodi privilegio uti possunt.

Huic doctrinae S. Alphonsi non tantum subscribunt Rupertus Grueber (*De Privil. religios.* tr. 3, disp. 3, c. 3, n. 33) ac P. Piatus Montensis Ord. Capp. (*Praelect. iuris Regul.* p. 3, c. 3, q. 17), sed et E.mus Card. Gennari (Cf. *Monitore Ecclesiastico*, vol. 4, an. 1902, pag. 76 et seq.).

37. *Tempus* utile pro integra recitatione officii divini extenditur a media nocte, usque ad mediam noctem sequentem: ita ut, qui totum Officium vel notabilem eius partem in die omittit, praeceptum non adimpleat; officium enim est onus diei, ideoque in die naturali recitandum est, ut gravis culpa absit. Verum unaquaeque Hora canonica horae diei respondet, sicuti inferius dicetur, cum de singulis Horis loquemur. Hinc pro praxi, et ut vel levis culpa devitetur, iuxta communem sententiam, Matutinum cum Laudibus dici debet ante Missae celebrationem. Duae primae horae minores ante meridiem, Sexta et Nona ante horam tertiam post meridiem, Vesperae in diluculo, et Completorium

antequam dormitum itur. Quod intelligitur cum non adsit causa rationabilis, qua extante, culpa etiam levis evanescit, etsi Officium integre dicatur ante vel post meridiem, dummodo intra diem, est enim onus diei.

Ex probata consuetudine tamen in privata recitatione potest anticipari Matutinum cum Laudibus vespere diei antecedentis; ea lege tamen, ut talis recitatio non inchoetur antequam sol medium iter perfecerit a meridie ad occasum; cf. S. R. C. Decretum n. 3391; hodie tamen aliter fieri concessum esse docent passim teologi, ad quos remittimus.

In choro vero, Matutinum cum Laudibus iuxta hodiernam disciplinam summo mane cum Hora Prima canendum est: Tertia ante Missam conventualem, et reliquae post eam, exceptis vigiliis et Quadragesima, de quibus aliter docet Rubrica. Vesperae et Completorium cauuntur post meridiem hora congrua.

38. *Locus* pro recitatione divini Officii aptissimus est ecclesia vel oratorium privatum, utpote domus orationis: nihil tamen prohibet, ut alibi recitetur, dummodo locus decens et a distractionibus sit remotus.

Consuetudo enim, etiam piorum, fert ut licite Officium persolvatur, vel deambulando, aut etiam per ferrea viarum itinerans, vel in rheda, vel super equum insidendo etc. In omni enim loco videmur et audimur a Deo; proinde, dummodo debita cum attentione Officium quis legere valeat, ubique id fieri licet.

Caeremoniae vero, quas Rubricae praescribunt in recitatione Officii, puta genuflexiones, inclinationes, stationes vel sessiones, signa crucis, etc. laudabiliter in privata recitatione adhiberi possunt, de praecepto nonnisi in choro. Sententia communis.

Ordo divini Officii ille dicitur, quo diversae Horae in Breviario disponuntur, qui sub gravi omnino servandus est in chorali et publica recitatione, in privata vero servari quoque debet, sed ex causa rationabili inversio aliqua Horarum excusatur. Ita communiter docent theologi.

Interruptio recitationis per se nefas est; nihilominus, iusta interveniente causa, potest quis Horam abrumpere sine obligatione repetendi, etiamsi abruptio ad prolixum temporis spatium protrahatur.

Qui autem, etiam absque ulla causa, dividit nocturnum a nocturno per tres horas et non ultra, Laudes vero a Matutino quocumque in die tempore interposito, non peccat omnino. Sententia communis.

39. Quemadmodum de aliis Ecclesiae praeceptis, ita et de recitatione Officii dantur causae legitime excusantes, quae tres a doctoribus adsignantur, nempe: *Impotentia physica, impotentia moralis,* et *legitima dispensatio.*

Impotentia physica, ex. gr. oblivio naturalis, carentia Breviarii, caecitas, dummodo partem notabilem memoriter recitari non possit, a recitatione excusat.

Impotentia moralis iuxta doctores habetur, ex. gr. quando non potest recitari Officium absque gravi damno proprio vel alieno, aut periculo gravi. Huiusmodi est infirmitas, si, ex. gr. infirmus timeat quod recitatio ei nocebit: item gravis metus iniuste incussus, ut si sacerdos in terra degens haereticorum, timeat ne cum Breviario prae manibus deprehensus, quid mali patiatur. Ita similiter gravis ac necessaria occupatio, quae absque scandalo vel damno proximi omitti nequit: infirmorum cura, maxime grassante contagione; vel auditio confessionis magnae turbae poenitentium tempore missionum vel Paschatis. Hae causae legitimae sunt, ut quis ab Officio recitando excusetur; nihilominus in dubio, aiunt doctores, requiratur votum prudentis viri.

Dispensatio legitima, quando summus Pontifex aliquem dispensat; nam episcopus iure suo ordinario non potest, quia est lex superioris, a S. Sede tamen delegatus iure optimo potest.

Ut autem dispensatio ab episcopo vel praelato inferiori sit valida, iusta causa intercedere debet, quae pro dispensatione papali non requiritur, nisi quando in rescripto dispensationis contineatur clausula, *iusta intercedente causa*, vel simili; Papa enim, ex plenitudine potestatis etiam sine causa dispensare potest. (Cf. Billuart, loc. cit.).

CAPUT IX

DE PARTIBUS SEU ELEMENTIS DIVINI OFFICII AC PRIMO DE PSALMIS

40. Officium divinum constat tribus principalibus elementis, quae sunt *psalmodia*, *lectio* et *oratio*: de quibus aperte iam locutus est Tertullianus (*De anima*, 8) « in ecclesia inter dominica solemnia... psalmi canuntur... scripturae leguntur... petitiones delegantur... ». Et quamvis Baümer (*Hist. du Brév.* I, p. 67) non immerito censeat Tertullianum probabilius loco citato loqui voluisse de sacra synaxi eucharistica, nihilominus in eo praeclarum testimonium habemus, quod tunc temporis conventus in templis populi et cleri cum officiis, tres illas partes continentibus, fiebant.

Ad *Psalmodiam*, pertinent praesertim *Psalmi*, *Cantica*, *Hymni* et *Antiphonae*.

Ad *Lectionem*, pertinent Lectiones proprie dictae, *Capitula*, *Versus*, *Absolutiones*, et *Responsoria*.

Ad *Orationem*, pertinent Orationes proprie dictae, quibus concluditur unaquaeque hora canonica.

Sunt nonnulli, qui docent preces feriales, suffragia Sanctorum, et finales antiphonas pertinere ad elementum orationis, si bene tamen animadvertant, plane apparebit quod huiusmodi partes minores Officii, pertinent quoad antiphonas ad psalmodiam, et quoad versus ad lectionem.

Quapropter hic opportunum venit observari, quod *commemoratio* in officiis, prout videbimus suo loco, nil aliud sit nisi contractio seu compendium totius officii; hinc commemoratio fit per antiphonam, versum et orationem ut in ea habeatur aliquid de tribus elementis totius officii commemorati.

Nunc ergo de singulis huiusmodi elementis seorsim dicemus.

41. *Psalmi.* Tertia pars Sacrorum Bibliorum, apud antiquos hebraeos vocata *Ketubim*, incipit cum collectione *Laudum* seu *Tehillim*. Hanc collectionem hebraicae versiones *Psalmos*

vocant; quae vox ex graeco-latino *psallere* derivat, et nil aliud indicat nisi *lyram*, vel *citharam pulsare*, uti tradunt sacrorum bibliorum illustratores.

Reapse iuxta s. Augustinum (in *Psalm.* 4): « Psalmi dicuntur, qui cantantur ad Psalterium, quo usum esse David Prophetam in magno mysterio prodit historia ». Item alibi (in *Psal.* 67): « Inter psalmum et canticum hoc interest quod canticum ore profertur, psalmus autem visibili organo adhibito, idest psalterio, canitur ».

Psalterium autem, iuxta Ducange (*Glossarium*) « dicitur canora cythara decem chordarum coaptata, quae cum plectro percutitur ». Et s. Augustinus (in *Psalm.* 32) ita illud describit: « Cythara est lignum illud concavum, tamquam tympanum, pendente testudine cui ligno chordae innituntur, ut tactae resonent ». Canticum ergo, quod cum sonitu *psalterii* comitabatur, *psalmus* dictum est.

Psalmi vero qui in Officio leguntur, ii sunt qui sub nomine Davidis regis in veteri testamento habentur; non omnes tamen ab ipso David compositos fuisse passim docent probati auctores.

« Inter omnes preces, scribit Martène (lib. 4, c. 3), quas in divinis celebrandis officiis adhibere solet Ecclesia, principem locum sibi merito vindicare debet aureus liber psalmorum utpote qui omnes orationum species, omnes cordis pios affectus in se continent, collata humano generi beneficia cuncta in memoriam revocet, praemia virtuti promissa proponat, peccantibus terrorem incutiat, omni aetati, omni conditioni utilis existat, ut non immerito s. Nicetius episcopus in brevi libello *De Psalmodiae bono*, c. I, exclamaverit: Quid in his psalmis non invenies quod faciat ad utilitatem et aedificationem, ad consolationem humani generis, conditionis, sexus, aetatis?... Suaviter enim auditur psalmus dum canitur, penetrat animum cum delectat, facile psalmi memoria retinentur, si frequenter psallantur, et quod legis austeritas ab humanis mentibus extorquere non poterat, hi per dulcedinem cantionis excludunt. Nam quidquid Prophetae, quidquid Evangelia ipsa praecipiunt, in his carminibus suavi meditantium dulcedine continetur... Cum ergo Psalmorum liber tot gaudeat praerogativis, tot nobis exhibeat commoda et utilitates, haudquaquam sane mirum videri debet, si... ab ipsis Ecclesiae incunabulis ad divinas laudes publice celebrandas a cunctis Christianis usurpatus sit ». Ita iubet s. Paulus (I *Cor.* XIV, 26; *Ephes.* V, 19; *Coloss.* III, 16).

Hinc est quod prae aliis antiqui Testamenti libris, Psalterium fusius notis et commentariis a sanctis Patribus ecclesiaeque Doctoribus illustratum fuerit; hinc est quod sancti omnes tota voluntate, diligentia et praedilectione psalmos in Dei laudem recitare iugiter delectati sunt.

Tanta olim fuit erga psalterium, quo nomine collectio venit omnium psalmorum, reverentia, ut iuxta sacros canones nemo ad episcopatum promoveri posset, nisi totum psalterium memoria teneret.

S. Gregorius Magnus (*Epist.* lib. 4, n. 44) Ioannem presbyterum et (lib. 12, n. 6) Rusticum Diaconum episcopos ordinari prohibuit, eo quod psalmorum erant ignari. Item ad Clusinum Antistitem scribens (lib. 8, n. 34), de diacono Ioanne in Balneoregiensem episcopum promovendo, habet: « Requirendum quoque est, si in opera Dei studium habuit, vel psalmos novit ».

Toletanum concilium, anno 653 coactum (Mansi, X, 1206), canonem 8 habet: « Sollicite constituitur atque decernitur, ut nullus cuiuscumque dignitatis ecclesiasticae deinceps percipiat gradum, qui non totum Psalterium, vel canticorum usualium et hymnorum perfecte noverit » (1).

Ex quo probe noscitur, quod neque ad presbyteratum quandoque assumi quis poterat nisi Psalterium memoriter sciret. Meratus (sect. 5, c. 8, n. 1) ad rem alia refert monumenta. Quid hodie dicendum est, si clerus, ob nimiam festorum, et votivorum officiorum congeriem, ex 150 psalmis quibus constat Psalterium, quotidie legit et centies recantat nonnisi ad summum triginta!!

42. Liber Psalmorum, in primis Ecclesiae latinae exordiis in latinum sermonem translatus est, simul cum reliquis sacrae Scripturae libris: equidem tanta est huius versionis antiquitas, quod translatoris nomen ignoretur. *Versio itala* appellata est, quo nomine adhuc vocatur, et ex veteri graeca versione septuaginta interpretum expressa fuit, ut omnes docent historici. De ea s. Augustinus (*De doctr. Christ.*, l. 2, c. 15) habet: « In ipsis interpretationibus Itala ceteris praefertur, nam est verborum tenacior cum perspicuitate sententiae ». Quod certo scripsit, eo quod aliae latinae versiones, post italam prodierant, ut innuit ipse Augustinus (ibid. l. 2, c. 11).

(1) Hac de re, cf. Grisar, *Roma alla fine del mondo antico*, p. 2, pag. 574.

Antea autem idem Meratus, de secunda versione Hieronymania alloquens, dixerat: « Psalterium hoc ab Hieronymo secundo emendatum, illud idem est, quod nunc in Breviariis utitur Romana Ecclesia, et quod in corpore Sacrorum Bibliorum reperitur ».

S. Hieronymus, papae s. Damasi iussu, anno 382, novam et emendatiorem psalmorum editionem paravit, ita ut *Psalterium vetus* dictum fuerit illud quod itala versio reddebat, et *Psalterium romanum* illud quod s. Damasus, anno 383, in liturgiam invexit (Berger, *Hist. de la Vulgate,* Paris, 1893).

Huiusmodi versio s. Hieronymi, seu psalterium romanum, servata est in Breviario Romano quoad textum psalmi XCIV, Invitatorii *Venite, exultemus*, necnon pro multis RR de tempore, atque in Missali Romano, quoad *Introitus, Gradualia, Tractus, Offertoria et Communiones;* item et in Breviario Vaticanae basilicae S. Petri (cf. Baumer, I, p. 200).

S. Hieronymus autem, ad instantiam discipularum suarum Paulae et Eustochii, cum Bethlehem denuo se recepisset, alteram latinam psalmorum supra *Hexaples* Origenis ducens, versionem confecit; nam prima, ut ipsemet (Praef. in *Psalterium*) testatur, nonnisi *correctio* antiquae versionis fuerat.

Nihilominus prima hieronymiana correctio, per universam Ecclesiam propagata est; imo usque ad IX et X saeculum in Italia et in Hispania sola viguit. In Gallia autem, et in aliis transalpinis ecclesiis, usus psalterii romani, usque ad VI saeculum perduravit, nam s. Gregorius Turonensis, ut scribit Valfridus Strabo (*De reb. Eccl.*, c. 25; Migne, *P. L.*, 114, p. 957) exeunte eodem saeculo VI, secundam s. Hieronymi versionem in suam ecclesiam induxit. Tunc per totam Galliam huiusmodi correctiorem versionem episcopi acceperunt primum, unde *Psalterium Gallicanum* appellata est; quod saeculo X in Italiam quoque penetravit. Sanctus Franciscus in sua regula (Gavantus, hoc loco n. 3) fratribus suis *Officium Curiae Romanae* imponens, excepit Psalterium, quod *Gallicanum* esse voluit; nam Psalterium Romanum in Umbria iam in desuetudinem venerat. Tandem ex praecepto Tridentini Concilii s. Pius V Breviarium Romanum universae latinae Ecclesiae porrigens, ipsum *Psalterium Gallicanum* ubique imposuit, uti hodie habemus, excepta basilica Vaticana (cf. Tommasi, *Opera in Praef.*; Meratus, sect. 5, n. 3; Bäumer, 1, p. 356).

« Antequam, scribit Meratus (loc. cit.), postremam manum

nostris hisce observationibus imponam, meminisse lubet, quod divus Hieronymus in correctione et versione psalmorum ter adlaboravit. Primo Romae, quando iussu Damasi papae italicam psalmorum versionem, ex traductione LXX interpretum expressam a nonnullis mendis expurgavit, quae versio, ita emendata, statim a Romana Ecclesia recepta fuit. Secundo in psalmorum versione et correctione laboravit Hieronymus quando Bethlehem degens instantibus Paula et Eustochio admiscuit editioni LXX, editionem Theodotionis, obelis, et asteriscis notatam; de qua versione iam satis supra. Tertio denique aliam editionem Psalterii adornavit sanctus Doctor, et est illud Psalterium, quod *Hebraicum* nominatur, quia nimirum petente, Sophronio, vertit immediate ex hebraicis fontibus, quae versio extat inter opera eius; ..... Haec autem ideo recepta non fuit, quia duae priores quotidiano usu in ecclesiis frequentatae, sine magna Officii divini perturbatione, abrogari non poterant ».

43. Iuxta Radulphum (prop. 10) s. Hieronymus psalmos omnes per dominicam et ferias distribuit, et teste Baronio (An. 360) cum Romae tunc nihil fere ex psalmis in templis legeretur, Damasus papa decrevit iuxta hieronymianam distributionem recitari; scilicet, in Dominicis 18 psalmos, 12 in Matutinis ferialibus, et 9 in Matutinis festorum. Ad Horas Ambrosium secutus, distribuit idem s. Hieronymus in plures partes Ps. 118. Ceterum, extat decretum s. Gregorii Pp. VII (*De cons. dist. 5 In die*) in quo habetur: « Omnibus diebus per totum annum si festivitas est novem psalmos et novem lectiones dicimus, exceptis Pascha et Pentecoste. Aliis autem diebus 12 psalmos et 3 lectiones recitamus; in diebus Dominicis octodecim psalmos et novem lectiones celebramus ».

Distributio psalmorum, quam adhibent PP. Benedictini multum differt, ab ea qua in Breviario utitur Romana Ecclesia. Iam temporibus imperatoris Caroli Magni *Psalterium dispositum per hebdomadam* secundum romanam consuetudinem, per omnes Francorum imperii ecclesias vulgatum erat: atque Amalarius (*De ordine Antiph.* c. IV, 2: in Migne, *P. L.*, c. V, 1252) de eo loquitur. Radulphus Tungrensis (*De canon observ*; c. 10), psalterium ipsum describens, dicit, illud in duas partes esse distributum: prima, quae desinit ad Ps. 109 *Dixit Dominus*, pro officio nocturno inservit, secunda, nempe a Ps. 109 usque ad finem pro officio diurno.

Haec eadem distributio, cum nonnullis tamen mutationibus

in cappella papali inducta, statim Parisiis accepta fuit, in eademque ecclesia retenta, ita ut postea *Parisiensis* vocata sit. Eam fratres Dominicani et Carmelitae antiquae observantiae acceperunt, et adhuc viget in eorum Breviariis (cf. Bäumer, I, p. 363).

Igitur aliqui psalmi, in ritu Romano, dicuntur *matutinales* qui ante prandium in choro recitantur; alii *vespertinales* qui a prandio dicuntur. « Matutinales, ait Gavantus (hoc loco, n. 7) sunt 112, Vesperales 38, quanquam in Matutino de Sanctis et Dedicationis Ecclesiae aliquando cantantur psalmi: *Cum invocarem* et *Qui habitat* qui sunt vespertini, et in Completorio psalmus *In te, Domine, speravi*, qui est *matutinalis*. Si dividis eosdem per Horas, ad Matutinum recitantur in tota hebdomada 91 psalmos, ad Laudes 13, ad Vesperas 35, ad alias horas 11, qui faciunt summam 150 ». Ita Gavantus (hoc loco, n. 7), et recte, si revera pauca essent festa Sanctorum, prout erant tempore ipsius Gavanti. Hodie autem ut pluries innuimus ob immodicum numerum festorum, et ob officia votiva, fere iidem psalmi semper dicuntur, ita ut optanda esset vel nova distributio psalmorum, vel aliqua imminutio festorum.

Ad rem optime scribit cl. Isoard episcopus Aniciensis (*Le Saint Brèv.*, 1900, p. 8): « Breviarium hodie, non est amplius pro sacerdotibus quamplurimis unica forma precum, quae ceterarum locum teneat, inquirunt enim formulas alias, aliosque modos ut piis desideriis cordis eorum satisfaciant. Quare hoc? Procul dubio in hodierna distributione psalmorum, quorum solummodo viginti recitantur per hebdomadam, aliqui nonnisi rarissime per annum ». Imo nonnulli, nos addimus, uti ex. gr. psalmi feriales ad Vesperas, dici nunquam possunt, exceptis iis qui in Sabbato in Albis semel dicuntur per annum.

« Adhuc hodie, sequitur idem episcopus, supponitur, quod integrum Psalterium recitetur, quia in Breviario etiam nunc prostat per hebdomadam distributum, sed suppositio, revera, fundamento caret... Hoc grave est inconveniens, et gravius quam primo obtutu appareat; anima enim sacerdotis sitit, indiget variarum precum ut varias gratias a Deo exquirat; in Psalterio quidem integro, quidquid anima desiderat continetur, sed Psalterium hodie a paucis cognoscitur ». Amara quidem, sed non iniusta querimonia illius venerandi Episcopi!!

44. Amalarius (l. 4, c. 3) docet standum esse dum psalmos decantamus, quod hodie observant adhuc nonnulli Ordines religiosi. Meratus (sect. 5, c. 8, n. XI) habet: « Boherius, quamvis

dixerit ex verbis regulae s. Benedicti colligi non posse, utrum standum vel sedendum sit, quando psalmi canuntur, fatetur tamen in magnis monasteriis Sublacensi et Specus, fratres in psalmis omnino non sedisse. Quod de Sublacensi Boherius, hoc de Casinensi asserit Bernardus Casinensis: « Usque hodie, inquit, in psalmis canendis non sedent fratres in Monte Casinensi, licet alibi videam sedentes alternatim per vices, quod et ego non vitupero: istud tamen, utpote magis consonum intentioni s. Patris nostri Benedicti magis laudo ». Idem Boherius adstruit pariter, in magnis Galliae coenobiis advertisse fratres sedere dum psalmi explentur, interdum tamen fratrum medietatem in uno psalmo sedisse, aliam alternatim in alio ».

Gavantus ad rem (Sect. 10, c. 2, n. 6) docet: « Dubitatio est de psalmorum cantu, nam varia est consuetudo: aliqui stant, et hi laudabilius; alii sedent: alii ad psalmos Matutini et Laudum sedent, ad reliquos stant; alii ad eosdem psalmos alternatim stant et sedent. Unusquisque abundet in sensu suo ». Sic quidem concludit Gavantus, nam Caeremoniale Episcoporum (l. 2, c. 1, n. 7) sedendum esse docet. Solummodo coram SS. Sacramento exposito (l. 2, c 33, n. 33) dicit: « conveniens esset ut ob reverentiam tanti Sacramenti, tam Episcopus quam Canonici et omnes psaesentes, et in choro assistentes, durante officio starent semper capite detecto, et numquam sederent ».

45. Aliquid tandem dicendum de cantu psalmorum. Id in primis retinendum est, semper et ubique locorum cantum adhibitum fuisse in publicis cultus manifestationibus; compertum est ante Moysen, post Moysen, et peculiariter post reges David et Salomonem, sacerdotes et levitas antiqui foederis in cantu et musica operam navasse; imo ipse David psaltes per anthonomasiam dictus est. In Evangelio legimus, nascenti Domino, angelos cantasse laudes; Christus ipse post ultimam coenam cum apostolis suis hymnum cantavit eucharisticum; nil mirum ergo si christiani primitivi huiusmodi consuetudinem servare coeperint, praeeuntibus apostolis (*Eph.* V, 19); qui procul dubio, quod ad cantum attinet, traditioni iudaicae non valedixerant. Successores autem eorum, inter Graecos et Romanos, mores gerentes regionum, in quibus verbum Dei noviter disseminabatur, eorum cantum in cultu christiano adhibere non dedignarunt, ita ut iam saeculo VI, cantus sacer in ecclesiis quammaxime floreret ubique (cf. Bäumer, I 170).

Quoad tamen psalmorum cantum, s. Augustinus (cf. l. 10,

c. 33) habet: «De Alexandrino episcopo Athanasio saepe mihi dictum commemini, qui tam modico flexu vocis faciebat sonare lectorem psalmi, ut pronuntianti vicinior esset quam cantanti». Ex quo noscitur quod cantus psalmorum in Africa, ac forsan et Romae, ut docet Batiffol (*Hist. Brev.* p. 6), ad instar fuisse melodiae recitativae.

Nihilominus quadruplex antiquitus erat modus psalmos decantandi, scilicet *cantus responsorius*, *cantus antiphonus*, *cantus tractus* et *cantus directaneus*.

Cantus *responsorius* in eo consistebat, quod lector, seu psalmista, solus psalmum concinebat per versiculos distinctum, et chorus hos versiculos repetebat integre vel partim, post quemlibet versum a psalmista decantatum. Huiusmodi usus *respondendi* vel *succinendi* in Italia ortum habuit, et postea in Oriente quoque acceptus est. Psalmista appellabatur *Praecentor*, *Praenuntiator*, *Suggestor*, seu *Psalmorum modulator* et *phonascus*, qui ordinem lectoratus habebat, et *officium psalmistatus*, de quo vestigium adhuc habemus in Pontificali Romano. Huiusmodi cantus, ait Cabrol, (*Le livre de la prière antique*, 1900, p. 45) erat antiquissima forma precum choralium, apud Iudaeos nota.

Cantus *antiphonus;* de eo iterum dicemus cum infra de antiphonis agemus; ipse in hoc consistebat, quod post unum vel binos versiculos, aliqua musicalis phrases interponebatur, quae *antiphona*, seu *acrosticon*, dicta fuit, dum psalmus alternatim a duobus choris decantabatur. In hac forma antiphonata, chorus et populus alterna voce sine pausa decantabat, ita ut fidelium actio momentanea non esset, ut in cantu responsoriali, sed continua: preces enim antiphonatim decantatae, vicissim reddebantur a choro ad chorum (Cabrol, ib.).

Altera forma cantus *antiphoni* habebatur, qua cantores totum psalmum concinebant sine interruptione, et fideles in fine aliquem versum (antiphonam) respondebant (cf. Bäumer, I, p. 174).

Cantus *tractus* ille dicebatur quo psalmus item sine interceptione responsoriali, vel antiphona cantabatur, ita ut *tractim canere* non significaret *lente*, sed integre canere. Huiusmodi cantus psalmorum primitus in usu venit in locis in quibus ethnici noviter ad fidem conversi psalmos ignorabant, uti Cassianus et s. Hieronymus testantur (Praef. in *Reg. Pachomii*).

Cantus *directaneus, directus, in directo psallere*, oppone-

batur tribus modis praedictis. De eo agens b. card. Thomasius (*Opera*, in praef. p. 3) ait: « Directaneus sive in directum est cum totus chorus communiter canit, non alternis, sed uno veluti ore unoque concentu... Accipio hoc loco cantum, pro vocum consonantia, etsi fortasse sine speciali musicae sono ».

Huiusmodi cantus, quem exequebatur magna fidelium congregatio, nimis modulatus esse nequibat, sed facilioribus et magis notis melodiis compositus, et in eodem quasi tono insistebat; ideoque modus *symphonicus* dicebatur, ut distingueretur ab *antiphono*. Iuxta aliquos cantus directaneus nobis a Iudaeis pervenit, et etiam in Missa pro *Gloria in excelsis, Sanctus* et *Agnus* adhibitus erat (Bäumer cit., p. 176).

Quidquid autem sit de antiquis psalmos cantandi modis, usus qui adhuc ubique viget, ille est cantandi versus psalmorum a duobus choris hinc inde vicissim et alternatim. Huiusmodi usum, docet Meratus (sect. 5, c. 7, n. II) « serius introductum esse ».

46. In fine Psalmorum dicitur doxologia *Gloria Patri* etc. Haec vox ex graecis vocibus δόξα et λογία, sermonem laudatorium significat, seu glorificationem; cum ea enim glorificatur SS. Trinitas.

Huiusmodi formula laudis in honorem SS. Trinitatis, repetenda est a formula ipsa baptismatis (*Matth.* 28, 19). Iuxta Card. Bona (*Div. Psalm.* c. 16, § 6): certissimum est quod hymnus glorificationis ab Apostolis compositus, à Patribus Nicaenis auctus ab universa Ecclesia receptus est; ideo errarunt qui innixi auctoritati Socratis (*Hist. Eccl.* l. 6, c. 8 apud Migne, *P. G.* 67, 691) Flavianum monachum Antiochenum eius faciunt auctorem. Meratus docet (Sect. V, c. 4, n. 3): « Modus exprimendi primam huius hymni partem varius fuit et multiplex; primo, *Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto*: secundo, ex s. Basilio (lib. *De Spir. S.*, c. 27): *Gloria Patri et Filio cum Spiritu Sancto*; tertio, *Gloria et honor Patri et Filio et Spiritui Sancto*, ita legitur in vita s. Eugeniae, quae sub Commodo imperatore floruit; quarto, Ariani his verbis ad suae haeresis patrocinium abutentes, ita dicebant: *Gloria Patri per Filium in Spiritu Sancto*, ut colligitur ex Theodoreto (ibid.); quinto, Vigilius Papa (Epist. 1) reprehendit errorem quorumdam, qui subducta una coniunctiva syllaba, perfectum SS. Trinitatis vocabulum minuere conabantur dicentes: *Gloria Patri et Filio Spiritui Sancto* ».

Quod autem tradit Walafridus (*De Reb. Eccl.* c. 25 apud

Migne, *P. L.* 114, 955) ubi asserit, a Concilio Nicaeno doxologiam *Gloria Patri* compositam fuisse, intelligendum est de sola illa appendice: *Sicut erat etc.* quam revera in dicto Concilio additam fuisse probat Card. Bona (loc. cit.), ad obstruendum sacrilegum os Arianorum iniqua loquentium, et asserentium fuisse tempus cum Filius non erat cum Patre. In illo enim Concilio haec sanctio edita est: « Quia non solum in Sede Apostolica, sed etiam per totum Orientem, et totam Africam vel Italiam, propter haereticorum astutiam, qua Dei Filium non semper cum Patre fuisse, sed a tempore fuisse, blasphemant, in omnibus clausulis, post *Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto; Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen* dicitur: etiam nos hoc ita dicendum decernimus ».

Notat tamen Meratus (loc. cit.), quod verba *per totum Orientem* addita fuisse existimandum est, nam Walafridus (loc. cit.) testatur Graecos non dicere: *Sicut erat in principio*, sed hoc modo: *et nunc, et semper et in saecula saeculorum.*

Cl. D. Bäumer (T. 1, p. 177) citat S. Amphilocum qui, in epistola in fine Synodi Iconiensis (in Migne, *P. G.* 39, 96) ait: « Non accepimus praeceptum solummodo baptizandi, sed et docendi et Deum laudandi; ideoque glorificare debemus Patrem et Filium et Spiritum Sanctum in canticis laudationis (δοξολογίας) ». Item cum Probst tenet ex locis pluribus epistolarum apostolicarum, s. Clementis Romani, Tertulliani, Clementis Alexandrini, s. Polycarpi, s. Ignatii, Origenis et s. Basilii, huiusmodi doxologiam minorem, cum aliquibus variationibus, iam in aetate Apostolorum in usu Christianorum fuisse.

CAPUT X.

DE CANTICIS

47. *Cantica*, in officio fere eisdem legibus reguntur sicut de psalmis dictum est.

Canticum, iuxta Glossarium Du Cange, ex Ruffino Aquileiensi (in *Psalm.* 75) *est, cum cantantium chorus libertate sua utens, neque in consonum organi astrictus obsequium, hymno canorae vocis tantum exultat*; scilicet, sicut psalmus ita dicitur, quia est carmen cum instrumento psalterii; canticum sic vocatur quia est vox cantantis ore solo prolata.

Cantica in divino officio saeculo IV inducta fuere, ait Bäumer (I, 179), et s. Ioannes Chrysostomus inter psalmos a monachis decantatos notat etiam *Canticum Isaiae*.

Decem sunt cantica in Breviario Romano, septem ex antiquo, tres ex novo testamento: in Breviario autem monastico plura habentur, quia in tertio nocturno quatuor cantica, non vero psalmos monachi dicunt.

Ad Laudes semper quarto loco, scilicet ante ultimum psalmum *Laudate Dominum de coelis*, quotidie dicitur unum ex Canticis antiqui testamenti, scilicet:

In Dominica, Canticum trium puerorum *Benedicite omnia opera Domini, Dominum*, ex Daniele (c. III).

Feria II. Canticum Isaiae, *Confitebor tibi, Domine, quoniam iratus es mihi* (c. XII).

Feria III. Canticum Ezechiae: *Ego dixi in dimidio dierum meorum*, ex Isaia (XXXVIII).

Feria IV. Canticum Annae: *Exultavit cor meum in Domino*, ex libro Regum (I, c. II).

Feria V. Canticum Moysis: *Cantemus Domino*, ex Exodo (c. XV).

Feria VI. Canticum Habacuc: *Domine, audivi auditionem tuam, et timui* (c. III).

Sabbato aliud Canticum Moysis: *Audite, coeli, quae loquor*, ex Deuteronomio (c. XXXII).

Tria Cantica vero novi testamenti, dicuntur quotidie.

In fine Laudum, Canticum Zachariae, *Benedictus Dominus Deus Israel*, ex Evangelio s. Lucae (c. I).

In fine Vesperarum, Canticum B. Mariae Virginis: *Magnificat anima mea Dominum* (ib.).

In fine Completorii, Canticum Simeonis: *Nunc dimittis servum tuum, Domine* (ib. c. II).

Rubrica ait: « Alia Cantica ferialia ut in Psalterio ad Laudes non dicuntur, nisi quando fit officium de Feria extra tempus Paschale ». Cum enim psalmi qui ponuntur ad Laudes in singulis feriis non dicantur, nisi quando fit officium de feria, extra tempus Paschale, etiam cantica in eis nunquam dici possunt nisi in ipsis feriis. Excipiendum est tamen ab hac lege Sabbatum Sanctum, in quo psalmi ad Laudes non sunt de Sabbato ut in Psalterio, sicut in Feriis V et VI praecedentibus, sed proprii ponuntur; ideoque et canticum. Nam pro Sabbato in Psalterio habetur canticum Moysis *Audite, coeli*, in Sabbato Sancto autem dicitur aliud canticum Moysis *Cantemus Domino*.

Item Rubrica habet: « Canticum *Benedictus*, *Magnificat* et *Nunc dimittis* semper dicuntur suo loco ut in Psalterio ». Scilicet quotidie dicuntur, et nunquam variantur. Cantica huiusmodi *Evangelia* vocabantur ab antiquioribus, in Romanis Ordinibus, quia sunt pars textus s. Evangelii, et ideo stant omnes in choro dum haec cantica dicuntur, ut fit in Missa ad Evangelium.

CAPUT XI.

DE HYMNIS

48. *Hymnus* apud graecos dicebatur carmen in honorem Dei, ait Guyetus (l. 3, c. 5). Hinc Isidorus carmina quaecumque in laudem Dei hymnos vocat; et ipse Philo Iudaeus, de primis christianis scribens, inquit: « Non solum Christiani contemplantur, sed etiam cantica et hymnos in Dei laudem componunt vario metrorum carminumque genere concinnatos, in augustio rem ac religiosorem speciem ». Quod cohaeret doctrinae s. Pauli Apostoli, qui ad *hymnos* decantandos adhortabatur fideles, scribens ad Ephesios (V, 19) et ad Colossenses (III, 16).

Iuxta recentiores rerum liturgicarum cultores (1), iam a primaevis Ecclesiae temporibus usus invaluit hymnorum, qui forsan decantabantur etiam in liturgia; quia de iis loquuntur epistola Diognetis (circa an. 117), Theophilus Antiochenus († 181), Clemens Alexandrinus († 217), Commodianus († 305), et Methodius († 311). Etiam in s. Pauli epistolis nonnulli inveniuntur loci qui rhythmice sonant (cf. I *Tim.* III, 16; II *Tim.* II, 11-13; *Ephes.* 5, 14). Cf. Bäumer, *Hist. du Brév.*, vol. I, p. 84.

In ecclesia autem occidentali, primi omnium fuerunt Ss. Hilarius et Ambrosius, qui hymnos cantandos in divinis officiis instituerunt, ut habetur in concilio Toletano inferius citando. De hymnis a divo Ambrosio compositis, qui adhuc in Breviario adhibentur, testimonium habemus in eius vita a s. Paulino conscripta (c. 13), nec non in Confessionibus s. Angustini, qui (l. 9,

(1) Nostrae aetatis, non pauci nec parvi nominis, fuerunt auctores, qui speciali studio hymnos liturgicos illustrarunt; quos recenset Bäumer (*Hist. du Brév.*, vol. I, p. 43); scilicet Daniel *Thesaurus hymnologicus*, 5 vol. Halis et Lipsiae, 1831-1854. Fr. Mone, *Lateinische Hymnen des Mittelalten*, 3 vol., Freiburg, 1853-1856. Pimont, *Les Hymnes du Bréviaire romain*, Paris, 1874. Chevalier, *Repertorium hymnologicum*, Paris et Bruxelles, 1890; et alii; quibus adiicendi sunt: Venturi, *Gli Inni della Chiesa*, Firenze, 1880, et Semeria.

c. 7, n. 1) scribit: « Annus erat, aut non multo amplius, cum Iustina (1) Valentiniani regis pueri mater, hominem tuum Ambrosium persequeretur, haeresis suae causa, quae fuerat seducta ab Arianis. Excubabat pia plebs in ecclesia, mori parata cum episcopo suo, servo tuo. Ibi mater mea, ancilla tua, sollicitudinis et vigiliarum primas partes tenens, orationibus vivebat. Nos adhuc frigidi a calore Spiritus tui, excitabamur tamen civitate attonita atque turbata. Tunc hymni et psalmi, ut canerentur secundum morem orientalium partium, ne populus moeroris taedio contabesceret, institutum est; et ex illo in hodiernum retentum, multis iam ac pene omnibus gregibus tuis et per caeteros orbis partes imitantibus ». S. Benedictus in regula (c. 9) disposuit, ut in unaquaque hora canonica hymnus decantaretur, quem *Ambrosianum* vocat antonomastice. Similiter Rabanus Maurus (*De instit. cleric.* II, 49; *P. L.*, c. VII, 362) habet: « Hymni ex eius (D. Ambrosii) nomine Ambrosiani, vocantur, quia eius tempore primum in Ecclesia Mediolanensi celebrari coeperunt; cuius celebritatis devotio de hinc per totius Occidentis ecclesias observatur ».

Nihilominus, cum monachi facile hunc usum extra Italiam intulissent, Concilium Bracharense II, anno 563 celebratum, hymnos a liturgia proscripsit in suo canone 12, ubi legitur: « Placuit ut extra psalmos vel canonicarum Scripturarum (*supple*: libros) novi et veteris Testamenti nihil poetice compositum in ecclesia psallatur, sicut et antiquis canonibus statutum est (Harduin, *Coll. Conc.* III, p. 351) ».

Iuxta Bäumer canones antiqui hic citati, decisiones videntur esse Concilii Laodicensis anno 361 coacti. In Gallia vero, ut habemus in Concilio Turonensi pariter secundo, quod anno 567, quatuor scilicet annis post Bracharense, celebratum est, hymnorum usus probatus fuit in canone 23, in quo habetur: « Licet hymnos Ambrosianos habeamus in canone, tamen quoniam reliquorum sunt aliqui qui digni sunt forma cantari, volumus libenter complecti eos praeterea, quorum auctorum nomina fuerint in limine praenotata (Harduin, l. c. p. 365) ».

Licet igitur in peninsula hiberica, serius hymni admissi sint, in Concilio tamen Toletano IV, anno 637 coacto, in canone 13 eorum usus commendatus fuit, imo et praescriptus: « Et quia nonnulli hymni humano studio in laudem Dei atque Apostolorum

(1) Anno 386, circa festa paschalia.

et Martyrum triumphos compositi esse noscuntur, sicut hi quos beatissimi doctores Hilarius atque Ambrosius ediderunt; quos tamen quidam specialiter reprobant, pro eo quod de Scripturis sanctorum canonum vel apostolica traditione non existunt. Respuant ergo et illum hymnum ab hominibus compositum, quem quotidie publico privatoque officio in fine psalmorum dicimus: *Gloria et honor Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, in saecula saeculorum. Amen.* Nam et ille hymnus, quem nato in carne Christo Angeli cecinerunt: *Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis*, reliqua quae sequuntur ecclesiastici doctores composuerunt..... Componuntur ergo hymni sicut et componuntur et Missae sive preces, vel orationes..... Sicut igitur orationes, ita et hymnos in laudem Dei compositos Gallia Hispaniaque celebret; excommunicatione plectendi, qui hymnos reiicere fuerint ausi (Harduin, I, c. p. 583) ».

Verumtamen nonnullae Ecclesiae particulares, nempe, ut docet Martène (loc. cit.), Lugdunensis, et Viennensis in Gallia hymnos numquam admiserunt in officiis divinis. Imo in Romanis ipsis basilicis, hymni ante saeculum XII non habebantur, ut innuit Card. Tommasi (t. IV, p. 168). In Breviariis vero iuxta *Ordinem Romanae Curiae* saec. XII et XIV, pro unaquaque hora nec non in psalterio et in Officio de tempore, hymni habentur, qui et in Breviario Pii V inveniuntur ante correctionem Urbani VIII, de qua infra (cf. Bäumer, I, pp. 367 et 368).

Haec de origine et antiquo usu hymnorum. Nonnulli existimarunt, veteres Ecclesiae hymnos latinitatis puritate carere, verumtamen, scriptores christiani, qui primis saeculis Ecclesiae floruerunt, neque bonarum artium contemptores, neque litterarum parvipendentes fuere. Iuvencus presbyter, Prudentius, Sedulius, S. Ambrosius, S. Damasus, S. Paulinus Nolanus, Sidonius Apollinaris, Venantius Fortunatus atque Boetius, multa scripserunt, in quibus non solum aurea maiestas latini sermonis non desit, sed et ars metrica elegantioris formae et venustatis refulget.

Porro, quamvis S. Ambrosius suique coaevi huiusmodi venustatem non respuerent, nihilominus ipsam potius famulam voluerunt, et sensus novae religionis in hymnis eminere curarunt. S. Ambrosius idcirco dicebat: « Negligere verba debemus, pensare mysteria », et S. Gregorius: « Indignum existimo ut verba coelestis oraculi restringam sub regulis Donati ».

Ceterum hymni ecclestiastici non erat privatim legendi,

bene quidem in ecclesia canendi; ideoque pro ipsis construendis metrum iambicum elegerunt scriptores, ita ut unaquaeque strophes quatuor constaret versiculis, utpote ad cantandum alternatim in choro facilioribus. Cum autem, ut servaretur quantitas in syllabis longa vel brevis, quam latini ex graecis mutuarunt, saepe saepius verba essent varianda; et cum a christianis poetis, verbum ipsum, ideam fideliter magis significans, negligendum non esset, maxime in versiculis brevioribus, prosodiae regulas ipsi potius deseruere, et formam liberiorem adhibere coeperunt, et ita christiana poesis non *metrica*, sed *rhythmica* praesertim evasit.

Quapropter iam suo tempore ven. Beda (*de re metrica*) de sacra hymnodia scribens, aiebat: « Rhytmus sine metro esse potest, metrum vero sine rhythmo non potest. Quod liquidius ita definitur: metrum est ratio cum modulatione; rhythmus modulatio sine ratione ». Ac dein loquens de hymnis S. Ambrosii habet: « Hymnos quos choris alternantibus canere oportet, necesse est singulis versibus ad parum esse distinctos, ut sunt omnes Ambrosiani ». Ambrosius enim ea ratione hymnos suos confecit, ut versiculus quisque sensum expletum contineret, et sic facilius choraliter populus eos decantaret. Sequentibus autem saeculis, alii sacri scriptores in hymnis conficiendis novum aliquod elementum induxerunt, et eo devenerunt, ut amota prorsus quantitate metrica, solam syllabicam mensuram retinuerint, quae cum melodica decantatione acceptabilior reddebatur, quam antiqua latinorum prosodia.

Itaque sacra Hymnographia Christiana, per duodecim saecula iter suum invariatum cucurrit, ex ore hominum infinitorum cuiusvis aevi et nationis prolata, magis quam Homeri antiquae rapsodiae. Quod si Horatiani styli elegantia illi defuit, nihilominus artem exhibet, rudem quidem, si placet, excellentiorem tamen, qua et sensus supernae fidei ac amoris ardentis, cum divinis laudibus christiana plebs historiam humanae redemptionis, triumphos martyrum, gloriam Sanctorum, et spem sepulchri decantat.

Igitur, sicut docti viri summo studio colunt et quaerunt monumenta antiqua architecturae christianae, quae ubique usque ad saeculum XIV pietas patrum excitavit, licet nec Parthenonis, nec Pantheon formas referant, ita et liturgicam hymnodiam antiquam peramanter excolere nil vetat omnino.

49. Haec nobis dicenda erant priusquam de Urbani VIII hymnorum reformatione loqueremur.

Qui enim, ut evenit saeculo praesertim XVI et XVII, non novit nisi auctores classicae latinitatis, habere non potest, nisi ut *barbariem*, hymnodiam, in qua rhythmus consistit in ictu arsis et thesis, ait Baümer (vol. II, p. 390). Hinc Urbanus VIII, cum eximius esset litterarum et carminum cultor, sui temporis influxus sensit magnopere, ideoque suasione quoque permotus virorum, alioquin piorum, hymnos Breviarii ad regulam metricam reddere decrevit. Ite legimus in eius Bulla *Divinam psalmodiam*, quae habetur in Breviario Romano: « Iussu nostro aliquot eruditi et sapientes viri suam serio curam contulerunt, quorum diligentia studioque perfectum opus est, quod gratum omnibus, Deoque et sanctae Ecclesiae honorificum fore speramus; siquidem in eo Hymni (paucis exceptis) qui non metro, sed soluta oratione, aut etiam rhythmo constant, vel emendatioribus codicibus adhibitis, vel aliqua facta mutatione, ad carminis et latinitatis leges, ubi fieri potuit, revocati; ubi vero non potuit, de integro conditi sunt, eadem tamen, quoad licuit, servata sententia ».

Non unum iudicium datum est a scriptoribus ecclesiasticis huic Urbanianae hymnorum emendationi. Clar. Guyetus laudibus eam extollit dicens (l. 3. c. 5, qu. 2): « Quam emendationem qui respuunt, quibuscumque ducti rationibus, parum se Ecclesiae decorem diligere probant; cumque in profanis tantum forte ipsi concinnitatem et elegantiam exigant; quis non miretur, eos in sacris, quibus nihil non summum tribui decet, sordes, vilesque quisquilias tam studiose prosequi? » Et sequitur proponens ut et singulae Ecclesiae hymnos suos proprios, si mendosi fuerint, instaurent.

Gavantus (hoc loco, n. 9), qui correctioni Breviarii tam sub Clemente quam sub Urbano interfuit, propriam opinionem hac in re non depromit, ait enim: « Praedictos hymnos emendavit tandem SS. D. N. Urbanus VIII, correctis falsis syllabis ultra nongentas, et mutatis ideo principiis hymnorum ultra triginta anno 1629, quos et laudavit S. R. Congregatio die 17 Martii eiusdem anni. Intactos reliquit tres de SS. Sacramento ratione ethrusci ritus, quo Auctor S. Thomas eos composuit; hymnum item *Ave maris stella*, quae est soluta potius oratio, aliquibus incisis partita, et hymnum Angelorum ad Vesperas, qui sine labe fuit, et paucos alios ».

Meratus (ibid. n. V.) habet: « Ad hymnos corrigendos adhibuit praefatus Pontifex tres lectissimos Societatis Iesu vi-

ros (1) ac politiorum literarum bene peritos, et hi fuerunt Famianus, Strada, Tarquinius Gallucius et Hieronimus Petruccius, quorum laborem magni omnino faciendum esse, adstruit clarissimus vir Theophilus Raynaudus, tom. II, punct. 2, pag. 12 »... Et postquam verba retulerit Guyeti quae supra nos ipsi adduximus, sequitur: « Henricus tamen Valesius acerrimam censuram ferre ausus fuit contra praefatam hymnorum emendationem, eosque male compositos, atque adversus communem hominum sensum depravatos existimat; sed huiusce auctoris censurae nimis severae aurem praestare non possumus ».

Bäumer (ibid.) non inepte notat, correctionem Urbanianam ortum praecipue habuisse ex eo, quod saeculo XVII prorsus ignorabantur regulae poësis rhytmicae, ideoque hymni ex. gr. S. Thomae Aquinatis dicebantur *Etrusco rhythmo* scripti.

Ceterum, subdit Bäumer (ibid. p. 292) facilitas, simplicitas ac popularis nobilitas in hymnis disparuit; *accessit latinitas et recessit pietas*. Hodie tamen, ex quo in archigymnasiis quamplurimis, in quibus a laicis etiam summo studio praediliguntur scriptores sacri inferioris latinitatis, hymni quoque eiusdem aetatis maxima aestimatione habentur, ita ut multi ex hodiernis

(1) Tribus lectissimis Societatis Iesu viris a Merato citatis, quartus adiicendus est, nempe Matthias Sabiewski polonus († 1640), ut refert Bäumer (ibid.), qui ex carminum elegantia, Horatio comparatus fuit ab Hugone Grotio. Hinc est, quod ut plurimum, praecipuam in hymnorum correctione partem habuisse Patres Societatis Iesu traditur; ita ut Faustinus Arevalo, et ipse eiusdem Societatis Sacerdos in sua *Hymnodia hispanica*, § 28 (in MIGNE, *P. L. ante Prudentii opera*) nec non Pimont O. S. B. (*Les Hymnes du Brév. Rom.*, Paris, 1874-84), aperte doceant, Urbanum VIII non auctorem correctionis, sed illius inspiratorem tantum extitisse. Cl. Tiraboschi (*Istoria della letterat. ital.*) ubi agit de scriptoribus, qui ineunte saeculo XVII floruerunt, de Urbano VIII scribit tamen hymnorum correctorem praecipuum fuisse, quamquam, ut eruitur in sua bulla *Divinam psalmodiam*, talis apparere noluerit. Quae Tiraboschi opinio, hodie certissima est, nam Venturi (*Gli inni della Chiesa*, edit. III, 1880) quamdam edidit epistolam praedicti Famiani Stradae, Urbano VIII missam, in qua manifeste apparet, hunc pontificem operam propriam in hymnorum correctione impendisse. Quapropter moderanda nunc est censura plurimorum, qui, hac de re agentes, aiunt Patres Societatis Iesu plus aequo processisse in hymnis corrigendis, ac sub praetextu ipsos restaurandi iuxta metricae et boni sermonis regulas, venerandae antiquitatis operam deturpasse (cf. BATIFFOL, p. 263).

liturgiae cultoribus totis viribus antiquam formam hymnorum defendant, atque eorum restaurationem desiderent (cf. Bouix, *De iure liturgico*, part. VI, c. II, § V, nota). Haec forsan restitutio hymnorum ad primaevam formam suam necessario erit introducenda, quando in Vaticana typographia, Hymnarium quoque iuxta cantum traditionalem, iussu Pii Pp. X imprimendum erit.

Hoc autem eo magis desiderandum est, quia in ipsa Vaticana Basilica, in Breviario *Capellae papalis*, apud universum Ordinem S. Benedicti, sicut et apud Cartusianos, Cistercienses, Dominicanos, Carmelitas, antiquae observantiae, ac Praemonstratenses Canonicos, hymni antiqui servati sunt.

50. Lectores nostri certo certius, antequam historiam hymnorum deseramus, nomen auctoris cuiusque hymni scire cupient; en ergo syllabus hymnorum, qui in Breviario Romano nunc inveniuntur, addito auctorum nomine:

I. — In Psalterio.

1. In Dominica ad Matutinum:
   Primo die quo Trinitas. S. Gregorius I Papa † 604.
2. *Nocte surgentes.* Id.
3. In Dominica ad Laudes:
   Aeterne rerum conditor. S. Ambrosius Mediolanensis Episc. † 397.
4. *Ecce iam mortis.* S. Gregorius.
5. Ad Primam: *Iam lucis.* S. Ambrosius.
6. Ad Tertiam: *Nunc, sancte.* Id.
7. Ad Sextam: *Rector potens.* Id.
8. Ad Nonam: *Rerum, Deus.* Id.
9. Feria II, ad Matutinum: *Somno refectis.* Id.
10. » ad Laudes: *Splendor paternae.* Id.
11. Feria III, ad Matutinum: *Consors paterni.* Id.
12. » ad Laudes: *Ales diei.* Prudentius praefectus praetorii in Hispania † 413.
13. Feria IV, ad Matutinum: *Rerum creator.* S. Ambrosius.
14. » ad Laudes: *Nox et tenebrae.* Prudentius.
15. Feria V, ad Matutinum: *Nox atra rerum.* S. Ambrosius.
16. » ad Laudes: *Lux ecce surgit.* Prudentius.
17. Feria VI, ad Matutinum: *Tu Trinitatis.* S. Ambrosius.

18. Feria VI, ad Laudes: *Aeterni caeli.* S. Ambrosius.
19. Sabb. ad Matutinum: *Summae Parens.* Id.
20. » ad Laudes: *Aurora iam.* Id.
21. Dominica ad Vesperas: *Lucis creator.* S. Gregorius.
22. Feria II, ad Vesperas: *Immensae caeli.* S. Ambrosius.
23. » III, » *Telluris almae.* Id.
24. » IV, » *Caeli, Deus sanctissime.* S. Ambrosius.
25. » V, » *Magnae Deus.* Id.
26. » VI, » *Hominis supernae.* Id.
27. Sabbato, » *Iam sol recedit.* Id.
28. Ad Completorium: *Te lucis ante.* Id.

II. — In Proprio de Tempore.

29. In Adventu, ad Vesperas: *Creator alme.* S. Ambrosius.
30. » ad Matutinum: *Verbum supernum.* Id.
31. » ad Laudes: *En clara vox.* Id.
32. In Natali Domini: *Iesu, Redemptor.* Id.
33. » *A solis ortu.* Sedulius, presbyter † 430.
34. Ss. Innocentium: *Audit tyrannus.* Prudentius.
35. » *Salvete flores.* Id.
36. Epiphaniae: *Crudelis Herodes.* Sedulius.
37. » *O sola magnarum.* Prudentius.
38. In Quadragesima, ad Vesperas: *Audi, benigne.* S. Gregorius.
39. » ad Matutinum: *Ex more docti.* Id.
40. » ad Laudes: *O sol salutis.* Anonimus IX saec.
41. Temp. Passionis, ad Vesperas: *Vexilla regis.* S. Fortunatus, episcopus Pictaviensis † 600.
42. » ad Matutinum: *Pange, lingua... lauream.* Claudianus Mamertus, presbyter Viennensis † exeunte saec. V.
43. » ad Laudes: *Lustra sex.* Id.
44. Temp. Paschali, ad Vesperas: *Ad regias Agni.* S. Ambrosius.
45. » ad Matutinum: *Rex Sempiterne.* Id.
46. » ad Laudes: *Aurora caelum.* Id.
47. Ascensionis: *Salutis humanae Sator.* Id.
48. » *Aeterne Rex.* S. Gregorius.
49. Pentecostes: *Veni, creator.* Carolus Magnus, imperator † 814 (cf. Guéranger, *Année liturgique*).
50. » *Iam Christus astra.* S. Ambrosius.

51. Pentecostes: *Beata nobis gaudia.* S. Hilarius Pictaviensis † 367.
52. SS. Trinitatis: *Summae Parens.* S. Ambrosius.
53. » *Tu, Trinitatis.* Id.
54. Corporis Christi, ad Vesperas: *Pange, lingua... Corporis.* S. Thomas Aquinus † 1274.
55. » *Sacris solemniis.* Id.
56. » *Verbum supernum.* Id.

III. — In Proprio Sanctorum.

57. Immacul. Conceptionis B. M. V.: *Praeclara custos virginum.* Anonymus saeculi XVII.
58. SS. Nominis D. N. I. C.: *Iesu, dulcis memoria.* Abbatissa quaedam Ord. S. Benedicti, quae saeculo XIV floruit (Guéranger, *Année liturgique*).
59. » *Iesu, rex admirabilis.* Eadem.
60. » *Iesu, decus angelicum.* Id.
61. Cathedrae S. Petri: *Quodcumque in orbe.* S. Paulinus Aquileiensis † 431, vel Elpis, uxor Boetii † 524.
62. » S. Petri: *Beate pastor.* Id. vel ead.
63. Conversionis S. Pauli: *Egregie doctor Paule.* Id, vel. ead.
64. S. Martinae: *Martinae celebri.* Urbanus VIII † 1644.
65. » *Tu natale solum.* Id.
66. Ss. VII Fundatorum: *Bella dum late.* P. Eugenius Polletti Ord. Servorum B. V. M. Rmus Vincentius Tarozzi emendavit. Ambo adhuc vivunt.
67. » *Sic patres vitam.* Id. id.
68. » *Matris sub almae.* Anonymus saeculi XVIII, id. Rmus V. Tarozzi emendavit.
69. S. Ioseph: *Te, Ioseph, celebrent.* Anonymus saeculi XVII.
70. » *Caelitum, Ioseph.* Id.
71. » *Iste, quem, laeti.* Id.
72. VII Dolorum B. M. V., *Stabat Mater dolorosa.* Iacobonus a Tuderto O. M. † 1306.
73. S. Hermenegildi M.: *Regali solio.* Urbanus VIII.
74. » *Nullis te genitor.* Id.

75. S. Venantii M.: *Martyr Dei Venantius.* Anonymus saeculi XVII.
76. » *Athleta Christi.* Id.
77. » *Dum nocte pulsa.* Id.
78. Sacri Cordis Iesu: *Auctor Beate.* Anonymus saec. XVIII.
79. » *En ut superba.* Anonymus saec. XVII.
80. » *Cor, arca legem continens.* Id.
81. S. Iulianae Virg.: *Caelestis Agni nuptias.* Fr. Laurentini, florentinus † 1719.
82. S. Ioannis Baptistae: *Ut queant laxis.* Paulus Diaconus Aquileiensis O. S. B. † 774.
83. » *Antra deserti.* Id.
84. » *O nimis felix.* Id.
85. Ss. Petri et Pauli: *Decora lux.* Elpis, uxor Boetii.
86. » » *Beate Pastor Petre.* Eadem.
87. Pretios. Sanguinis D. N. I. C.: *Festivis resonent.* Anonymus saeculi XVIII.
88. » » *Ira iusta conditoris.* Id.
89. » » *Salvete, Christi vulnera.* Id.
90. Ss. Cyrilli et Methodii: *Sedibus caeli.* Leo XIII † 1903.
91. » » *Lux o decora.* Id.
92. S. Elisabeth Viduae: *Domare cordis impetus.* Urbanus VIII.
93. » » *Opes decusque.* Id.
94. S. Mariae Magdalenae: *Pater superni luminis.* Card. Robertus Bellarminus † 1621.
95. » *Maria castis osculis.* S. Odo Ab. Cluniacensis † 942.
96. » *Summi Parentis unice.* Id.
97. S. Petri ad Vincula: *Miris modis.* S. Paulinus, vel Elpis.
98. » *Quodcumque in orbe.* Id. vel eadem.
99. Transfigurationis Domini: *Quicumque Christum.* Prudentius.
100. » » *Lux alma, Iesu.* S. Bernardus Ab. Claravallensis † 1152.
101. VII Dolorum B. M. V.: *O quot undis.* Anonymus saec. XVII.
102. » » *Iam toto subitus.* Id.
102. » » *Summae, Deus, clementiae.* Id.
104. S. Michaelis Arch.: *Te, splendor.* Rabanus Maurus, Episc. Maguntinus † 856.
105. » *Christe, Sanctorum.* Id.

106. Solemn. S. Rosarii: *Caelestis aulae nuntius.* Fr. Thomas Ricchinius Cremonensis, Ord. Praed., Secret. Congr. Indicis, qui floruit medio saec. XVIII.
107. » » *In monte olivis consito.* Id.
108. » » *Iam morte victor obruta.* Id.
109. » » *Te gestientem gaudiis.* Id. Fr. Eustachius Sirena Ferrariensis, Ord. Praed., qui floruit exeunte saec. XVIII.
110. Ss. Angelorum Custodum: *Custodes hominum.* Card. Bellarminus.
111. » » *Aeterne rector siderum.* Id.
112. S. Theresiae: *Haec est dies.* Urbanus VIII.
113. » *Regis superni nuntia.* Id.
114. S. Ioannis Cantii: *Gentis Polonae.* Anonymus saec. XVIII.
115. » » *Corpus domas ieiunii.* Id.
116. » » *Te deprecante, corporum.* Id.
117. Omnium Sanctorum: *Placare, Christe.* Anonymus saec. IX (Rabanus Maurus?).
118. » » *Salutis aeternae dator.* Id.

IV. — In Communi Sanctorum.

119. Apostolorum: *Exultet orbis gaudiis.* Anonymus saec. IX-XIV.
120. » *Aeterna Christi munera.* Anonymus V saec.
121. » *Tristes erant apostoli.* S. Ambrosius.
122. » *Paschale mundo gaudium.* Id.
123. Unius Martyris: *Deus, tuorum militum.* Id.
124. » *Invicte martyr.* Anonymus saec. IX-XIV.
125. Plurimorum Martyrum: *Sanctorum meritis.* Anonymus saec. VI-IX.
126. » » *Christi profusum sanguinem.* Anonymus saec. V.
127. » » *Rex gloriose martyrum.* Anonymus IX-XIV saeculi.
128. Confessorum: *Iste Confessor.* Anonymus IX-XIV saeculi (1).
129. Conf. Pontificis: *Iesu, Redemptor.* Id.

(1) Ferunt, hunc hymnum *Iste confessor*, in honorem S. Martini Ep. Turonensis fuisse primitus conscriptum.

130. Conf. non Pontificis: *Iesu, corona celsior.* S. Ambrosius.
131. Virginum: *Iesu, corona, Virginum.* Id.
132. » *Virginis proles.* Anonymus saeculi IX–XIV.
133. Nec Virginum nec Martyrum: *Fortem virili pectore.* Silvius Antonianus, Cardinalis † 1603.
134. Dedicationis Ecclesiae: *Caelestis Urbs Ierusalem.* Anonymus saeculi IX–XIV.
135. » » *Alto, ex Olimpi.* Id.
136. De B. Maria V.: *Ave, maris stella.* Fortunatus.
136. » *Quem terra, pontus.* Id.
138. » *O gloriosa Virginum.* Id.

Confer Bernard (*Le Bréviaire Romain*, 1887, pag. 236–247), et Maugère (*Le Bréviaire Romain commenté*, pag. 290).

51. *Hymni semper dicuntur in qualibet hora*, ait Rubrica, quaelibet enim hora canonica divini officii hymnum habet, licet non in eadem parte cuiusvis horae, ut infra dicitur. Etsi Laudes horam non constituant a Matutino distinctam, nihilominus hoc loco divisim quasi sumuntur, nam et in Laudibus hymnus dicitur, semper diversus tamen ab hymno Matutini.

In choro autem, semper stando hymnos decantamus, nam, iuxta Amalarium (l. 4, c. 3), hymni significant maiestatem sacramque laetitiam.

In minoribus horis, nec non in Completorio, hymni numquam variantur, in reliquis vero horis variantur, sumunturque vel in Proprio de Tempore, vel in Proprio Sanctorum, vel de Communi.

Excipe horam Tertiam in festo et per Octavam Pentecostes, in qua dicitur hymnus *Veni Creator Spiritus* loco consueti *Nunc Sancte*, in memoriam adventus Spiritus Sancti Paracliti super Apostolos in caenaculo.

In triduo autem maioris Hebdomadae cum celebremus exequias mortis Christi, ut ex Ruperto docet Gavantus (Sect. 6, c. 13, n. 4), hymni, qui laetitiam denotant, tacere debent. In Paschate vero bene iubilare decet, idcirco hymnorum decantatio per se non prohiberetur; quoniam vero in signum laetitiae officium paschalis hebdomadae multum abbreviatur, et in unaquaque hora, solemniter decantatur ℣. *Haec dies, quam fecit Dominus, exultemus et laetemur in ea*, hic tenet locum hymni.

52. Iuvat hic referre regulam particularem circa hymnos proprios quam tradit Rubrica: « Quando in aliquo festo adsint tres hymni proprii historici eiusdem metri, et hymnus proprius

in primis Vesperis dici nequeat, tunc hic hymnus dicitur ad Matutinum, hymnus Matutini ad Laudes, ac hymnus Laudum ad secundas Vesperas; si vero secundae Vesperae non sint de hoc festo, tum hymnus Vesperarum coniungitur cum hymno Matutini sub unica conclusione ». Haec Rubrica usque ad sequentem N. 4, inducta est in novissima Rubricarum emendatione, nihilque est aliud, quam applicatio S. R. C. decreti n. 2314 (ad Tit. XX).

Notandum vero est, hanc novam Rubricam praescribere praedictam hymnorum commutationem quando hymni ipsi sint *historici*, et *eiusdem metri*; quae tamen conditiones procul dubio exigendae sunt quando hymni omissi coniungendi sint cum aliis ut infra dicetur; quando vero non *coniungendi* sint, sed tantum commutandi, tunc necesse non est ut sint historici et eiusdem metri. Ratio est quia S. R. C., suo decreto 29 iulii 1904, *Ord. Fr. Min. Prov. Angl.*, declaravit, partes Officiorum proprias, in casu impedimenti non esse omittendas, ita nempe ut in festo primis Vesperis carente, antiphonae in hisce Vesperis propriae ponendae sint in secundis Vesperis, omissis antiphonis quae secus ex Laudibus forent repetendae. Ergo et in casu in hac Rubrica praeviso; porro, si hymnus proprius in I Vesperis impediatur, licet *non sit eiusdem metri* cum aliis qui in eodem Officio dicuntur, *neque historicus*, ad Matutinum erit ponendus, et hymnus Matutini ad Laudes.

Quod omnino hodie tenendum est, ex dispositione quoque alterius S. R. C. decreti d. d 12 martii 1905, *Congr. Eremit. Camaldul. Montis Coronae*, in quo ad V, disponitur: hymnos proprios, deficientibus Vesperis, esse transponendos, licet in casu proposito non essent eiusdem metri. Agebatur enim de Officio Commemorationis Passionis D. N. I. C. in quo hymnus Vesperarum est Asclepiadaeus, Matutini Sapphicus, et Laudum Iambicus. Igitur hic locus Rubricarum novissime reformatus, hac lege nunc est intelligendus, ad tramitem decretorum 29 iulii 1904, et 12 martii 1905; et reapse in Rubricis specialibus propriis locis in Breviario inductae sunt opportunae emendationes.

Notandum tamen, pro festo S. Venantii, *ad litteram* huiusmodi legem non esse excipiendam; cum enim hymnus Laudum inchoetur per verba: *Dum nocte pulsa lucifer – Diem propinquam nuntiat – Nobis refert Venantius – Lucis beatae munera*; hinc manifesto intenditur tempus aurorae, qua illucescente solebant olim Laudes persolvi. Hymni porro allusionem temporis, seu potius horae diei, continentes, qua partes divini Officii erant

in primaeva Ecclesia consuetae recitari, nequeunt prorsus a respectiva hora canonica seiungi ad aliamque transferri, in qua nec realiter nec per fictionem iuris allusio temporis remaneat vera. Prouti namque ridiculum esset si hymnus *En noctis medium, surgite propere* ad Matutinum in festo S. Gabrielis Archangeli sub die 24 martii, diceretur in Laudibus aut Vesperis, ita incongruum pariter foret si hymnus *Dum nocte pulsa lucifer* auraram respiciens, transferretur ad II Vesperas, in quibus vel de facto, vel per fictionem iuris non utique illucescere dies, at advesperascere, et sol in occasum vergere potius agnoscitur.

Quibus de causis, praefata specialis Rubrica S. Venantii in pristinam formam reducenda esset omnino, uti habetur in editione typica Ratisbonensi breviarii nempe. « Si hoc festum alia die celebrari contigerit, et in I Vesperis non sit faciendum a Capitulo, tunc sequens hymnus *Martyr Dei* dicendus erit ad Matutinum coniunctim cum alio hymno *Athleta Christi*, sub una conclusione *Sit laus Patri* ».

Quando autem secundae Vesperae non sunt de eodem festo tunc hymnus Vesperarum coniungitur cum hymno Matutini sub unica conclusione; ut habetur in plurimis S. R. C. decretis et maxime in decreto n. 3844 [3], in quo declaratur: Hymnus Vesperarum coniungendus est cum altero ad Matutinum quoties eodem metro uterque gaudet, et secundus est continuatio primi. Ut autem coniunctio fieri valeat, oportet ut binae habeantur conditiones, nempe ut sint *historici*, et *eiusdem metri*; etenim sub diverso metro coniungi nequeunt hymni, diversam habentes in cantu melodiam. Quod si aliquando neque transpositio neque coniunctio hymnorum fieri possit, tunc iuxta mentem S. R. C. (decr. 11 dec. 1903, Congr. Erem. Camald. Montis Coronae ad 2) ex hymnis propriis ille omittitur, qui est minoris momenti; quod etiam docuerat Cavalerius (tit. 2, c. 39, d. 4, n. 5).

53. Sicuti psalmi omnes in divino Officio concluduntur cum doxologia *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto*, etc., ita et hymni, iam ab ipsorum institutione, ut videre est ex. gr. in collectione hymnorum S. Ambrosii, concludi coeperunt cum laude ad SS. Trinitatem.

Cum autem in Rubricis pluries decernatur variatio conclusionis hymnorum in quibusdam festis, pretium est operis inquirere, quid exposcatur, ut doxologia aliqua possit et debeat per omnes horas alicuius festi, vel per aliquam octavam, vel per aliquod anni tempus. Tres requiruntur conditiones, nempe:

I. Ut in festo, vel per Octavam, vel per anni tempus, agatur de Mysteriis Domini, vel de B. Maria Virgine.

II. Ut in ipsa hymnorum conclusione expresse proprio nomine aut aequivalenter Augustissimae Triadis Personae singulae nominentur, eisque directe laus tribuatur.

III. Ut conclusio ipsa sit metro exarata quem vocant *iambicum – dimetrum*. et iis tantummodo hymnis coniungatur qui sint in praedicto metro.

Quarum conditionum si vel una desit, conclusio, licet festo diei propria, nequit in ceteris hymnis assumi.

Est I conditio, ut in festo, per octavam, vel per anni tempus agatur de Mysteriis D. N. vel de B. M. V.

Revera in Rubricis Breviarii nullus reperitur locus, ubi Angelorum vel Sanctorum officiis attribuatur clausula propria ad omnes Horas diei recitanda. Propterea S. R. C. per Decretum 2059 ad 3 declaravit, in festo et per octavam sanctorum Angelorum custodum hymnos eiusdem metri terminari non posse, sicut absolvitur eorum hymnus in Laudibus, per strophaṁ: *Deo Patri sit gloria, – Qui, quos redemit Filius, – Et Sanctus unxit Spiritus, – Per Angelos custodiat.* Immo, ne vel exiguum hac in re dubium superesset, sub num. 2682 eadem S. R. C. interrogata: « 51. Sunt multi hymni, qui habent conclusionem propriam: Conclusio ista semperne adhibenda est etiam in Completorio? »; generalissimo responso controversiam omnem diremit, simulque abstulit spem impetrandi pro aliquo Sanctorum Officio conclusionem propriam ad omnes Horas dicendam; ita nempe inquiens: *Ad 51. Negative nisi in festis Domini et Beatae Mariae Virginis.*

Oportet autem, secundo, quod tres singillatim nominentur Personae SS. Trinitatis, eisque laus directe tribuatur.

Hanc normam, etsi nullus auctor sacrae Liturgiae nunc usque explicite praefiniat, optime exempla nihilominus Romani Breviarii confirmant; prouti e conclusione hymnorum temporis natalitii atque paschalis, necnon festorum Domini ac Deiparae doxologiam propriam obtinentium et in omnibus diei canonicis horis adhibendam, eruitur. Si enim singularum SS. Trinitatis nominatio desit Personarum, vel directa earumdem laus et glorificatio quandoque omittatur, hymni conclusionem specialem rectius quam doxologiam habere dicendi sunt propriam, quae in ceteras horas diei suum exercere valeat influxum.

Reapse, si causam inquiramus cur infra tempus Quadrage-

simae vel Passionis nulla doxologia per omnes horas diei propria mandetur assumi; prima equidem fronte videbimus, hanc non aliam esset rationem, quam quod conclusio hymnorum ad Vesperas aut ad Matutinum sive ad Laudes, licet propria, tamen singulas SS. Triadis Personas non exprimit, neque illis directam laudem importat. Rem exemplis confirmemus: Ad Vesperas et Matutinum tempore Quadragesimae ita finiuntur Hymni: *Praesta, beata Trinitas, - Concede, simplex Unitas, - Ut fructuosa sint tuis - Ieiuniorum munera*; ad Laudes vero: *Te prona mundi machina, - Clemens adoret, Trinitas, - Et nos novi per gratiam - Novum canamus canticum.* Ad Vesperas Tempore Passionis hymnus sic absolvitur: *Te, fons salutis, Trinitas, - Collaudet omnis spiritus: - Quibus Crucis victoriam - Largiris, adde praemium.* Merito itaque, istae conclusiones in omnibus Horis sumendae non sunt, quia, licet hae sint maxime propriae Officio quod respective celebratur, ipsae tamen vel singulas Trinitatis Personas non exprimunt, vel omnibus ac singulis directam laudationem minime amplectuntur.

Quam ob causam, in Officiis plures obtinentibus clausulas peculiares, posthabita iugiter conclusione magis appropriata, sed tres nominatim Personas non esprimente aut eas singillatim ac directe non laudante, in omnibus horis usurpanda est potius doxologia, minus utique propria, sed singulas apte Personas SS. Triadis nominatas glorificans. Ita in festo Ascensionis Domini, omissa conclusione hymni ad Vesperas et Laudes, quae maxime tali mysterio respondet: *Tu Dux ad astra et semita, - Sis meta nostris cordibus, - Sis lacrimarum gaudium, - Sis dulce vitae praemium,* adhibenda per omnes Horas praescribitur doxologia minus utique propria: *Iesu, tibi sit gloria, - Qui victor in coelum redis, - Cum Patre et almo Spiritu, - In sempiterna saecula.*

Nullum ergo dubium esse potest, quin doxologia tres distinctim Personas SS. Trinitatis nominare eisque directam laudationem impendere necessario debeat, ut possit per omnes diei Horas adhiberi.

Tertia conditio, ut conclusio aliqua hymnorum per omnes Horas diei congruenter assumi valeat, illa est, quod ipsa conclusio sit metro iambico - dimetro exarata, quo gaudent hymni ad Horas minores et ad Completorium quotidie.

In hymnis namque, per Horas ipsas minores adhibendis nequit omnino subnecti doxologia, quamvis undique propria, si

haec diverso exarata metro comperiatur; quum Rubricae expresse requirant ad licite usurpandam doxologiam Officiis quibusvis propriam, ut *hymni illi sint eiusdem metri.* Ratione igitur metri diversi, conclusio hymnorum ad Vesperas et Laudes in festo Orationis D. N. I. C. propria, quae metro sapphico minori redacta invenitur, nullimode valet ad Horas minores accipi, in quibus hymni metrum iambicum – dimetrum assequuntur neque idcirco haec possunt ullatenus doxologiam excipere: *Laus honor Patri, genitaeque Proli, – Cui datum nomen super omne nomen, – Et Paracleto decus atque virtus – Omne per aevum.*

Quibus ex dictis concludendum est, haberi in Romano Breviario doxologias hymnorum *proprias*, quatuor specierum, nempe propriam *hymni*, propriam *Officii diei*, propriam *Octavae*, et propriam *Temporis.*

Dicitur doxologia, vel conclusio, propria *hymni*, illa quae ita connectitur cum hymno ipso, ut cum eo unum efficiat.

Dicitur propria *Officii diei* illa quae dicenda est ex Rubricis in hymnis horarum Officii quod ea die persolvitur, sive ratione festi quod celebratur, sive ratione diei infra octavam, sive ratione Officii votivi.

Dicitur doxologia propria *Octavae*, illa quae dicenda est per totam octavam, etiamsi officium persolvatur de aliquo sancto duplici vel semiduplici, vel de dominica intra eamdem octavam occurrentibus.

Dicitur tandem doxologia propria *Temporis*, illa quae in omnibus hymnis adnectenda est quibusdam anni temporibus, uti iam innuimns, puta toto tempore paschali.

Notandum ergo, quod aliqua doxologia potest esse propria, *Officii diei*, *Octavae*, et *Temporis.* Ex. gr. doxologia *Iesu... qui natus es* etc. est propria Officii diei in festo Nativitatis Domini, in die qua agitur officium de infra octavam ipsius, et in festo Circumcisionis; est propria octavae, in officiis s. Stephani, s. Ioannis Evang., ss. Innocentium, s. Thomae Cantuar. et s. Silvestri quae occurrunt in dicta octava; est propria de tempore Natalitio, in diebus quae decurrunt a die 1 ianuarii usque ad Epiphaniam.

Potest ergo dari casus in quo aliqua die plures occurrant conclusiones hymnorum *propriae.* Ex. gr. die 18 maii celebratur festum s. Venantii M. cuius hymni conclusionem propriam habent, sed in mea ecclesia occurrit hoc anno dies infra octavam B. Mariae tit. Pacis, quae habet doxologiam *Iesu... qui na-*

tus... et simul occurrit in tempore paschali, in quo dicitur doxologia: *Deo Patri... Et Filio qui a mortuis*... Regula in casu clarissima est; dicit enim Rubrica, doxologiam de octava vel de tempore esse assumendam *dummodo hymni non habeant ultimum versum* (lege stropham) *proprium*. Ergo quae magis est propria dicitur prae aliis quae minus sunt. Hinc in casu nostro, in fine hymnorum s. Venantii in Vesperis, Matutino et Laudibus dicam conclusionem suam propriam; in horis minoribus sumam doxologiam de octava, relicta doxologia paschali.

CAPUT XI.

DE ANTIPHONIS

54. Ex graeco ἀντιφονεῖν, latine *ex adverso, reciproce et alternatim canere*, cantus antiphonus ortum dedit voci *Antiphonae*, quae non adhibetur nisi in lingua liturgica, nil enim significat extra usum ecclesiasticum.

S. Isidorus (*Etymol.* VI, 19) ait, antiphonam esse cantum, quo duo ordines canentium in choro, sibi invicem alternatim respondent: « in antiphonis versibus alternant chori, quod genus psallendi Graeci invenisse traduntur ».

Theodoretus (*Hist. Ecc.* II, 19; *P. G.*, LXXXII, 1060) reapse habet, huiusmodi genus, cantus alternati, inductum fuisse in ecclesia Antiochena medio saeculo IV, a monachis Diodoro et Flaviano, qui ut populum a tumultuantibus arianis et apollinaristis averterent, die noctuque in ecclesiis detinebant, tempus insumendo canticis sacris. Iuxta tamen D. Cabrol (*Le livre de la prière antique*, 1900, p. 46) quaestio de origine antiphonarum definita non est, nam ex Theodoreto Mopsuesteno eruitur, s. Ignatium M. iam ab anno 100 inter christianos hunc modum cantandi alternatim invexisse (cf. Bäumer, *Hist. du Brév.* I, p. 174). Sed et in Occidentalibus Ecclesiis, huiusmodi antiphonatus cantus incrementum accepit saeculo IV exeunte, opere praesertim s. Eusebii Vercellensis et s. Ambrosii, de quo testatur s. Augustinus (*Conf.* IX, 7, n. 1), cantum alternatum psalmorum in vigiliis instituisse, « secundum morem Orientalium partium, ne populus moeroris taedio contabesceret ».

Ceterum modus alternandi cantum psalmorum a duobus choris sibi invicem respondentibus etiam apud Iudaeos in usum erat, ortumque naturaliter habuit ut cantores pausare possent.

Hinc in regula s. Benedicti aliquando sumitur vocamen *Antiphona* ad significandum versum aliquem, seu sententiam quae alternatim cum versibus psalmi repetitur; de quo exempla adhuc extant in Missali, ex. gr. ad benedictionem candelarum, in qua versus cantici *Nunc dimittis*, intermiscentur cum antiphona *Lumen ad revelationem*, nec non in Pontificali Romano in De-

dicatione ecclesiae et altaris et in consacratione episcopi. Aliquando vero sumitur ad significandum versum illum seu sententiam, quo aperitur et concluditur cantus psalmi.

In primo sensu sic B. Tomasius (*Antiphonarium Vaticanum*, p. 24) antiphonam definit: « Antiphona est versus aliquis, sive sententia intercalaris, quae una cum psalmi canticive versibus, decantatur intercalari concentu, eodem prorsus ordine quo ecclesiastica responsoria cantantur ».

In secundo sensu postea frequentius accepta est antiphona, ita ut significatus vocaminis *Antiphona* diversus prorsus avasit et primitivi usus eius et clara derivatio a cantu alternato penitus amisit. Saeculo ergo sexto antiphona non amplius significat quod *alternatim*, *antiphonatim* erat decantandum, sed quod *ante* canitur; ideoque nova reperitur vocis huiusmodi etimologia: antiphona enim exinde ex *anteponere* derivabit; et s. Germanus Parisiensis (*Ep. altera de com. off. P. L.* LXXII, p. 95) hoc dicit explicite: « Antiphona dicta quia prius ipsa anteponitur ». Imo, in multis manuscriptis antiquis regulae ipsius s. Benedicti legimus, etiam cum nova graphica significatione, *Antephona*, pro antiphona (cf. Cabrol, *Diction. d'Archéol.* ad vocem *Antienne*, par d. Leclercq.).

Antiphona porro uti habetur in Officio divino aliisque liturgicis libris Ecclesiae Occidentalis, post saeculum VII, non aliud significat nisi versum illum qui praecedit et sequitur psalmum. Ut plurimum sumitur antiphona ex psalmo ipso, aliquando ex aliis libris Antiqui vel Novi Testamenti, et aliquando constant ex historia sanctorum vel ex dictis Ss. Patrum.

55. Guyetus (l. 3, c. 4, q. 4), more suo scribit: « Antiphonarum triplex genus, psalterialium, historicarum et ex utrisque mixtarum. Psalteriales eae sunt quae in Psalterio habentur ex psalmis ipsis depromptae..... Historicae, quae ex historia Mysterii seu sancti, cuius festum est, carptim delibatae per singulos psalmos seu cantica distribuuntur, cuiusmodi sunt festorum Christi Domini, B. Mariae, Ss. Petri, Stephani, Laurentii, aliaeque omnes officiorum propriorum. Item Evangelicae, seu quae ex Evangeliis depromptae per omnes dominicas et ferias Quadragesimae ponuntur ad *Benedictus* et *Magnificat*. Item aliae omnes, quae ad mysterium seu sanctum pertinent, licet non sint ex historia depromptae, ut sunt antiphonae festi Circumcisionis *O admirabile commercium*, cum reliquis; antiphona in die Ascensionis, *O Rex gloriae, Domine virtutum* etc.; antiphona *O sacrum*

convivium in festo Corporis Christi; antiphona *Salve iubente Deo* etc. in festo s. Petri ad vincula etc.

« Mixtae denique dicuntur, quae ex psalmis depromptae, paucis verbis additis vel mutatis, vel transpositis ad rem mysteria seu sancti traducuntur, quales sunt antiphonae vesperarum diei Nativitatis Domini, *Tecum principium* etc. Antiphona 3 Laudum s. Stephani et s. Laurentii, *Adhaesit anima mea post te* etc. pleraeque de Communi Sanctorum, maxime super psalmos nocturnorum et prae aliis antiphonae omnes festi Corporis Christi a s. Thoma exaratae ».

« Inter has vero et illas discrimen est, quod historicae ad quoscumque psalmos sint idoneae, mixtae vero non nisi ad eos ex quibus erutae sunt. Quod cum in omnibus Officiis Breviarii Romani constanti lege servatum reperiatur, non possum non dissonantiae alicuius arguere Officia illa propria, in quibus secus aliquid factum deprehenditur » (1)..... « Longiores quandoque sunt, magisque emphaticae quae super cantica *Benedictus* et *Magnificat* imponuntur, caeterae vero breviores quibus nec plus quinque sexne lineas tribui convenit ».

56. Ut ait Rubrica: « Ad omnes Horas nocturnas et diurnas semper cum Psalmis dicuntur antiphonae, vel una vel plures pro diversitate Officii et Horarum ». Ratione diversitatis officii habemus officium dominicale et feriale in quibus et plurimum dicuntur duo psalmi sub una tantum antiphona; in officiis vero festorum post uniquamque antiphonam psalmus suus subsequitur respondet. Ratione vero diversitatis Horarum, habemus horas minores, et Completorium quorum tres vel quatuor psalmi sub una antiphona dicuntur, et habemus Laudes, in quibus antiphona prima in dominicis imponitur primis quatuor psalmis et tertia, tribus ultimis; in festis vero prima, secunda et quarta imponitur primo et secundo psalmo et cantico, tertia,

(1) Alii liturgici scriptores, Officia praesertim Passionis D. I. N. C. censoria nota inusserunt ob neglectas leges quibus horae canonicae construi debent (A. Carpo); quoad antiphonas ex. gr. ad Matutinum SS. Sindonis, habetur III, *Diviserunt sibi* ex Ps. 21, posita super Ps. 14; V. *Omnes videntes me* pariter ex Ps. 21, super Ps. 23; VII *Caro mea* e Ps. 15, super Ps. 53; et VIII *Convertisti* ex Ps. 29 super Ps. 75. Idem de officio novissimo Flagellationis, in quo antiphonae ad Vesperas sunt psalteriales, non conveniunt tamen cum psalmo quem concomitatur. Oh si viverent Gavantus, Guyetus, Bona et Thomasius!!

imponitur tertio et quarto psalmo, et quinta psalmis tribus ultimis.

Sed tempore paschali, dicitur una tantum antiphona *Alleluia*. Scilicet per omnibus psamis, Matutini, Vesperarum et Completorii, una tantum dicitur antiphona, quae incipit cum vocamine *Alleluia* in nocturno officio; ad Vesperas vero et ad Completorium, sicut et pro Horis minoribus, ipsa antiphona constat ex tribus *Alleluia*.

Tempore autem Adventus ad Vesperas et Nocturnos dominicae ponuntur antiphonae propriae, ut facile cuique apparet in dispositione Breviarii, in quo antiphonae super psalmos vesperarum cuiusvis Dominicae Adventus sumuntur in Proprio de Tempore prout in Laudibus; illae vero quae dicendae sunt in nocturnis, eaedem semper sunt in quatuor Adventus dominicis et sumuntur in Psalterio.

In omnibus aliis minoribus dominicis per annum antiphonae super psalmos in Laudibus et in Horis minoribus sumuntur in Psalterio; in dominicis vero maioribus, antiphonae propriae habentur et sumuntur in Proprio de Tempore, imo quandoque etiam in feriis, ut in iis quae occurrant a die 17 usque ad 24 decembris, et in maiori Hebdomada. Regula tamen generalis est, quod cum non assignantur propriae, semper dicantur quae positae sunt in Psalterio, quia ad Psalterium, prout habetur in Breviario, recurritur quando agitur officium de Tempore, sicut ad commune quando fit officium Sanctorum, ubi desunt propria.

« Plures antiphonae, ait Gavantus (Sect. 5, c. 7, n. 5) nobilioribus Horis, Matutino et Vesperis, non aliis Horis, quae humilius celebrari debent », minores porro dicuntur horae. In Matutino ergo, quo ut vidimus intelliguntur et Laudes, datur antiphona pro unoquoque psalmo, paucis exceptis ut iam notavimus; in minoribus Horis una antiphona imponitur pro omnibus horae psalmis.

In festis antiquioribus et solemnioribus antiphonae in Vesperis sumuntur semper ex Laudibus, cum aliquibus tantum exceptionibus. Ergo regula est, in officiis antiphonas pro Vesperis ex Laudibus sumere, exceptio vero habere proprias.

Quamquam habere parum de communi et multum de proprio sit nota maioris solemnitatis, ut omnes sentiunt cum Gavanto, nihilominus cum hoc magistro nostro convenire nequimus, quando scribit (sect. 5, c. 7, n. 8): « Ob festi solemnitatem in

primis Vesperis ponuntur aliae antiphonae diversae a Laudibus... in Nativitate Domini, Purificatione B. V., in festo Corporis Christi, et in Nativitate s. Ioannis Baptistae ». Eo quod maiores omnium solemnitatum sunt Pascha, Pentecostes et Epiphania, et haec tria festa, antiphonas de Laudibus pro Vesperis utrisque assumunt; ergo non undequaque vera est propositio Gavanti. Exceptio reputanda est ut diximus. Videant ergo recentiores illi officiorum redactores, qui antiphonas proprias et distinctas proponunt etiam pro II Vesperis, spreta regula maiorum!!

Tempore paschali in fine omnium antiphonarum additur *Alleluia*, quando in illis non habetur. Vox hebraea *Alleluia* iubilum significat, ideoque tempore paschali adhibetur in divino Officio in fine antiphonarum, versuum et responsoriorum.

57. Antiquitus semper integrae dicebantur antiphonae, ut docet B. Thomasius (*Praef. ad Respons. et Antiph. Rom. Eccl.* p. 27) ante et post psalmos; imo uti iam diximus, intermiscebatur Antiphona ad omnes psalmorum versus. Antequam discrimen officii duplicis et semiduplicis fuisset inventum, inter officia solemnia et ferialia nulla erat diversitas in concinendis antiphonis; indiscriminatim enim integrae praemittebantur antiphonae psalmis; nec uspiam invenitur in priscis Ritualibus, ut sola antiphonarum exordia psalmos praecedant, ut fit nunc in festis semiduplicibus, et diebus ferialibus. Nihilominus iuxta ritum romanum, in festis duplicibus integrae dicuntur antiphonae ante psalmos.

Hoc loco notat Gavantus, « duplicari antiphonas in duplicibus non in aliis, et inde dicitur esse officium *duplex* ». Nos suo loco demonstrabimus erroneam hanc opinionem, suffragante ipso Merato, qui iugiter Gavantum sequitur. Nihilominus una ex notis distinctivis Officii duplicis est revera *duplicatio* antiphonarum, licet melius haec vocaretur *repetitio*.

Rubrica habet: « Et quando antiphona sumitur ex principio psalmi vel cantici, et incipit sicut psalmus vel canticum, post antiphonam non repetitur principium psalmi vel cantici ».

Hac de re nil melius quam ea quae dicuntur a Gavanto (Sect. 5, c. 7, n. 12); ipse enim in correctione Rubricarum addere aliquid voluit ut clarior Rubrica fieret. « Quid si antiphona sumitur ex principio psalmi vel cantici, et incipit sicut psalmus vel canticum? eo casu non dicitur principium psalmi seu cantici, sed continuatur quod sequitur in psalmo vel cantico ab eo

loco ubi desinit antiphona, quod nota praesertim (errant multi) in officio dedicationis Ecclesiae in III Nocturno, in psalmo *Qui habitat*, nam die primo et octavo, dicta integra antiphona a choro, incipi debet psalmus a secundo versu: *Dicet Domino* etc., si vero tempore paschali addas in fine *Alleluia*, tunc incipitur psalmus a primo versu *Qui habitat*, quia illud *Alleluia*, tollit continuationem antiphonae cum psalmo. Simile habes exemplum in Ascensione Domini, in secundo Nocturno: *Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me, Alleluia*, et psalmus incipit a primis verbis eiusdem: *Exaltabo te, Domine*, etc. et in praxi communiori servatur, quod est rationabilius; et in recognitione postrema breviarii (intellige quam fecit ipse Gavantus cum aliis sub Urbano VIII) addi hoc loco curavimus. In feriae II vesperis ferialibus, dicto initio antiphonae ad hebdomadario, *Magnificat*, cantor et chorus simul prosequuntur: *Anima mea Dominum*, quia dividi commode non potest ultima pars versus. Illud certe est observandum in enunciandis antiphonis, ut initium numquam sint unius syllabae: atque eiusmodi ut absurde orationem praecidat, quod monetur in Caeremoniale Clericorum Regularium s. Pauli (l. 1, c. 10) » Hucusque clar. Gavantus.

Et revera, in breviario s. Pii V, in communi dedicationis ecclesiae nihil adnotatur ad antiphonam *Qui habitat*, in breviario vero Urbani VIII, invenitur rubrica specialis, a Gavanto adiecta, hisce verbis: « Quando haec antiphona dicitur integra, et illi non additur in fine *Alleluia*, tunc principium psalmi est a secundo versu: *Dicet Domino* ».

Frequenter occurrunt in Psalterio, tam ad Matutinum quam ad Laudes et Vesperas, antiphonae a primo versu psalmi vel cantici sumptae; huiusque frequentiae ratio est, quia in Psalterio antiphonae semper sumuntur ex psalmo vel cantico sequenti; exceptis iis de Adventu et de tempore paschali.

CAPUT XIV.

DE LECTIONIBUS

58. Usus lectionis in sacris celebrandis antiquissimus est; apud hebraeos tam in templo, quod erat in Ierusalem quam in synagogis simul cum psalmodia legebatur aliquid de sacra Scriptura. Iuxta Sabatier (*La Didachè*, Paris, 1885, p. 94), Esdras ipse divinos libros in distinctas lectiones diviserat pro diebus hebdomadae, nec non pro variis festivitatibus.

Bäumer (t. 1, p. 380) notat, in libro dicto *Mischnach Megilla* baberi fragmenta lectionum ex Pentateuco excerptarum, pro diebus festis praecipuis, atque pro festo dicto *Purim* ex Exodo et ex libro Esther.

Temporibus item quibus in humanis fuit D. N. Iesus Christus lectionibus ex Pentateuco addebantur lectiones ex *Haphthara*, scilicet ex Prophetis (cf. Glaire, *Introd.* 1861, t. 1, p. 401). Itaque in Evangelio s. Lucae (IV, 15-20) habetur, quod Redemptor noster, Nazareth veniens, intravit « secundum consuetudinem suam die Sabbati in synagogam et surrexit legere. Et traditus est illi liber Isaiae Prophetae. Et revolvit librum, invenit locum ubi scriptum est », etc. Iuxta quod divinum exemplar, primitiva ecclesia statim coepit in suis liturgicis conventibus usum sacrae lectionis inducere, et Apostoli non solum, hebraicam consuetudinem sectantes, et ipsi in sinagogis lectiones antiqui testamenti interpretabantur (cf. *Act.* XIII, 15, et XV, 21), sed et lectiones ex novo induxerunt (cf. *Coloss.* IV, 16, et I. *Thessal.* V, 27). Cl. Probst (*Liturgie der ersten christlichen Jahrhunderte*, Tubingae, 1870, p. 88), ex s. Ignatio antiocheno, ex s. Iustino martyre et ex *Epistola Diogneti*, probat, legem fuisse apud Christianos in II et III saeculo incipiendi conventus cum lectione ex antiquo testamento, nec non et ex Evangeliis et saepe ex epistolis Apostolorum. Item in *Constitutionibus Apostolicis* (apud Migne, *P. G.*, I, p. 1138) legitur: « Congregamini, lectionem librorum sacrorum facientes, atque psallentes ». Quod, ut bene notat Bäumer (l. c.), praesertim pro usu Ecclesiae romanae intelligi debet, nam idem habetur in

Canones s. Hippolyti (Ed. Haneberg 1870), qui pro Ecclesiis Romana et Portuensi conscripti fuere a b. Hippolyto martyre.

In concilio Laodiceno (circiter an. 343-381) canon legitur 17: « Quod in conventu fidelium nequaquam psalmos continuare conveniat, sed per intervallum, idest per psalmos singulos, recenseri debeant lectiones; » licet vero id videatur praeceptum pro missa, ut ait Bäumer (I, p. 123), nihilominus iam valet pro indicanda institutione liturgicarum lectionum.

Sequentibus autem saeculis IV, V et VI, paulatim leges circa lectiones liturgicas tam in missa, quam in officio divino redactae fuerunt; ita ut per hebdomadam duae lectiones haberentur, una ex antiquo altera e novo Testamento; sabbato vero et dominica ambo erant ex novo, nempe prima ex Paulinis epistolis, secunda ex Evangeliis, ut ex Cassiano et s. Augustino tradit Bäumer. In regula autem s. Benedicti (c. IX) primas habemus distinctas regulas pro lectionibus in divino officio. Ad rem autem idem Bäumer (l. c.) contra Batiffol (p. 93) ait, quod inadmissibilis hodie sit sententia illorum, qui docent ante s. Gregorium I, non fuisse praescriptam aliquam lectionem in horis canonicis ex sacra Scriptura.

Sed et pro anniversariis sanctorum martyrum, ut tradit Pleithner (op. cit. p. 386) ex canone 36 concilii Hipponensis (anno 395), legebantur eorum acta etiam in Romana Ecclesia.

Tandem s. Gregorius I (*Ep.* lib. 12, c. 24, apud Migne, *P. L.* 77, p. 1234) testatur, consuevisse in officio nocturno legi homilias, commentarios et sermones Ss. Patrum.

Grancolas (*Comm. hist. in Brev. Rom.*, lib. 1, c. 32), ex quodam *Ordine Romano* a b. Tommasi edito (op. ed. Vezzosi IV, p. 325), refert: « Passiones Sanctorum vel gesta ipsorum usque ad Adriani tempora (772-795) tantummodo ibi legebantur ubi ecclesia ipsius sancti vel titulus erat; ipse vero (Hadrianus) a tempore suo renovare iussit et in ecclesia s. Petri legendas esse constituit ».

Igitur lectiones sive ex s. Scriptura, sive ex actibus sanctorum, sive ex operibus Ss. Patrum, quoddam alimentum spirituale praebebant clero et populo in conventibus liturgicis, et monachis elementum praecipuum pro eorum contemplatione, ita ut s. Bruno astensis O. S. B. episcopus Signinus († 1104) aequiparet lectiones huiusmodi arboribus paradisi, scribens (lib. 1, c. 8, apud. Migne, *P. L.*, 165, p. 899) « Tales arbores gignit Ecclesia, quarum pulchritudinem et religionem nos legere et

audire delectat; quarum verbis et doctrina mentes nostrae nutriuntur et reficiuntur. Tales arbores sunt apostoli; vetera poma prophetarum et patriarcharum doctrina; nova vero apostolorum Ecclesiaeque doctorum, et sanctorum hominum doctrina et operatio sancta ».

In officio duplici vel semiduplici dicuntur novem lectiones, idest tres in quolibet nocturno, ideoque festa duplicia et semiduplicia passim in rubricis sub nomine veniunt *Officia* vel *Festa novem lectionum*. Excipe autem festum et octavam tam Paschatis quam Pentecostes, in quibus habetur unum tantum nocturnum cum tribus lectionibus, licet officium sit duplex vel semiduplex. In Feriis et Festis simplicibus leguntur tres lectiones; quamobrem officia ferialia, et festa simplicia sanctorum, vocantur *Officia* vel *Festa trium lectionum*.

59. Distributio lectionum a s. Benedicto et a s. Gregorio I instituta, viguit immutata, usque ad saeculum nonum uti habetur ex *Ordinibus Romanis* editis a Muratori, a b. Tommasi et a Martène. Regulariter in tertio nocturno dominicae legebantur epistolae s. Pauli apostoli, sicut et hodie fit in triduo mortis Domini. In feriis autem antiquum testamentum (cf. Bäumer, I, p. 394). Sed huiusmodi antiqua distributio, hoc inconveniens prae se ferebat, quod epistolae s. Pauli, quae in festis omnibus ad III nocturnum legebantur ut diximus, pluries per annum repeti debebant; ideoque magis expedire visum est illas, inter alias lectiones scripturales reponere in I nocturno, eorumque loco in III nocturno festorum aliquid de expositione Evangelii habere, sicut in II commentaria iam legebantur super Scripturam in I nocturno lectam. In *Ordine Romano* primo, ait Bäumer (I, p. 409), iam ad hanc novam lectionum distributionem innuitur, quae postea sub Carolo Magno definitive statuta fuit, quamquam adhuc in *Ordine Romano* XI, a Benedicto canonico composita anno 1140 (apud Migne, *P. L.*, 78, p. 1027), legatur, quod in Romana curia in Dominicis Adventus et Quadragesimae duae lectiones (VII et VIII) in III nocturno legebantur de epistolis s. Pauli, et ultima, seu IX, homilia super Dominicae occurrentis Evangelium. Tunc ergo coepit mos ecclesiarum et monasteriorum, colligendi sermones et homilias, quae in officio divino legendae erant per annum; et ipse Carolus magnus Paulum diaconum O. S. B. rogavit, ut huiusmodi collectionem redigeret, ut habetur in epistola ad lectores homiliarii (apud Migne, *P. L.*, 95, p. 1160): « Ut studiose catho-

licorum Patrum dicta percurrens veluti e lectissimis eorum pratis certos quosque flosculos legeret, et in unum, quae essent utilia, quasi sertum aptaret... et ipse ad nocturnum officium... in duobus voluminibus per totius anni circulum congruentes cuique festivitati obtulit lectiones ».

Quum vero Fratres Minores *Breviarium*, seu officium abbreviatum induxerunt ineunte saeculo XIII, lectiones quoque contraxerunt, ita ut, ait Bäumer (II, p. 31), aliquando hae lectiones franciscalium nil aliud essent nisi tres vel quatuor lineae ex libro Pontificali sive ex Martyrologio, quae tamen pro officio inserviebant a fratribus in itinere recitando. Plurimis autem in locis, ut videre est in Breviario iuxta consuetudinem ecclesiae Placentinae (Venetiis 1530), in Breviario *Bracharensi* (Bracharae, 1724) nec non in Breviario *Pampilonensi* (de quo agunt *Ephemerides liturgicae*, anno XXI, p. 84) in festis Sanctorum lectiones historicae ita dividebantur, ut de eis legeretur in unoquoque nocturno. Tandem vero a s. Pio V regula firmata est, legendi in I nocturno de Scriptura, in II de aliquo sermone Ss. Patrum, vel de vita Sanctorum de quibus agitur memoria, in III autem de homilia super Evangelium diei.

Ad rem notat Grancolas (loco cit.): « Tria haec lectionum genera Dominicis dumtaxat festisque diebus deserviebant; quippe feriis, iuxta veterem consuetudinem, nihil nisi e Scripturis excerptum legebatur, atque post Pii V dumtaxat tempora homiliae super Evangelium tam quadragesimae quam vigiliarum legi coeperunt ».

60. Ordo autem, quo distributae sunt lectiones scripturales in Breviario s. Pii V immutatus usque ad nos pervenit, et est sequens:

In Adventu legitur *Prophetia Isaiae*, quia nemo ex Prophetis apertius locutus est de adventu Messiae.

A Natali Domini usque ad Septuagesimam, leguntur *Epistolae S. Pauli Apostoli*. Etenim haec anni ecclesiastici periodus magis vel minus producitur, prout citius vel serius occurrit Dominica Septuagesimae. Aliquando enim post Epiphaniam habetur una tantum dominica, nempe quum Septuagesima incidit diebus 18, 19 et 20 Ianuarii, aliquando sex, cum occurrit Septuagesima diebus 18, 19, 20 aut 21 Februarii. Porro cum omnes epistolae s. Pauli constituant quasi unum eumdemque librum scripturalem, opportune hoc tempore positae sunt, quia licet de singulis paulinis epistolis non legatur, sufficit, ait Ga-

vantus (hoc loco, n. 12), hunc librum incoepisse, facta lectione epistolae ad Romanos et primae ad Corinthios.

A Septuagesima usque ad dominicam Passionis, leguntur *Genesis et Exodus*. Cum enim hoc tempore praeparentur fideles ad celebrandum passionem Domini, et eius sanctam resurrectionem, ante legitur casus humani generis per Adae peccatum, nec non gesta patriarcharum Abraham, Isaac et Iacob, qui optime Christum Salvatorem praefigurarunt.

Tempore Passionis, legitur *Prophetia Ieremiae*, qui ob moestitiam suam quam maxime congruit cum mysterio passionis.

Post Pascha, usque ad Pentecosten, leguntur *Actus Apostolorum*, *Apocalypsis* et *Epistolae* aliorum Apostolorum. Nam libri isti convenient huic tempori, quasi continuatio historiae christianae Religionis post Christi resurrectionem.

Post Pentecosten, usque ad mensem Augustum, leguntur *Libri Regum*, qui licet quatuor sint, attamen pro una historia accipiuntur; quae hoc tempore opportune posita est, ob rationem quam supra retulimus pro epistolis s. Pauli apostoli. Etenim a Pentecoste usque ad mensem Augustum occurrere possunt vel sex tantum hebdomadae vel undecim; ideo libri Regum distributi fuerunt usque ad XI dominicam post Pentecosten, ita ut, si minor numerus occurrat, in hac periodo hebdomadarum, sufficiat libros Regum incoepisse primis sex saltem septimanis.

Mense Augusto, leguntur libri sapientales, nempe *Proverbia, Canticum, Sapientia* et *Ecclesiasticus*.

Mense Septembri, leguntur libri *Iob, Tobiae, Iudith* (pro quo s. Gelasius Papa I posuerat librum Esdrae).

Mense Octobri, leguntur libri *Machabaeorum*.

Mense vero Novembri, leguntur *Prophetiae Ezechielis* et *Danielis* aliarumque minorum Prophetarum.

Advertendum autem est quod lectiones scripturales numquam sumuntur ex libro Psalmorum, et ex sanctis Evangeliis, nam psalmi reservantur pro psalmodia, Evangelia autem leguntur in missa, et in III nocturno. Quoniam vero in Breviario romano habentur septem cantica, ex variis libris antiqui Testamenti, videtur, eadem de causa, quod erui non possint lectiones pro I nocturno ex ipsis canticis, eo quia cantica et psalmi in sacra liturgia aequiparantur. Quod ita verum est, ut introitus *Sacerdotes Dei* de communi unius Martyris pontificis, pro psalmo habet Cant. *Benedicite*.

Nonnulli ergo, et forsan non irrationaliter, contra hanc regulam esse putant primam lectionem in festo Cordis Iesu, quae integre refert canticum Isaiae.

Diximus, lectiones numquam sumi ex psalmis et ex Evangeliis, sed alii libri habentur antiqui testamenti, ex quibus numquam sumit Breviarium romanum lectiones, nempe Deuteronomium, Iosue, Iudicum, Ruth, duo Paralipomenon, duo Esdrae, et Baruch. De Exodo nonnisi bis vel ter, et semel tantum de Levitico et de Numeris.

« Hinc tamen, optime ait Guyetus (l. 3, c. 3, q. 3), haud arguas non posse ex iis libris lectiones proprias (pro festis Patronorum) decerpi, si quid habeant quod ad rem possit venire », et reipsa in officio Inventionis Pueri Iesu in templo tertia Lectio sumpta est ex Deuteronomio.

61. In festis Domini, semper lectiones I nocturni proponuntur propriae, scilicet unicuique festo convenientes, antiquum enim testamentum nil aliud est nisi quaedam continua prophetia de SS. Redemptore, et novum nonnisi narratio eius vitae, doctrinaeque eius; facile ergo pro festis Domini lectiones propriae e sacra Scriptura inveniuntur; attamen pro B. Maria Virgine, et pro Sanctis res aliter se habet, quia nonnisi sensu figurato lectiones aptantur, paucis exceptis. Hac de re audiendus est Guyetus (l. 3, c. 3, q. 2) qui magistraliter scribit: « Est autem triplex sensus, in quo quadrare potest sic assumptus pro lectionibus I nocturni Scripturae textus aliquis, literalis seu historicus, mysticus, et encomiasticus ». « Ad literalem sensum seu historicum pertinent lectiones illae omnes, in quibus acta ipsa Sanctorum ad literam enarrantur seu memorantur, aut mysterium de quo fit celebritas, vel a prophetis praedicitur, vel ab apostolis explicatur. Eiusmodi sunt in Breviario lectiones s. Stephani, s. Petri, s. Mathiae, s. Barnabae, s. Petri ad Vincula, Conversionis s. Pauli et similes; et quoad Mysteria lectiones Nativitatis Domini, Epiphaniae, Ascensionis, Transfigurationis, Annunciationis et Purificationis b. Mariae, Inventionis s. Crucis etc., eoque etiam referendae lectiones Festis omnium Sanctorum, item s. Michaelis et Ss. Innocentium. Eiusmodi itidem sunt in Breviario Parisiensi lectiones s. Dionysii desumptae ex Actibus cap. 17... in carmelitano Ss. Eliae et Elisaei prophetarum ex lib. 3 et 4 Regum... ».

« In mystico sensu tribuuntur B. Virgini Cantica canticorum in festo Assumptionis eius et per octavam legi solita. Item

quae de Parabolis Salomonis et libro Ecclesiastici in aliis eius festivitatibus recitantur: quippe quae de ipsa Sapientia divina seu Verbo increato, et incarnando ad literam primitus dicta, ipsi B. Virgini perinde conveniunt in sensu si non forte literali, at certe legitimo et a Spiritu Sancto etiam intento. Eiusmodi item sunt lectiones de Ieremia s. Ioanni Baptistae attributae, et de Canticis canticorum s. Mariae Magdalenae. Ad eum quoque modum Breviarium Parisiense ultimo reformatum s. Ludovico Regi pro lectionibus accomodat quae de Salomone rege, lib. 3 Regum cap. 3 narrantur... Proprium Eremitarum Augustiniensium Genesis locum de Iosephi ossibus applicat translationi corporis s. Augustini... ».

« In sensu denique encomiastico, sicut in quolibet communi selecta sunt quae ad Sanctorum illius ordinis commendationem maxime faciunt, puta in communi Martyrum ex D. Paulo quae de fortitudine animi praedicat Rom. 8, in communi confessoris pontificis, quae de episcopatu, et quae de virginibus in communi virginum etc. ita et in proprio deligi possunt quae occurrent ad laudem sancti alicuius maxime apposita, uti s. Andreae tributus est insignis locus Rom. 10, de fide et praedicatione Evangelii. Qua ratione praeconia illa quae de Simone pontifice Oniae filio magnifice iactantur Eccli. 50, suis sanctis antistitibus tribuunt nonnullae Ecclesiae ».

« Ad hunc etiam sensum referendàe sunt lectiones illae ex libris desumptae Sanctorum de quibus fit festum, puta ex epistola s. Ioannis apostoli in festis ipsius; ex epistola s. Iacobi in festo Ss. Philippi et Iacobi; ex epistola s. Iudae in festo Ss. Simonis et Iudae etc. Laus enim est sanctorum illorum maxima, quod sacrorum librorum auctores esse meruerint... ».

Idem Guyetus sequitur tradens regulas opportunas ac probatissimas pro efformandis lectionibus I nocturni ex Scriptura in festibus sanctorum; quae regulae si semper in novissimis officiis observatae fuissent, non invenirentur in nonnullis Propriis diocesanis tam facile lectiones *lugendae*, potius quam *legendae*.

62. Quocumque ex libro Scripturarum eruantur lectiones haec attendenda erunt:

I. Ut textus qui assumitur, vel totus, vel magna ex parte quadret. Nam si una aut altera vox ad rem facit, cetera vero nihil, quidni satius erit ad commune recurrere? ut qui legeret in festo s. Timothei initium Epistolae ad Philippenses, eo quod initio sic habeatur: « Paulus et Timotheus servi Iesu Christi.

II. Non seligatur, nisi qui sufficiat ad tres lectiones conficiendas; inusitatum enim est ut una lectio I nocturni sit propria, et aliae de communi assumantur: si quando tamen singulae lectiones ex variis Scripturis libris, aut variis eiusdem libri capitibus desumantur, ut fit in festis Purificationis b. Mariae, et Inventionis s. Crucis, in eo casu satis est quilibet textus sufficiens sit ad unam lectionem.

III. In una eademque lectione textus continenter assumi debet nulla facta mutatione verborum, aut transpositione periodorum. Nam quod in lectionibus de communi virginum et martyrum, quae incipiunt: « Confitebor tibi, Domine Rex », masculinum bis in foemininum accomodationis gratia mutatum reperiatur, item quod in quibusdam epistolis verba sparsim hinc inde excerpta consuantur haudquaquam exemplo posse esse putaverim ut simile quid attentetur.

IV. Denique sic textus secari debet, ut pares sint, quantum sensus patitur, singulae lectiones, et a nova periodo inchoatae in periodum pariter completam desinant, cetera neque prolixiores, neque breviores. Ita Guyetus (ib. q. 3).

63. Lectiones de Scriptura in primo nocturno, quae in Breviario disponuntur in unoquoque sanctorum communi, leguntur in festis illis, in quibus id praecipitur a specialibus rubricis Breviarii, quicumque sit ritus illiusmet festi. Itaque ex gr. Die 21 Decembris, in festo duplici II classis s. Thomae apostoli, ponuntur lectiones Scripturae de communi apostolorum. Die 4 Augusti in festo duplici maiori s. Dominici conf. ponuntur lectiones s. Scripturae *Beatus vir* de communi confessorum. Die 23 Novembris in festo s. Clementis, ritus duplicis minoris, ponuntur lectiones Scripturae de communi martyris pontificis *A Mileto*. Tandem die 8 Iulii in festo s. Elisabeth reginae Portugalliae, licet sit ritus semiduplicis, ponuntur lectiones Scripturae de communi viduarum, *Mulierem fortem*.

Quotiescumque igitur in Breviario indicantur lectiones Scripturae, vel propriae vel de communi, omittendae sunt lectiones Scripturae ea die occurrentis.

Item leguntur lectiones scripturales de communi, ait Rubrica: « quando aliquod Festum in propria Ecclesia solemniter celebratur ». Per vocem *solemniter*, hoc loco intelligitur celebratio alicuius festi sub ritu duplici I vel II classis, aut etiam sub ritu duplici maiori. Et sane, in Breviario nullum habetur duplex maius, in quo legantur lectiones de Scriptura occurrenti.

In antiqua decretorum S. R. C. collectione illud habebatur sub n. 2284, d. d. Iulii 1664, quod recenset et illustrat Cavalieri (T. 2, decr. 303); in eo generalis regula traditur, quod in festis, quae saltem sub ritu duplici maiori celebrantur, dicendae sunt lectiones scripturales de communi. Quare, iuxta Gavantum (hoc loco, n. 15) et Cavalerium (Inc. cit.), si festum aliquod, in quo lectiones de Scriptura occurrente legebantur, contingeret evehi ad ritum duplicem maiorem, puta quia Sanctus, cuius festum colitur, Patronus minus principalis sit renunciatus, continuo in eo legendae erant lectiones I nocturni de eius communi.

Diximus *legendae erant*, nam hodie aliud praescribit S. R. C. in suo decreto generali d. d. 30 Iulii 1896, n. 3923, quod sic se habet: « Praesentibus rerum adiunctis inspectis, lectiones I Nocturni, proprias vel de communi sanctorum, esse in posterum adhibendas tantum pro duplicibus I vel II classis; illis tamen lectionibus exceptis, quae approbatae iam fuerint, vel in Breviario habentur pro duplicibus seu maioribus seu minoribns ». Addi bene hic oportet *vel etiam pro semiduplicibus*, uti s. Elisabeth Portugalliae, et Inventionis s. Stephani. Ratio huius decreti recognoscenda est in nimia multitudine duplicium maiorum et Ss. Doctorum, ita ut quibusdam in dioecesibus vel ordinibus, vix superesset dies in quo lectiones de Scriptura occurrenti legi possent.

Notandum tamen est, quod huiusmodi decreti dispositio applicanda erit tantummodo *duplicibus maioribus* quae in posterum concedi poterunt; nam pro iam concessis stat antiqua regula.

Igitur recurritur ad commune, pro inde sumendis lectionibus I nocturni, 1° quando id praescribit specialis rubrica Breviarii, puta in festis Doctorum, non tamen omnium, aut in duplicibus maioribus, aut aliis habentibus propria; 2° quando solemnitas festi, eo quod sit duplex I et II classis, exigit, ut lectiones scripturales sint propriae, non de occurrenti Scriptura; 3° denique quando festum aliquod occurrit in Quadragesima vel in Quatuor Temporibus vel in feria II Rogationum, aut in vigilia Ascensionis, in quibus desunt lectiones scripturales, et habetur homilia super Evangelium.

Tandem notandum est, quod lectiones scripturales de communi illae sumendae sunt, quae in Breviario vel in proprio dioecesano assignantur; si vero non assignentur, tunc ad mentem S. R. C. in decreto 5 Maii 1736, n. 2319[17], illae sumendae

sunt, « quae magis sint accomodatae virtutibus et rebus gestis Sanctorum, de quibus ea die fit Officium ». Haec regula sequenda est semper, quando in eodem communi plures habentur lectiones I nocturni. In casu autem quo lectiones tam primo quam secundo loco positae quadrent vitae sancti occurrentis, tunc regula sumitur ex lectionibns III nocturni, vel ex orationibus, si e communi sumptae sint. Cfr. S. R. C. decr. n. 2839[6].

64. Ut supra iam innuimus, in prisca Ecclesia, iuxta id quod habetur in canone 36 Concilii Hipponensis (an. 395) legebantur in officiis acta Ss. Martyrum in eorum festis ; et optime quidem, nam ratio recolendi festa Sanctorum triplex est; scilicet 1 ut in terra a nobis collaudentur; 2 ut suscipiant preces nostras, ac pro nobis apud Dominum interveniant; 3 denique ut virtutibus eorum nos ipsi incensi, eos imitemur. Sanctos porro collaudamus in *psalmodia,* exoramus in *oratione,* virtutes eorum cognoscimus in *lectione.*

Hoc congruit cum Augustini effatu, « imitari non pigeat, quos celebrare delectat », nec non cum quamplurimis orationibus quae leguntur in Breviario; ex. gr. sumimus ex antiquioribus orationem s. Felicis presb. die 14 Ianuarii: « Concede, quaesumus, omnipotens Deus, ut ad meliorem vitam Sanctorum tuorum exempla nos provocent, quatenus quorum solemnia agimus etiam actus imitemur », et illam in comm uni Confessorum quae desinit: « ut cuius natalitia colimus, etiam actiones imitemur ».

Gavantus (hoc loco, n. 16) ait, primas historias de Sanctis in officio divino habuisse auctorem Paulum diaconum, iussu Caroli magni, et citat auctorem *Ligni Vitae.* Meratus vero illum de errore carpit, nam Paulus diaconus, ut supra iam diximus, *homilias* non vero historias ex sanctorum Patrum operibus collegit.

« Quas nunc habemus, scribit idem Gavantus, secundas lectiones ex historiis sanctorum eae fuerunt a cardinalibus Bellarmino et Baronio recognitae et approbatae sub Clemente VIII, qui reiecerunt ea omnia, quae iure merito revocari poterant in dubium. Qua in re perdifficile visum est illis ad historiae veritatem bona fide restituere sanctorum lectiones, idque minima, qua fieri potuit, mutatione, imo quae controversa erant, alicuius tamen auctoris testimonio suffulta, aliquam haberent probabilitatem, retenta sunt eo modo, quo erant, cum falsitatis argui non possent, quamvis fortasse altera sententia sit a pluribus recepta ». Magnum pondus habet huiusmodi Gavanti sentiendi modus.

Meratus hac de re scribit (hoc loco X): Haec tamen Gavanti assertio Iacobo Laderchio Annalium Baronii continuatori non placet, et Gavantum audet perstringere in opere, cui titulus: *Acta Ss. Martyrum vindicata ab Odoacre Ilbachio*. Hoc nomen nil aliud est nisi anagramma ipsius Iacobi Laderchii. Eius tamen censura, sequitur Meratus « non satis videtur aequa, quamvis etenim verum sit non omnia a Breviario expuncta fuisse, quae viri illi doctissimi expungenda putaverant, verumtamen semper est secundas lectiones historicas sanctorum, quorum gesta referuntur, et quomodo in Breviario habentur, ab illis recognitas fuisse, et reiecta quae iure merito revocari poterant in dubium ». Cl. Batiffol (p. 246) elenchum praebet lectionum quae in recognitione s. Pii V reformatae vel noviter fuerunt redactae; et notat quod ii, qui in huiusmodi innovatione operam navarunt leges critices certo certius non satis noverant, uti Baronius primum et Benedictus XIV postea declarare non dubitarunt.

Hinc est quod sub Clemente VIII nova revisio Breviarii ac praesertim lectionum historicarum coepta est, tunc enim a Sancta Sede praecipui docti viri illius aetatis interrogati sunt, ut sensum suum hac de re proferrent. Clarissimus A. Bergel (*Die Emendation des römischen Breviers unter Papst Clemens VIII* in *Zeitschrift für Katholische Theologie* (Innsbruck 1884, p. 293) inventarium exhibet *Adnotationum criticarum*, quae Romam missae fuerant a theologis Poloniae, Sabaudiae, Hispaniae, Germaniae, Neapolis, Venetiarum, Sorbonae et Salamanticae; et Baronius, qui a Pontifice munus acceperat huiusmodi adnotationes criticas examinandi, relationem dedit, quae habetur in bibliotheca Vallicelliana (Cod. Q, 33, et G, 83).

Ut videre est in Bäumer (II, p. 280) non omnes correctiones a Baronio et a Bellarmino propositae, a commissione pontificia fuerunt acceptae. Ex. gr. Baronius in festo dedicationis basilicae SS. Salvatoris, lectiones emendare proposuerat hisce in locis nempe: « Et ei continentem Basilicam nomine s. Ioannis Baptistae; – Et imago Salvatoris in pariete depicta populo romano apparuit; – A s. Petro usque ad Silvestrum propter persecutiones lignea fuisse altaria ». Item in festo s. Michaelis die 8 Maii, locutionem: *in summo circo*, in hanc mutare volebat: « in summo circulo molis Hadrianae ». Similiter lectiones s. Alexii expungendas esse probaverat etc.

Ipse etiam Bellarminus declaraverat iter s. Iacobi apostoli

in Hispaniam, « valde dubium, nam nullus probatus auctor eius rei testis fortasse proferetur »; et revera hoc modo lectio correcta fuerat: « Mox Hispaniam adiisse et ibi aliquos ad fidem convertisse ecclesiarum illius provinciae traditio est ». Nihilominus sub Urbano VIII, denuo lectio sic reddita fuit: « Mox in Hispaniam profectus ibi aliquos ad Christum convertit, ex quorum numero septem postea Episcopi a beato Petro ordinati in Hispaniam directi sunt »; nam, Urbanus VIII instantiis cleri hispaniarum satis facere coactus est.

Quapropter Breviarium romanum, maxime in eo quod attinet lectiones historicas, opus intangibile non esse videtur, imo reformabile atque perfectibile. Sub Benedicto XIV nova lectionum romani Breviarii recognitio statuta est, sed cum ille sapientissimus pontifex studia Commissionis ab eo institutae excepisset, rem totam sibi pertractandam suscepit; morte vero tanti viri coeptum opus interruptum remansit (Cf. Bäumer, II, 372-401).

Sub Leone tandem XIII, nonnullae correctiones lectionum historicarum in Breviarium inductae fuere, iuxta S. R. C. decr. 2 Iulii 1883, in festis s. Marcelli I P. M. 16 Ianuarii; Ss. Cleti et Marcellini Pp. Mm. 26 Aprilis; s. Silverii P. M. 20 Iunii; s. Pii P. M. 11 Iulii; Ss. Proti et Hyacinthi Mm. 11 Septembris; s. Silvestri P. C. 31 Decembris; cum vero alio decreto 28 Novembris 1902 nova Commissio historico-liturgica instituta sit a S. R. C., probante eodem pontifice Leone XIII, dicendum est, non procul esse tempus in quo novas historicas correctiones in lectionibus Breviarii habebimus.

65. Quando non habentur lectiones historicae, legitur « de aliquo sermone aut Tractatu, qui magis convenit »: s. Gelasius I (15 dist. cap. Sancta Romana) decrevit in officiis divinis posse legi opuscula seu tractatus et sermones s. Cypriani, Ioannis Chrysostomi, Hilarii, Ambrosii, Augustini, Hieronymi et Leonis papae, item et opuscula orthodoxorum Patrum. Ceterum, ait Meratus (hoc loco), « in praefato Gelasii decreto etsi gesta sanctorum Martyrum suscipiantur, nihilominus eorum acta non probantur ad publicam lectionem; sed ideo, inquit Gelasius, secundum antiquam consuetudinem singulari cautela in S. romana Ecclesia non leguntur, quia et eorum qui conscripsere nomina penitus ignorantur, et ab infidelibus, aut idiotis superflua, aut minus apta, quam rei ordo fuerit, scripta esse putantur ».

Ad rem, more suo scribit Guyetus (l. c., q. 7), sunt apti omnino tractatus Ss. Patrum, mysterii sanctorumve, de quibus fit officium, si qualitati quadrant, quorum triplex ratio distingui potest. « Prima est eorum sermonum sive tractatuum, qui de sanctis ipsis eorumque virtutibus nominatim et expresse a Ss. Patribus conscripti fuere, ut quos de s. Andrea habent s. Petrus Chrysologus et s. Bernardus; de s. Vincentio M. s. Augustinus et s. Leo; de s. Martino idem s. Bernardus ; de s. Ignatio M. s. Ioannes Chrysostomus; de s. Athanasio s. Gregorius Nazianzenus; de s. Basilio s. Gregorius Nyssenus, et de aliis alii. Eiusmodi quoque est liber s. Hieronymi de Scriptoribus ecclesiasticis, pro iis sanctis qui in eo memorantur. Sed nihil in hoc genere praestat s. Augustino, seipsum in suis Confessionibus graphice describenti; ex quibus proinde loca selectissima pro lectionibus infra eius octavas excerpta habentur in proprio canonicorum regularium s. Genovefae ».

« Secundo, sunt alii Ss. Patrum sermones, non quidem de sanctis ipsis, quorum agitur festivitas nominatim et expresse conscripti, sed qui ex virtutum rerumque gestarum conformitate ita sunt appositi, ut sola nominis facta mutatione ad eos aeque proprie pertinere videantur ».

Et nonnulla exempla hic tradit Guyetus ex Breviaris gallicis sumpta. In Breviario romano habemus lectiones pro Confessore pontifice secundo loco, ex sermone depromptae s. Maximi, quem de s. Eusebio scripsit. In Octavario romano habemus lectiones ex sermonibus s. Fulgentii, s. Augustini et s. Maximi de s. Cypriano; s. Petri Chrysologi de s. Apollinare; s. Ioannis Chrysostomi de s. Ignatio et de s. Philigonio; s. Ambrosii de s. Eusebio; s. Gregorii Nysseni de s. Meletio; s. Bernardi de s. Victore, quae aptantur aliae pro martyribus, aliae pro episcopis, aliae pro confessoribus. Item in officio proprio per octavam s. Vincentii a Paulo habentur lectiones ex vita s. Malachiae a s. Bernardo conscripta.

« Tertii generis, sequitur Guyetus, sermones apti equidem sunt atque idonei, sic tamen ut aliis sanctis eiusdem ordinis aeque possint accomodari; unde cum non sint magis proprii quam alii in ipso Breviario in communi sanctorum positi, non est quod in iis seligendis labor impendatur ».

Ceterum, lectiones in festis sanctorum pro II nocturno, sint historicae, sint ex sermonibus Patrum, noviter post Pium V sumi nequeunt, nisi prius ab Apostolica Sede adprobatae.

Notandum est, in quodam novo officio propositas fuisse lectiones II nocturni ex operibus s. Francisci Salesii, et in III nocturno ex s. Alfonsi a Ligorio, opportune in latinum versas. Cum autem aliqui opinarentur id fieri non posse, quia non adhuc habetur versio latina authentica et ab Ecclesia probata horum doctorum, facile responsum est, sufficere ut S. R. C. acceptando in novo ufficio eiusmodi lectiones, versionem partialem ipsarum adprobet.

66. In seligendis autem lectionibus ab operibus Patrum ac Doctorum, haec sunt attendenda, ut scribit citatus Guyetus (l. c., q. 9): « Primo ut textus qui assumitur sufficiens sit ad unam lectionem conficiendam, quemadmodum de lectionibus sacrae Scripturae dictum est superius. Post unam vero lectionem, si duae aliae, vel post duas, si propria tertia non suppetat, nihil vetat ad commune recurrere ».

« Secundo, ut quaelibet lectio continenter, et non ex variis periodis sparsim in auctore collectis, contexatur: par sit item quantum sensus patitur trium seu duarum mensura, nulla denique prolixior ».

« Tertio, praemittendus semper auctoris titulus hoc modo: « Sermo sancti Leonis papae; s. Augustini episcopi etc. ». Quod si sermo infra Octavas alia iam die inchoatus continuetur, dicas « de sermone sancti etc. ». Si autem sermo non est, sed tractatus seu pars libri aut epistolae alicuius: « Ex libro s. Hieronymi presbyteri de scriptoribus ecclesiasticis; De expositione... in Isaiam profetam; de epistola... ad Nepotianum; ad Eustochium etc... ». In quibus omnibus adverte ex usu consueto Breviarii non designari quotus sit liber, aut tractatas, aut epistola ».

Potest tamen, ut mos est, locus adnotari rubro charactere, ex. gr. in officio b. Mariae in sabbato, mense Ianuario sic ponitur lectio III: « Ex epistola s. Ambrosii episcopi ad Siricium papam », ac dein notatur locus: « Epist. 81, aliter 7 post initium », et mense Maio: « Ex tractatu s. Augustini episcopi de Symbolo ad catechumenos », et locus signatur: « Lib. 3, cap. 4 in fine tom. 9 ».

Lectiones autem vere historicae, scilicet illae quae narrant gesta sanctorum, leguntur sine titulo, exceptis iis quae ex libris Ss. Patrum excerptae sunt, ut ex gr. lectiones quae pluries in Breviario habentur ex operibus s. Hieronymi, *de Scriptoribus ecclesiasticis.*

De Herdt citat decretum S. R. C. n. 1991, quod « Lectio festi simplicis adhibita pro IX lectione non debet legi, verbi gratia, Nona lectio pro Ss. Cosma et Damiano, *sed sine titulo* »; quod tamen ut patet non facit ad rem. Leguntur lectiones historicae sine titulo, quia in Breviario titulum non habent.

Hoc loco notandum venit, quod et ex actis Summorum Pontificum magnopere decet lectiones conficere; etenim si veneranda sunt scripta sanctorum Patrum ac Doctorum Ecclesiae, non minus accipienda sunt acta ac rescripta Romanornm Pontificum, qui doctores totius Ecclesiae sunt.

Hinc in festo Immaculatae Conceptionis ac per octavam opportune legitur bulla Pii Pp. IX dogmatica. In festo Ss. Cyrilli ac Methodii, legitur ex litteris encyclicis Leonis XIII, in Octava Dedicationis ex epistola s. Felicis IV. Atque in festo Ss. Lanceae et Clavorum decretum Innocentii VI.

Quando non habeantur lectiones historicae recurritur ad comune sanctorum, in quo diversae proponuntur quae pro diversitate sanctorum conveniunt.

Ex communi autem sumuntur illae quae magis aptae sunt, et si non assignantur, tunc regula desumatur ex lectionibus III nocturni, ita ut, ex quo loco, 1° vel 2°, lectiones III nocturni sumuntur, de eodem in II; et si lectiones in III nocturno non sunt de communi, regula desumenda est ex oratione, quae, si sit de communi, indicat utrum etiam lectiones ex 1° vel 2° loco sint recitandae (Cfr. S. R. C. decr. 2839 ad 6), Si vero neque Evangelium, neque oratio, sit de communi, lectiones sumi possunt ex 1° vel 2° loco, prout festo magis convenientes et accomodatae videntur, ut declaravit S. R. C. (decr. n. 2319, rel. dub. ad 17).

Item ait Rubrica: « Ex quo etiam Communi completur numerus trium lectionum de aliquo Sancto, qui habet tantum unam vel duas lectiones proprias ». De his multa exempla habentur in Breviario, uti in festis s. Timothei, s. Polycarpi, Ss. Soteris et Caii, s. Petri Coelestini et aliorum, inter quae et festum s. Bonaventurae. Miramur quod in festo huius Doctoris, quando immutatae et auctae fuerunt lectiones historicae s. Thomae Aquinatis (decr. 14 Octob. 1881), immutatae non fuerint eius quoque lectiones, eo magis quia in proprio Minorum iam habentur tres lectiones, ita ut pro s. Bonaventura adhuc legi debeat VI lectio de communi doctorum *Qui post Orionas.*

Ex hac lege, si officium habeat unam lectionem propriam,

prima lectio de communi erit II in officio, et secunda de communi erit III in officio, omittendo tertiam de communi, vel illam coniungendo cum antecedenti. Quod si officium duas lectiones proprias habeat, prima de communi erit III in officio, secunda autem et tertia de communi vel omittantur, vel cum praecedenti coniungantur.

Infra octavas repetitur officium quod in festo assignatur, variatur tantummodo lectiones. Cum enim, ut patet cuique percurrenti Breviarium, mens sit Ecclesiae, ut lectiones quotidie varientur, ideoque per singulos dies infra octavas, ex gr. s. Laurentii, Nativitatis s. Mariae, Omnium Sanctorum, lectiones ponuntur propriae, sumptis reliquis partibus Officii ex die festo, praestat ut idem fiat infra octavas proprias, quae non sunt in Breviario.

Hinc est, quod *Octavarium romanum*, a Gavanto elaboratum, S. R. C., decreto, d. d. 19 Februarii 1622, adprobavit et et imprimi iussit; imo decretis 2735[1], 2981[1], et 3624[4] edixit, ut quisque lectionibus in ipso octavario contentis uti posset, absque novo indulto. Licet vero alio decreto 3876 eadem S. R. C. declaraverit, quod « deficiente octavario, lectiones in die Octava alicuius sancti, qnae non reperiuntur in Breviario, sumi debeant de die festo », nihilominus decretum hocce, non ad litteram, sed iuxta spiritum est accipiendum, ne menti Ecclesiae obluctetur.

Quapropter tu, carens Octavario romano, infra octavam titularis Ecclesiae tuae bene poteris lectiones II nocturni sumere ex communi, *reperiuntur enim in Breviario*, ut vult citatum decretum. Imo, si ex gr. titularis sit s. Franciscus Assisiensis, lectiones in III nocturno mutuabis ab officio s. Felicis a Cantalicio, quod invenitur in appendice Breviarii pro aliquibus locis, sunt enim super idem Evangelium *Confiteor* etc.

67. In tertio nocturno semper leguntur tres lectiones de homilia in Evangelium, positae in proprio, aut ex Communi assignatae. « Priscis temporibus, ut supra diximus, ait Meratus (hoc loco, n. XI), ad III nocturnum lectiones ex novo quidem Testamento desumptae legebantur, sicut etiam usque modo leguntur tribus diebus ante Pascha, non vero legebatur Evangelium, quia hoc missae lectioni destinatum erat. Verum postea III nocturni ordo mutatus fuit, et institutus ritus legendi Evangelium ».

Sicut enim lectiones II nocturni, maxime in proprio de tempore, ut plurimum sunt explanationes alicuius Patris super le-

ctiones scripturales I nocturni, ita homiliae in III, sunt explanationes Evangelii quod legitur ea die.

Lectiones autem in III nocturno sumuntur vel ex proprio de tempore, vel ex proprio sanctorum, et, hisce deficientibus, ex communi sanctorum. Accidit autem aliquando, quod in nonnullis officiis propriis legenda sit homilia super Evangelium, ex. gr. *Videte, vigilate et orate*, quae non invenitur in Breviario, neque in proprio sanctorum, neque in communi, neque in appendice pro aliquibus locis. Tunc, iuxta rubricam Octavarii romani, a S. R. C., ut iam notavimus, adprobati, Evangelium ipsum mutari debet, etiam in missa, in aliud: *Vigilate, quia*; quod coaheret quoque cum decreto S. R. C. n. 2587[5]. Ratio est, quia in officio legenda est homilia super idem Evangelium, quod ponitur in missa, et viceversa; quia vero in casu desideratur homilia, oportet ut et aliud Evangelium sumatur in missa, cuius homilia habeatur in Breviario.

Rubrica docet quod: «*primae lectioni de homilia semper praeponitur principium Evangelii, de quo est homilia.* Iuxta Meratum (ibid.), institutus fuit ritus legendi initium tantum Evangelii diei, ad nimiam officii longitudinem evitandam, totum enim Evangelium diei legitur ad missam.

Iuxta vero ritum monasticum, in III nocturno post hymnum *Te Deum*, legitur textus Evangelii de die, licet ante primam lectionem initium eius lectum iam fuerit.

68. Circa lectiones alia regula sequenda est, quae sic traditur a rubrica: «Si in officio novem lectionum, in quo non dicitur nonum responsorium, contingat fierit commemorationem de aliquo sancto, qui propriam habet lectionem, nona lectio legitur de sancto: si habuerit duas lectiones, ex duabus fiat una lectio, omissa nona lectione in dicto officio novem lectionum, vel octavae lectioni adiuncta. Item de festo duplici aut semiduplici, si fiat tamquam simplex, legitur nona lectio composita ex omnibus sancti lectionibus historicis secundi nocturni, ut supra dictum est in rubrica de commemorationibus, num. 10».

Huiusmodi rubrica, quamquam pressa ac concisa, nihilominus legem ponit nitide atque peraeque. Hic agitur primo de officiis *novem lectionum*, ergo in officiis trium, non exclusis iis quae sunt de infra octavas Paschatis et Pentecostes, numquam dicitur nona lectio de sancto, cuius agitur commemoratio in laudibus.

Agitur secundo de officiis novem lectionum, in quibus *non*

dicitur nonum responsorium, ergo in dominicis Adventus et in illis quae obveniunt a Septuagesima usque ad Pascha, in quibus omittitur *Te Deum*, sed eius loco dicitur IX responsorium, numquam dicetur nona lectio de sancto commemorato. Ratio est, quia responsorium relationem habet cum lectione praecedenti; igitur si diceretur nona lectio de sancto, ac postea nonum responsorium, hoc nihil relationis haberet cum sancti historia. Ad rem ait Gavantus (hoc loco): « Omittitur eo casu de sancto, quia responsorium nonum non bene quadraret lectioni de sancto ». Ad rem vide quae infra dicuntur n. 74.

Ut autem pro sancto commemorato legatur IX lectio, oportet quod haec sit historica, ut expresse habetur in rubricis (tit. X, n. 9), ubi legitur: *si propriam de vita Sancti habuerit lectionem*. Vi huius rubricae, in Breviario ponitur lectio IX de Ss. Machabaeis, die 1 Augusti, et de s. Felicitate, die 23 Novembris, licet utraque ex operibus Ss. Patrum sit excerpta, quia, ut legenti patet, est *propria*, nempe peculiaria gesta eorumdem sanctorum enarrat, et ex communi non desumitur. Et contra, exempli gr. die 14 Februarii, si occurrat festum novem lectionum, fit quidem commemoratio s. Valentini M., non dicitur tamen eius IX lectio, quia est de communi.

Quod si sanctus habuerit duas lectiones, ex duabus fiat una lectio. Rubrica ista in praxim deducta est iam, data occasione, in Breviariis post Clementem VIII editis; nam, festa simplicia Ss. Marii et Soc. die 19 Ianuarii, s. Valeriani 19 Aprilis, s. Ioannis I, P. M. 27 Maii, Ss. Basilidis et Soc. 12 Iunii, Ss. Gervasii et Protasii 19 Iunii, s. Simphorosae et Filior. 18 Iulii, s. Stephani I, P. M. 2 Augusti, s. Chrysogoni 24 Nov. in Breviario s. Pii V binas lectiones habebant, quae in unam coniunctae sunt, postquam iisdem diebus, festa novem lectionum inducta fuerunt.

69. Hoc loco opportune habet rubrica: « ... omissa nona lectione in dicto officio novem lectionum, vel octavae lectioni adiuncta ». Nempe, quando legenda est IX lectio de sancto commemorato vel alia, omitti potest nona lectio de homilia diei, vel adiungi octavae. Huiusmodi rubrica, una esset ex illis quae ab aliquibus *directivae* vocantur; eo quod libera electio in casu relinquitur, vel legendi octavam lectionem seorsim, vel legendi eam cum nona coniunctim. Nihilominus, neque haec *directiva* vocari debet, nam octava lectio praecipitur, ideoque est vera lex, licet ad libitum reliquatur nonae lectionis adiunctio.

Aliquando tamen praestat, ut nona lectio homiliae revera

cum nona coniungi debeat, ait enim Gavantus (hoc loco, n. 18): « Tamen in quibusdam casibus deberet omnino nona legi adiuncta octavae lectioni; nimirum quando in nona lectione continetur laus propria eorum de quibus agitur festum, v. gr. in festo Ss. VII Fratrum, cuius in nona lectione laudatur mater ipsorum; et in festo Ss. Nerei, Achillei etc., quorum laudes propriae habentur in nona lectione; at in gratiam huiusce nonae lectionis datum est Evangelium integrum eorum festo, alioquin non valde congruum, a dominica XX post Pentecostem desumptum ».

Ex adverso, pluries in Breviario notatur, quod lectiones de homilia dividi debeant in tres, quando per accidens ob translationem non dicitur nona lectio, vel simplicis vel de feria aut de dominica. Uti ex. gr. die 14 Ianuarii pro s. Hilario E. C. D., in casu quo transferatur, et non occurrat alia IX lectio. Item in Patrocinio s. Ioseph, et in festo Pretiosissimi Sanguinis, quando similiter transferuntur.

In novissima rubricarum emendatione haec ad rem addita sunt: « Item de festo duplici vel semiduplici, si fiat tamquam simplex, legitur nona lectio, composita ex omnibus Sancti lectionibus historicis secundi nocturni », ad mentem Brevis *Nullo umquam* Leonis Pp. XIII, quo suppressa est translatio duplicium et semiduplicium. In eo rursus declaratur, quod nona lectio de sancto simplificato componatur ex omnibus lectionibus *historicis*. Hinc de sanctis qui VI^{am} lectionem habent de communi, et aliquando V^{am} et VI^{am}, legi debet tantummodo I^{a}, vel I^{a} cum II^{a} propria ex historia, ceteris omissis, quae historicae non sunt.

Porro ex gr. si die 27 Ianuarii impediatur festum s. Polycarpi M. P., de eo fit commemoratio, pro nona autem lectione sumitur IV^{a} solummodo, omissis V^{a} et VI^{a}, quae sunt de communi. Imo si die 23 Aprilis impediatur festum s. Georgii M., non dicitur nona lectio de eo, quia nullam habet historicam lectionem.

Item « si plures occurrant nonae lectiones propriae de sanctis, legitur tantum illa dignioris ». Haec etiam verba adiecta fuere in nova rubricarum emendatione, quando scilicet, ob redactionem ad ritum simplicem festorum duplicium et semiduplicium, data est possibilitas simultaneae occurrentiae festi simplificati, et festi simplicis, habentium lectionem historicam propriam. Suppone: die 26 Maii occurrit vigilia Pentecostes, ideoque agenda est commemoratio s. Philippi Nerii C. duplicis simplificati et s. Eleutherii P. M. simplicis, simul eadem die occurrentium.

Nona lectio in casu erit de *digniori*, nempe de duplici simplificato, s. Philippo, omissa alia de simplici.

In casu tamen poteritne aliquis et lectionem addere de simplici? Distinguo, in recitatione privata poterit quidem, primo quia id congruit spiritui rubricarum; secundo quia pietas erga sanctos magis fovetur, quod semper intendit s. Mater Ecclesia; tertio deniqne quia stat effatum, utile per inutile non vitiari, ideoque non contra, sed praeter legem ageret qui lectionem simplicis pro sua devotione adderet in casu. Ceterum nullum oritur inconveniens ex duplici sanctorum historia, quemadmodum nullum habetur quando legendae sunt lectiones coniunctim de tribus una, historiae Ss. Nerei, Achillei atque Pancratii, vel Ss. Nazarii, Celsi, Victoris et Innocentii, si recoluntur ad modum simplicis.

In recitatione vera publica in choro, negative respondendum esse censemus, eo quod adverbium *tantum* videtur eiusmodi esse naturae, ut superior non possit obligare suam communitatem ut audiat lectionem a rubricis ea voce exclusam.

Pretium est operis hic in compendium exhibere leges circa nonam lectionem historicam Sanctorum, quando scilicet et quomodo legenda sit. De sanctis ergo, item et de beatis ubi de eis officium concessum est, sive per se ritum simplicem habentibus, sive ad ritum simplicem redactis, commemoratio agenda est, et legitur nona lectio semper, dummodo sequentes occurrant conditiones: 1. Si officium impediens non sit duplex I classis. 2. Si officium impediens sit novem non trium lectionum. 3. Si officium impediens non habeat nonum responsorium, loco hymni *De Deum*. 4. Si ea die non sit legenda alia lectio nona, puta de dominica vel de feria occurrente. 5. Si de sanctis vel beatis commemoratis habeatur una saltem lectio de vita ex gestis eius, scilicet quae sit historica. 6. Si non occurrat infra octavam SS. Corporis Christi.

70. Titulus libri ex quo sumuntur lectiones de Scriptura, et nomen auctoris, cuius sunt lectiones II et III nocturni semper est legendus, ut prostat in Breviario; nisi aliter in propriis locis notetur, ut in I nocturno Nativitatis Domini, cuius lectiones Isaiae leguntur sine titulo, quod praescriptum esse iam invenitur in antiquo Ordinario Lingonensi, ut notat Martène (*De ant. Eccl. rit.*, l. 4, c. 12, n. 9). Qua autem de causa omittatur in die Nativitatis titulus, plures producuntur sententiae doctorum, non bene tamen nobis satisfaciunt. Qui veritati proxime accedit, ut nobis videtur, est Meratus, qui (hoc loco, n. 12) docet: « Anti-

quitus postquam libri inscriptio semel lecta fuerat, sequentibus diebus, durante eiusdem libri lectione, minime repetebatur inscripto, seu titulus libri; hinc sine inscriptione leguntur lectiones Isaiae ad I nocturnum Natalis Domini »; et in Adventu sane de Isaia lectum est quotidie. Ceterum Breviaria monasticum, carmelitanum, dominicanum, antiquum placentinum, et ipsum parisiense, hanc rubricam habent, de legenda absque titulo prima lectione in matutino Nativitatis; quae tamen desideratur in ambrosiano Breviario.

« In vitis autem sanctorum, ait Gavantus (hoc loco, n. 19), eo casu legitur titulus, quando est auctoris classici: puta, cum legimus *de libris s. Hieronymi, de Scriptoribus ecclesiasticis, et huiusmodi* ».

71. Lectiones concluduntur a lectore cum formula: *Tu autem, Domine, miserere nobis*; non *Domne*, ut ante lectionem, cum dicitur: *Iube, Domne, benedicere*; quia, ut notat Gavantus (hoc loco, n. 20): « cum Deo loquitur lector, et indicat, ne ipsum quidem officium praedicandi sine alicuius, vel levis, culpae pulvere peragi posse ».

Ad rem adiungit Meratus (ib., n. 13): « Olim valde prolixae erant lectiones, quae recitabantur in nocturnis; Aureliani siquidem regula praescribit, ut tres vel quatuor paginae legantur pro Scripturae modo, s. Caesarius vero ait, tres paginas ad singulas lectiones legendas esse. Uldaricus in Consuetudinibus Cluniacensibus refert, librum Geneseos, Septuagesimae hebdomada perlectum fuisse, Isaiam sex ante Adventum noctibus; Epistolam ad Romanos duabus; unde libri cuiusque lectio donec absolutus esset perdurabat, et ideo integra legebatur s. Scriptura in cursu divini officii ».

« Quoniam igitur prolixae ita erant sacrae lectiones, pertinebat ad eum qui choro praesidebat, iubere, ut lectio cessaret, dicendo *Tu autem*, respondente lectore: *Domine, miserere nobis.* Chorus autem dicebat: *Deo gratias* ». Quod ex Mabillon (*Mus. ital.*, t. 2, p. 128) refert etiam Bäumer (*Hist. du Brév.*, I, p. 384), qui (ib. p. 423) edit etiam tropos pro conclusione: *Tu autem, Domine*, in nocte Nativitatis Domini, nempe: 1° Tu autem, Domine, *qui hodie humanitatis nostrae particeps fieri dignatus es*, miserere nobis; 2° Tu autem, Domine, *qui hodie pro salute humani generis nasci dignatus es*, miserere nobis; 3° Tu autem, Domine, *qui hodierna die per uterum intactae Virginis ad nos venire dignatus es*, miserere nobis, etc.

CAPUT XV.

DE RESPONSORIIS POST LECTIONES

72. *Responsorium* vox est omnino ecclesiastica, quae in genuinae latinitatis vocabulariis desideratur, licet a latina lingua derivata. Ducange (v. hac voce) ita eius notionem exhibet: « *Responsorium, responsorius cantus*, cantus ecclesiastici species, sic dictus, inquit Isidorus, l. 1 *de Eccl. Offic.*, c. 8, et l. 6. *Orig.*, c. 19: « *Quod uno canente, chorus consonando respondeat* »; et paulo inferius, ex Alcuino, tradit versiculos:

> Hymnos ac Psalmos, et Responsoria festis
> Congrua promemus subter testudine templi.

A cantu responsorio, de quo supra egimus, ortum habuit pars illa divini Officii, quae postea Responsorium vocata fuit.

Bäumer (I, p. 172) citat Constitutiones apostolicas (l. 2, c. 57), in quibus iam nominantur *Responsa* et *Responsoria* (ἀχροστίχια), quae tamen tunc erant ad instar antiphonarum; et docet, quod *respondere, succinere*, ὑπακούειν, ὑποφάλλειν videtur ortum habuisse in Italia, ibique magnum obtinuisse honorem. Quod et referunt Gavantus ac Meratus (hoc loco). B. card. Thomasius, in sua excellenti praefatione in *Responsorialia* Romanae Ecclesiae (Op. omn., edit. Vezzosi, 1747, t. 4, p. 3), docet, antiquissimum esse eiusmodi Responsoriorum usum in Ecclesia romana, quam postea acceperunt ecclesiae Galliarum et Hispaniarum, ut ex veteribus earum gentium conciliis satis apparet.

Responsoria itaque, quae in Breviario habentur, duabus partibus constant, et ita iam inveniuntur composita usque ad saeculum x. Prior, quae sigla ℟ signatur, illa est, quae proprie Responsorium dicitur; secunda, quae sigla ℣ notatur, Versus appellatur. Prima pars rursus in duas frangitur, et fractio signatur cum asterisco * quia inde repetitur ultima sectio responsorii.

Notandum tamen est quod diverso modo recitabantur responsoria, teste Amalario (*De Ordine Antiphonii*, c. 18); Romae enim post versum, totum repetebatur responsorium; in Gallia

vero post versum solummodo repetebatur secunda pars responsorii, ut postea factum fuit in ipso Breviario romano. Exemplum a Bäumer (I, p. 404) datum rem melius explicabit. Iuxta ordinem romanum, responsorium hoc: *Iustus germinabit sicut lilium, et florebit in aeternum ante Dominum. ℣ Plantatus in domo Domini, in atriis domus Dei nostri*, ita recitandum erat, ut post ℣ *Plantatus*, etc., totum resumeretur ℟ *Iustus*, etc., usque ad *ante Dominum* inclusive: in Gallia vero post ℟ resumebatur tantummodo secunda pars responsorii, nempe: *et florebit*, etc.

In quo exemplo tam more romano quam more gallicano, sensus verborum in utraque diversa partitione, sive totius responsorii, sive secundae partis, plane est admissibilis ac rationalis. In alio tamen exemplo, ab eodem Bäumer dato, sensus remanet solummodo si integrum resumatur responsorium. *Tu es Petrus, * ait Dominus ad Simonem. ℣ Ecce sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo*; modum ordinis romani sequendo, repetitio totius responsorii post ℣ sensum habet completum; si vero iuxta gallicanum ritum responsorium frangatur ad asteriscum, repetendo tantummodo verba: *ait Dominus ad Simonem*, haberetur, quod Iesus dixisset *ad Simonem, ecce sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo ! !*

Ut autem in responsoriis hoc inconveniens omnino tolleretur, Helisarchius pius sacerdos, qui fuerat Ludovici I imperatoris a secretis, responsoria correxit ac reformavit, ut ex Amalario docet Bäumer (ibid.), qui in nota citat epistolam ipsius Helisarchii ad socium suum Nebridium, in qua ad rem legimus: « Responsoria, auctoritate et ratione carentia, versusque qui in quibusdam responsoriis a nostris vestrisque cantoribus inconvenienter aptabantur, cum animum vestrum magna ex parte obnubilarent, ideoque..., etc. ».

Cum autem opus correctionis ab Helisarchio coeptum, et ab Amalario propugnatum, e Galliarum finibus exiisset, etiam Romae responsoria sic emendata accepta paulatim fuere, ideoque et modus repetendi, non totum responsorium, sed secundam eius partem, iuxta morem gallicanum, communis evasit et in ritu romano. Responsoriale basilicae S. Petri saeculi XII a beato card. Thomasio publicatum, hoc clarissime demonstrat; idcirco saeculis X, XI ac XII, antiqua responsoria latinae ecclesiae, quae partem pulchriorem et elegantiorem constituunt totius officii, hanc maximam et omnium praestantissimam correctionem acceperunt, prout iacet in romano Breviario.

73. Cl. Guyetus nos docet de modo conficiendi responsoria, et licet Helisarchii epistolam ignoraverit, quae aetate nostra (anno 1885) primo edita fuit ab Edmundo Bishop (cf. Bäumer, ib.); nihilominus rem penitius more suo attingit scribens: « Cum autem responsorium quodlibet duabus constet partibus... (℟ et ℣), sic ambo invicem committi et aptari decet, ut verba in quibus desinit versus cum parte responsorii resumenda quadrent apprime, sensum efficiendo haerentem et congruum, non autem distortum et a proposito aberrantem (l. 3, c. 4, q. 5) ». Id videtur studiosissime factum in omnibus responsoriis, quae in *Proprio de Tempore* inveniuntur. Ecce tibi exemplum convenientissimi responsorii, quod est Dominicae Septuagesimae, obiter sumpti: ℟ *Dixit Dominus Deus: Non est bonum hominem esse solum:* * *Faciamus ei adiutorium simile sibi.* ℣ *Adae vero non inveniebatur adiutor similis sibi: dixit vero Deus.* — *Faciamus ei adiutorium simile sibi.*

In quo animadvertendum est, verba *dixit vero Deus*, quibus versus concluditur, non esse in sacro textu Genesis, sed opportunissime ibi inducta fuisse, ut sensum *haerentem* et *congruum* versus ipse haberet, ut vult Guyetus, cum secunda parte responsorii.

Qua de causa pluries invenimus in Breviario antiphonas et responsoria, in quibus, ut melius quadrent, variantur aliqua verba, et aliquando adduntur; unde s. Bernardus (Serm. 3, *de Vig. Nativ.*) bene scripsit: « Cum Ecclesia in Scripturis divinis verba vel alterat, vel alternat, fortior est illa compositio, quam positio prima verborum ».

In officio Patrocinii s. Ioseph habemus responsoria quae certo certius cum huiusmodi regulis adamussim non conveniunt; ex. gr. ℟ II: *Fecit me Deus quasi patrem regis, et dominum universae domus eius:* * *Exaltavit me, ut salvos faceret multos populos.* ℣ *Venite ad me, et ego dabo vobis omnia bona Aegypti, ut comedatis medullam terrae.* — *Exaltavit me ut salvos faceret multos populos.* Quod multo melius haerentem sensum haberet, si in secunda parte responsorii adderetur particula *enim*, dicendo: *Exaltavit enim me ut salvos faceret multos populos*, sicque convenientius responderet, et primae responsorii parti, et versui sequenti.

Ceterum dolendum est, quod in novis officiis aetate nostra confectis, huiusmodi sapientissima ac nativa regula, in constructione responsoriorum, saepe saepius neglecta fuerit.

En ex. gr. ℟ V in festo Inventionis pueri Iesu in medio Doctorum pro aliquibus locis: ℟ *Post triduum invenerunt Iesum parentes eius,* * *In templo sedentem in medio Doctorum.* ℣ *Inveni quem dtligit anima mea, tenui eum nec dimittam.* — *In templo sedentem in medio Doctorum.*

In quo revera habemus sensum distortum et a proposito aberrantem, qui iuxta doctrinam Guyeti debet sane evitari: *tenui eum nec dimittam, in templo sedentem in medio Doctorum.*

74. Responsoria dicuntur post lectiones, et ideo Rupertus, a Grancolas citatus (c. 30), hanc exhibet responsorii notionem: « Quia respondet lectionibus, tristia tristibus, laeta laetis, succinente choro ».

Quapropter optime paulo inferius sic scribit idem Grancolas: « Responsoria optandum esset ut cum lectionibus affinitatem haberent, qualia sunt responsoria dominicae et feriarum, quae petita sunt ex libris paulo ante lectis; lectionum enim responsoria instituta sunt, ut quiescendi spatium legenti concedatur, et ei, qui lecturus est, se parandi, atque ad auditorum attentionem conciliandam, spatiumque iis concedendum, quae lecta sunt considerandi ». — « Saepe autem fit, ut quotidianae e Scriptura lectiones nullam affinitatem habeant cum responsoriis de communi sanctorum; imo sunt quaedam, quae ex adverso oppositas significationes habent, velut cum legitur historia Absalon vel Achab, aut cuiusvis alterius mali principis, et dicitur: ℟ *Ecce sacerdos magnus,* vel *Sponsabo te mihi in iustitia* ».

Concludit ergo opportunissime: « Possent propterea festis diebus, cum de feria lectum est, de feria quoque responsoria adiici ». Sicque, nos addimus, pulcherrima illa responsoria, quae in proprio de tempore sunt, a clericis recitarentur, cum non modica aedificatione, dum e contrario, repetendo quotidie centies et millies responsoria de communi, perpetuo in oblivione manent responsoria ferialia, quae inaniter nunc in Breviario eduntur!!

Tanta enim erat antiquitus, erga responsoria de tempore religio, ut dominicae, in quibus responsoria dicenda erant ex novo libro sacrae Scripturae, perinde haberentur atque dominicae Adventus et Quadragesimae, translatis videlicet festis, quae in iis occurrebant, ut de festo s. Matthaei observat Rodulphus (prop. 16) ad finem. Quia addit Guyetus (l. 4, c. 17, q. 5), « et Breviarium ipsum romanum, ante recognitionem Clementis VIII, praecipiebat officium fieri de feria, suppresso festo simplici, vel

officio b. Mariae in Sabbato, potius quam historia Esther aliave similis omitteretur ».

Vox autem *historia*, hoc loco adhibita a Guyeto, nil aliud significat, nisi responsoria quae ponuntur in Dominicis et feriis, et sumpta sunt ex eodem libro sacrae Scripturae ex quo dicuntur lectiones; sunt enim responsoria historica, velut aptus cantus drammaticus eximia et simplici poësi refertus, perbelle referens loca potiora eiusdem libri. Confer pro omnibus elegantissima ac undequaque laudanda responsoria ex historia Ioseph, quae leguntur in dominica II Quadragesimae.

Cyclus ergo responsoriorum de tempore, sicut et antiphonarum in sabbatis post Pentecosten, *historia* appellatus est, et Micrologus iam caput 32, ubi agit de responsoriis, intitulat *de historia.*

In antiquis Breviariis item historiam invenimus appellata responsoria, ex. gr., historia *Domine, ne in furore*, historia *Deus omnium*, etc. Sed et in hodierno romano Breviario (Tit. 4, n. 7), legimus: «... Dominica prima mensis in qua primo ponitur initium de Scriptura cum sua historia, idest cum Responsoriis ».

75. Quando in officio dici debeant octo vel novem, responsoria aperte suis locis docet breviarium; quando enim in missa dicitur *Gloria in excelsis*, in officio, loco noni responsorii, dicitur *Te Deum*. Quoad vero *Gloria Patri*, sciendum est serius adiunctum fuisse in responsoriis, Amalarius enim, qui scripsit anno 832 librum *de Ordine Antiphonii* (cap. 1), ait: « Priscis temporibus non cantabatur *Gloria* post versum, sed repetebatur responsorium... a modernis vero apostolicis additus est hymnus *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto* post versum ».

Dicitur vero post versum, nempe post repetitionem secundae partis responsorii, quae iterum post *Gloria Patri* repetitur. Laudatus b. Card. Thomasius censet, hoc additamentum mutuatum fuisse ex s. Benedicti regula, Rodulphus vero Tungrensis (prop. IX) scribit: « *Gloria Patri* responsorium Romae in libris antiquis requiritur integre cantatum ad notam toni; sicuti facimus post Introitum; et quia posteris non placuit totum cantari, ideo decise cantatur in quolibet octo tonorum usque *Sicut erat* ».

Regulare est quod in fine ultimi responsorii cuiuslibet nocturni, tam in officio novem quam trium lectionum, dicatur *Gloria Patri*; scilicet in tertio, sexto et octavo Responsorio (vel in nono si *Te Deum* non dicatur), si officium sit novem le-

ctionum; in secundo vero Responsorio (vel in tertio si *Te Deum* omittatur) si sit trium.

Tempore Passionis, loco *Gloria Patri*, repetitur Responsorium a principio. Meratus (hoc loco) citat canonem 15 concilii Toletani IV, anno 633 sub Honorio I celebratum, in quo statutum est, in responsoriis *Gloria Patri* esse canendum cum hac discretione, ut in laetis sequatur *Gloria*, in tristioribus repetatur principium. Ideoque in concilio Aquisgranensi resolutum est (can. 66), *Gloria Patri* esse omittendum a dominica Passionis usque ad Pascha, quia « a tali Dominica incipit Ecclesia recitare ignominiam passionis Christi, et gloria Christi cum ignominia passionis eius dicenda non est congrue ». Idcirco qua de causa doxologia *Sempiterna sit beatae Trinitati gloria*, etc., dicatur ad Crucis adorationem in feria VI maioris hebdomadae nescimus. Ob eamdem rationem luctus, non dicitur *Gloria Patri* in officio defunctorum, eiusque loco ponitur *Requiem aeternam*.

76. Responsoria de Tempore sumuntur ex libro sacrae Scripturae qui tunc temporis legitur, ideoque responsoria unius hebdomadae repetuntur donec in sequentibus hebdomadibus idem liber, seu eadem historia, legitur. Suis locis per speciales Rubricas haec regula applicatur in Breviario. Illa vero responsoria posita in quibusdam dominicis, quando impediuntur dici debent per hebdomadam sequentem, eadem quasi ratione qua, cum initium alicuius libri, quod sua die lectum non fuerit, ponitur sequenti die, et omittuntur lectiones propriae illius diei, non enim ita sunt propriae lectiones scripturales, et responsoria in feriis, sicut sunt propriae puta lectiones historicae in festis sanctorum. Incongruum porro esset, si ex. gr. in festo s. Georgii M. omitterem lectiones eius de communi in II nocturno, ut legerem lectiones historicas Ss. Soteris et Caii, quia pridie forte hae fuerint impeditae, in casu autem nostro res toto coelo differt, et ratio reponendi responsoria dominicae, etiam cum omissione responsoriorum quae sunt propria alicuius feriae, tota sita est in ordine eorumdem responsoriorum, ita ut non liceat posteriora dicere, nisi antea priora sint lecta.

Hac de re rubrica hodierna a primitivo rigore discessit, nam ante recognitionem factam sub Clemente VIII, sic se habebat: « Si vero in tota hebdomada non occurrat dies in quo fiat de feria, prima die non impedita festo novem lectionum fiat officium de feria cum commemoratione festi trium lectionum in ea occurrentis. Si tota hebdomada fuerit impedita officio IX lectio-

num... fiat de feria ut supra, et festum semiduplex transferatur ». Scilicet tanta erat erga responsoria de tempore veneratio maiorum, quod Breviarium ipsum romanum nostrum praecipiebat officium fieri de feria, etiamsi oporteret redigi ad solam commemorationem festum simplex (imo quamvis deberet transferri festum semiduplex) ut locus daretur officio feriali, cum suis pulcherrimis responsoriis. Gavantus, qui unus fuit ex recognitoribus rubricarum sub Clemente VIII, ait (hoc loco, n. 8): « Neque visum est in recognitione Clementina Breviarii convenire ut pro recitatione primorum responsoriorum fiat officium de feria translato semiduplici festo, vel suppresso quandoque ob hanc causam festo simplici, quod alias fiebat cum admiratione populi, qui missam de sancto, potius quam de feria optabat audire ». Miramur quod Gavantus tam insignis rubricarum illustrator hanc missae rationem in medio proferat, dum ipsa nihil vel parum valeat. Nemo enim ignorat, in feriis per annum, imo et in festis semiduplicibus, missam votivam dici posse, quapropter, si admiratio populi aliquid valeret in casu, bene in festo simplici poterat officium feriale recitari, et missam de ipso simplici festo celebrari, vel votivam de semiduplici transferendo. Dicendum potius est, reverentiam erga responsoria de tempore, succrescente festorum copia, paulatim cum moerore locum cessisse.

Nihilominus regula, quae post Clementem VIII responsoria de tempore omittenda esse declarat, in casu impedimenti, nimiam iacturam non inferebat ipsis responsoriis, usque ad medium saeculum XVIII, quando scilicet nec calendarium tanta copia sanctorum redundabat, nec officia votiva tam facile concedebantur. Nostris tamen temporibus omnino deplorandum est, quod huiusmodi responsoria, tanta artis venustate concinnata, tantam gratiam christiani sensus redolentia, numquam prorsus, si excipias responsoria dominicarum maiorum, a clericis recitari possint. *Ut quid* Breviarium *occupant*? Nonne superfluum nunc est in Breviariis responsoria post Epiphaniam, temporis paschalis et post Pentecosten, sicut et hymnos feriarum ac multos psalmos edere, quae numquam dicuntur?

CAPUT XVI.

DE RESPONSORIIS BREVIBUS AC DE VERSIBUS

77. *Responsoria brevia* sic appellantur illa, quae dicuntur in minoribus horis, quia reapse breviora sunt quam responsoria ad matutinum, ab antiquis *prolixa* vocata (Cf. Baümer, I, p. 173), et *magna* a Rodulpho (prop. 12).

Sicut enim, ad rem docet Guyetus (l. 3, c. 21, q. 1): « longioribus nocturnorum lectionibus subiiciuntur responsoria longiora, ita et capitulis horarum, quae breves sunt lectiones, responsoria brevia ».

In ritu autem monastico, nec non in dominicano ac carmelitico antiquo, habentur responsoria brevia post capitula in laudibus et vesperis. De hisce loquens Guyetus (ibid.) haec habet « Aio perquam legitimum esse usum eiusmodi (recitandi responsoria brevia ad vesperas etc.), adeo ut in choro saltem laudabiliter retineri possit non tantum ab iis ecclesiis, quae proprium habent Breviarium, sed ab aliis etiam quae romano adhaerent, si videlicet in eo perseveraverint hactenus. Ducor iis potissimum rationibus, quod usus ille sit antiquissimus, multorumque auctorum testimonio comprobatus. Item quod responsorii eiusmodi in vesperis summa sit celebritas, duobus, nonnunquam quatuor, canonicis, aut aliis e choro dignoribus cappis indutis illud concinentibus, adeo ut praecipua ea sit vesperarum solemnium nota; quae cum laudabilis consuetudinis rationem habeat, ex eorum plane numero censeri debet, quas minime tollendas declaravit saepius Sacra rituum Congregatio ».

Iuxta antiquam traditionem, ex tribus versibus nocturnorum, fiunt communiter responsoria brevia, ita ut qui versus fuit in primo nocturno sit responsorium breve horae tertiae, qui secundi sextae, qui tertii nonae. Similiter iidem versus ita inter se congeri solent, ut versus secundi nocturni, sit versus tertiae, nocturni tertii sextae, et versus Laudum pro nona inserviat. Diximus communiter, nam in officio de tempore per annum et in Adventu, sicut et in Nativitate Domini, independenter ab ordine versuum nocturnorum formantur responsoria brevia.

Antiquam ac saniorem regulam secutus est s. Thomas Aquinas in praeclaro officio Corporis Christi, sicut et sequuti sunt compilatores officii s. Ioseph et Immaculatae conceptionis et SS. Rosarii. Dolendum tamen quod in officiis recentioribus, huiusmodi lex antiqua, a Guyeto proclamata ac laudata (l. 3, c. 7, q. 4). saepe saepius neglecta fuerit, ut in utroque festo septem Dolorum B. M. V., in patrocinio s. Ioseph, et in utroque officio S. Cordis Iesu, sicut et in plurimis officiis pro aliquibus locis, ex. gr. Coronae spineae, Lanceae et clavorum, Quinque vulnerum, Fugae in Aegyptum D. N. I. C. nec non in festis Cordis Mariae, Puritatis, Expectationis partus et Apparitionis Immaculatae, ac s. Raphaelis archangeli.

Quod vero ad constructionem attinet responsoriorum, eadem regula sequenda est, quam infra tradimus de versibus, quibus responsoria ipsa componuntur.

78. Responsoria brevia semper in horis minoribus dicuntur, praeterquam in triduo mortis Domini, et per totam octavam Paschalem. Hisce enim diebus officium diversimode a communi stylo se habet. Igitur in signum maximae moestitiae in triduo mortis Domini, et maximi gaudii in festo et octava Paschatis, sicut omittuntur hymni et antiphonae in horis minoribus ita et brevia responsoria. Numquam variantur responsoria brevia ad primam, *Christe*, *Fili Dei* etc. et ad completorium, *In manus tuas*, *Domine*. Excipe tamen variationem ℣ *Qui sedes* ad primam, quia in quibusdam temporibus per annum, et in aliquibus festis ponitur versus proprius, qui dicendus est iisdem fere legibus quas tradidimus supra pro conclusione hymnorum. Itaque quando eadem die diversi occurrant versus proprii dicendi ad primam, nempe ratione temporis, ratione octavae, et ratione festi, quod suum habeat ℣ solita regula sequenda est; scilicet ℣ qui magis est proprius officio, ille praefertur. Igitur 1° dicitur ℣ proprius ipsius festis cuius recitatur officium; 2° si ille desit dicitur ℣ proprius octavae; 3° si octava non occurrat, vel proprius ℣ non habeat, ℣ proprius de tempore dicitur; 4° si iste quoque non occurrat, dicitur communis, nempe *Qui sedes* etc. Itaque, ex. gr. in festo Immaculatae Conceptionis, et per eius octavam, licet fiat officium de aliquo festo occurrenti, non dicitur ad primam ℣ *Qui venturus*, sed *Qui natus*, prout fit in omnibus festis et octavis B. M. V.; quia in casu ℣ proprius de tempore Adventus cedere debet ℣ proprio de ipso festo vel octava.

Quid autem erit agendum in dominica Adventus (II vel III),

quae occurrit infra octavam, vel in die ipsa octava ipsius Immaculatae Conceptionis? Dicendusne erit ℣ *Qui natus*, an potius *Qui venturus es?* Nos pluries in *Ephemeridibus liturgicis*, contra alios scriptores, annis 1889, 1890 et 1891, docuimus ℣ *Qui venturus* esse in tali dominica dicendum, hac maxime freti ratione: Quando plures versus proprii ad primam occurrunt, uti supra vidimus, consentientibus omnibus liturgicis doctoribus, praefertur 1° versus proprius officii, quod ea die recitatur; 2° versus proprius octavae; 3° versus proprius de tempore; atqui versus *Qui venturus es in mundum* est proprius *officii* quod recitatur in ea dominica, ergo ille, non ℣ *Qui natus* dicendus est. Advertant igitur, qui aliter a nobis sentiunt, et dicunt ℣ *Qui venturus*, esse *de tempore*, non *de officio*: certo certius est versus de toto tempore Adventus, et sub hoc respectu cedere deberet in casu versui octavae, sed est etiam proprius officii illius dominicae.

Equidem, vel numquam datur ad primam versus proprius alicuius officii, vel si datur, unus certe ex illis est, ℣ *Qui venturus*. Qualis est spiritus et sensus officiorum in Adventu, nisi desiderii et expectationis Redemptoris? Antiphonae, responsoria, lectiones, orationes, nonne aperte hos sensus declarant? Sed ut de ceteris taceamus, sufficit referre invitatorium matutini: *Regem venturum Dominum, venite, adoremus*; nonne ergo luce meridiana apparet, cum his sensibus plane concordare ℣ *Qui venturus?* Quod ergo dicatur ℣ *Qui natus* in festo Immaculatae, et per octavam eius, etiamsi agatur de Sanctis, facile intelligitur: primo quidem quia versus octavae praefertur versui de tempore; secundo autem quia ℣ *Qui natus* totus redundat ad laudem Virginis Deiparae, cuius agitur octava, et nil habet quod repugnet sensui occurrentium officiorum. Dicere autem in officio dominicae Adventus ℣ *Qui natus*, nimis repugnat spiritui expectationis. Quomodo ergo in eodem officio dominicae, in quo centies dicitur Christus esse venturus, ad primam dicetur Christus esse natum? Imo quomodo ad primam dominicae II, in qua recitatur antiphona *Ecce in nubibus coeli Dominus veniet*... et ad primam dominicae III *Veniet et non tardabit*, illico post capitulum dici poterit *Christe... qui natus es?* Nonne haec esset evidens repugnantia?

Equidem, ad evitandam huiusmodi repugnantiam S. R. C. (*Decr. 4039 antiq. coll.*) decrevit, prout et habetur in Breviario specialis rubrica, ut in festo Expectationis B. M. V. ad primam

diceretur ℣ *Qui venturus*, non vero *Qui natus*. Quod decretum exponens Cavalerius (T. 2, c. 30, decr. 9, n. 1) dicit: « Cum in hoc festo Maria inspiciatur in expectatione partus... omitti debuit... ℣ *Qui natus es de Virgine*, quo Christum fatetur natum, qui tamen in officio expectatur nasciturus, et usurpari... versus ad primam: *Qui venturus* ».

Quae ratio clarissima, si valet pro festo Expetationis partus, ita ut derogatum fuerit rubricae (Tit. 28, n. 3), quae mandat: *in omni officio B. Mariae dicitur:* Qui natus; eo magis valebit in casu nostro, in quo ℣ *Qui venturus* non solum quadrat officio dominicae, sed est revera *pars propria* eius officii.

Pone casum. In dioecesi A ob deficentiam dierum, cum perpetuo impediatur, festum Expectationis partus celebratur die 14 decembris. Quia occurrit infra octavam Immaculatae, qualis versus dicetur ad primam? Certo certius *Qui venturus*, quia est proprius *officii*, proinde praevalet versui octavae; cur idem non facies, imo maiori ex causa, in officio dominicae Adventus?

Neque dicas rubricam decernere versum *Qui natus*, in omni officio B. Mariae, *etiamsi infra eiusdem octavas fiat de festo vel de dominica*, ideoque vi huius rubricae, videri non esse excipiendam dominicam Adventus; quia rubrica agit de dominica, quae *proprium* non habet versum, quo omnes dominicae carent, exceptis dominicis Adventus; alioquin dicendum esset quod rubrica sibi contradicit, inferius enim ponit principium, quod numquam omitti debeat ℣ proprius officii diei, si habeatur. Et sane, si locutio huiusce rubricae severe esset accipienda, ex ea inferri posset, quod infra octavam Visitationis B. M. V., ubi celebratur, dicendus esset ℣ *Qui natus*, etiam in dominica in qua agitur festum pretiosissimi Sanguinis, spreto ℣ proprio illius officii *Qui tuo nos sanguine redemisti*.

Scimus, hanc nostram sententiam conformem non esse cum *littera* Gavanti (hoc loco, n. 3) et Cavalerii (ibid,), ut de pedissequis taceamus, nihilominus, eorum doctrinae et principiis plane est consona (1). Principium enim, quod occurrentibus pluribus

(1) Cum Gavantus obierit Mediolani anno 1638, et octava Immaculatae concessa fuerit ab Innocentio XII, qui anno 1692 Romanam Sedem obtinuit, nescimus quomodo ipse de hac octava loqui potuerit. Anne interpolatus fuit hic locus? Ceterum, etiam Meratus pluries et Guyetus cum Gavanto non conveniunt; ideoque nos magis movent adductae rationes, quam pondus auctoritatis Gavanti, in cuius verbo non iuravimus.

versibus ad primam, praevalere debet *versus proprius officii diei*, tanti est ponderis, quod si logica adhuc vim habet, nescimus quomodo in casu nostro principium illud non sit applicandum.

Haec autem nostra sententia in praxim non est traducenda, usque dum vigebit S. R. C. decretum 3 iulii 1896, n. 3924 ad 11, in quo declaratur, dicendum esse in casu ℣ *Qui natus*, iuxta editionem typicam Breviarii romani. Confidimus enim fore, ut sacrum tribunal denuo discussionem huiusce quaestionis suscipiens, decretum illud reformet.

79. Quod attinet ad recitationem doxologiae *Gloria Patri*, in brevibus responsoris vel eiusdem omissionem, vide quae supra diximus n. 75.

An autem dici debeat, vel omitti in ℟ br. ad completorium dominicae Passionis vel Palmarum, quando concurrit aliquod festum novem lectionum, controvertitur.

Gavantus (sect. 6, c. 12, n. 8) docet: « Certum est quod in concursu festi duplicis non omittitur *Gloria Patri*, ratione cuius completorium est festivum, in quo idcirco non dicuntur preces ». Quod certum est, nos addimus, quia *Gloria Patri*, omittitur tantummodo in responsoriis *in officio de tempore*, non vero in festis tempore Passionis occurrentibus. Atqui officium duplex incipit a primis vesperis, et desinit ad completorium sequentis diei inclusive, ergo.

« Controversia est (sequitur Gavantus) de festo semiduplici, de quo tamen diximus sect. 5, c. 14, n. 2, quod in II vesperis dominicae Passionis, inchoato festo per commemorationem semiduplicis, ea, quae sequuntur, festiva censentur. At in I vesperis dominicae Passionis, seu Palmarum, completorium sequens habet magis de ratione dominicae iam inchoatae in vesperis, quam de ratione festi iam finiti: et ideo debet omitti versus *Gloria Patri* ».

Haec doctrina non arridet Guyeto, qui (l. 4, c. 18, q. 26), habet: « Non placet hocce Gavanti discrimen, tum quia utrumque completorium tam dominicae quam sabbati aeque pertinet ad dominicam, ideoque si in uno omittendus est versus *Gloria Patri*, erit etiam in altero ». Meratus (ibid.) utramque sententiam refert, non tamen declarat quid ipse sentiat. De Herdt (P. 5, n. 21, II) doctrinam Guyeti sequitur, quem citat in nota, nemo autem germanam rationem exhibet, nec ipse Guyetus, qui tamen propius veritatem accessit.

Dicimus ergo, tum in casu quo vesperae in sabbato fiant a

capitulo de dominica, cum commemoratione praecedentis semiduplicis, tum in casu quo in dominica vesperae fiant de ea cum commemoratione sequentis semiduplicis, ad completorium omittendus est in ℟ br. versus *Gloria Patri*. Ratio est quia in utroque casu completorium pertinet pleno iure ad ipsam dominicam. Suppone quod celebrandum sit completorium solemniter, id est cum celebrante parato, prout S. R. C., die 31 augusti 1867 (cf. A. Carpo, *Caeremoniale*, p. I, c. V) Fratribus Minoribus concessit; cuius coloris erit pluviale celebrantis? Procul dubio violaceum erit; quia sicut in sabbato *Sitientes*, in quo factae sunt vesperae a capitulo de dominica, et in dominica in qua vesperae integrae de ea fuerunt, color pluvialis celebrantis violaceus est, ita ad completorium, in quo etiamsi celebrans paramenta non capiat, color pallii altaris violaceus est omnino. Ergo completorium est revera pars officii de *tempore Passionis*, licet in vesperis commemoratio facta sit de concurrenti semiduplici; ergo omittendum est prorsus *Gloria Patri* in ℟ br. completorii. Haec vera ratio quae Gavanto aufugit, et Guyeto integre non apparuit.

In aliquibus ex solemnioribus festis, extra tempus paschale, scilicet in Nativitate, Epiphania, in festo Corporis Christi, et in Transfiguratione D. N. adduntur duo *Alleluia* in responsoriis brevibus, non tamen ad primam et ad completorium, ut gaudium paschale magis resplendeat.

80. Nunc de versibus, quibus ut plurimum constant responsoria. Versus dicitur ab etymologistis membrum cuiusvis compositionis poeticae mensuram complectens pedum et syllabarum, quod in una tantum horizontali linea integre conscribitur, ita ut versus sequens in sequenti linea ponatur, quo usu ad caput cuiusque lineae redeundi, idest a *vertendo* scripturam, origo vocis *versus* exorta est. Habemus ergo versus hymnorum, qui cum revera sint carmina, proprie versus dicuntur. Per analogiam vocatae sunt *versus* particulae illae quibus dividuntur libri divini Scripturae sanctae.

Fatente Guyeto (l. 3, c. 6, in princ.) multiplex est acceptio vocis *versus* in divinis officiis, « potissima illa est qua accipitur pro eo, qui in singulis nocturnis praemittitur ante lectiones ». Versus itaque, in sacra liturgia, nil aliud est nisi quaedam brevis sententia, quasi semper scripturalis, quae canitur in choro ab uno vel a duobus cantoribus, quibus chorus respondet cum alio simili eamdem sententiam explente.

Scriptores rei liturgicae communiter vocis huiusmodi etymologiam aliter, symbolice potius, declarant cum Gavanto, qui (hoc loco n. 1) habet: « A vertendo dicitur *versus*, Alcuinus, c. *De celebr. Missae*, et hoc habet singulare versus ut excitet corda cantantium ad requirendam faciem Dei in oratione. Amalarius, lib. 8, c. 45 et praeterea c. 3 ait, vim habet ut converti faciat totum chorum ad unum et totam intentionem illius ad rem pro qua fit officium. Idem repetit *in Ordin. Antiph. c. 1*, ubi ait: versum esse compositionem officialem, per quam revertitur intentio mentis unde eodem teste Amalario vertebant se cantantes versus Orientem vel ad altare ».

Item Card. Bona (*de div. psalm.* c. 13, n. 1): « Quando versum audimus faciem illico vertimus ad altare, ut omnis cogitatio, quae foras exivit per evagationem, revertatur ad Deum per devotam intentionem; et mentis intentio, in aliam intentionem ducta, voluntatem secum trahat de uno in alium affectum ».

Quae omnia ad aedificationem dicta sunt, non tamen rationem exhibent qua versus inducti fuere in divino officio; et hanc rationem frustra exquisivimus in scriptoribus liturgicis. Apud Martène (t. 4, l. 1, c. 3, n. 16) invenimus tantummodo antiquiorem *versiculorum* mentionem in regula s. Columbani (saecul. VI) qui versiculos dicit a senioribus institutos.

Sub nomine versus non veniunt tantum illi qui in matutino dicuntur ante lectiones, quibus forsan bene applicari potest symbolum conversionis cordis ad Deum, vel corporis ad altare, sed ut notat Ducange (hac voce) dicebatur: « *Versus aperitionis* in Regula Magistri c. 44, *Domine, labia mea aperies* »; sicut « *Versus clusor* qui dici solet in clausola officii ecclesiastici, qualis hodie: *Benedicamus Domino* in eadem regula c. 37 ».

Imo et in variis ecclesiis habebatur et *Versus sacerdotalis*, ut notat Guyetus (l. 3, c. 19, q. 1, n. 16) qui dicebatur post *Te Deum* vel post ultimum responsorium, ita vocatus, quia a sacerdote hebdomadario decantabatur.

81. Uti iam innuimus hoc est advertendum, quod versus, et responsoria brevia, unum eumdemque constituunt textum liturgicum, qui absque ulla modificatione, in eodem officio inservit tum pro versibus, tum pro responsoriis brevibus.

Antiqua traditio sacrae liturgiae, hanc habet quasi invariabilem legem, ut quatuor aut ad summum quinque furmulae sufficiant pro omnibus versiculis et responsoriis brevibus eiusdem festi.

Norunt omnes quod in quocumque festo duplici vel semiduplici occurrunt novem versiculi, nempe 1 ad primas vesperas; 3 ad tria nocturna; 1 ad laudes; 3 ad tres horas tertiam, sextam et nonam; ac 1 denique ad secundas vesperas; et occurrunt tria responsoria brevia pro iisdem horis minoribus.

Quando ergo quatuor sunt formulae, tunc versus qui dicitur in I vesperis repetitur in I nocturno et inservit pro ℟ br. ad tertiam; versus II nocturni repetitur ad tertiam, et inservit pro ℟ br. ad sextam; versus III nocturni repetitur ad sextam, et inservit pro ℟ br. ad nonam; tandem versus in laudibus, repetitur ad nonam, et ad II vesperas.

Huiusmodi lex immutata invenitur in unoquoque communi sanctorum, in Ascensione et Transfiguratione D.ni, in nativitate s. Ioannis B., sicque ex. gr. in officio Apostolorum quatuor habentur formulae istae, nempe:

1. *In omnem terram exivit sonus eorum.*
   Et in fines orbis terrae verba eorum.
2. *Constitues eos principes super omnem terram.*
   Memores erunt nominis tui Domine.
3. *Nimis honorati sunt amici tui Deus.*
   Nimis confortatus est principatus eorum.
4. *Annuntiaverunt opera Dei.*
   Et facta eius intellexerunt.

Quando autem habentur quinque formulae ut ex. gr. in festo corporis Christi, in festis B. M. V. tunc versiculus in primis vesperis inservit et in secundis, neque adhibetur per horas in responsoriis brevibus (1).

Altera regula est quod versiculi ita componantur ut facile cantari queant et convenienter frangi in responsoriis brevibus, ne sensus aliquis deficiat, neque ridiculus evadat. Ex. gr. In

(1) Hanc legem ignotam fuisse dicendum est non uni ex auctoribus novorum officiorum. In officio cordis B. Mariae, habentur *sex* formulae; *septem* in officiis quinque plagarum D.ni, et Maternitatis, *octo* in officiis SS. Cordis D.ni pro aliquibus locis, S. Columnae, Puritatis et expectationis B. M., *novem* in officio fugae in Aegyptum, et *decem* in officio apparitionis Immaculatae!! Aliquando etiam sive ob nimiam prolixitatem, sive ob novitatem styli versus nimis recedunt ab antiqua simplicitate. Ad laudes Maternitatis habemus: ℣ *Germinavit radix Iesse orta est stella ex Iacob.* ℟ *Virgo peperit Salvatorem, te laudamus Deus noster!!* quis umquam hoc audivit, aut vidit in antiqua liturgia?

festo SS. Nominis Iesu ad nonam habetur pro ℟ br. *Magnificate Dominum * mecum* (si celebretur post Septuagesimam) ideoque sola vox *mecum*, et male cantatur, et nullum habet sensum. Formulae pro versiculis ergo, inveniendae sunt intento animo et maxima sagacitate, nam versus et responsoria partes officii sunt difficiliores, et peculiarem melodiam habent in cantu liturgico.

82. Regula invariabilis est, quod in matutino versus ante lectiones numquam omittantur neque in ultimo triduo maioris hebdomadae, neque in Dominica Paschatis et per eius octavam, licet in aliis horis hoc tempore non dicantur, neque in officio defunctorum. Procul dubio post psalmos nocturni inductus est versus, ait Gavantus (ib. n. 2) « ut excitemur ad orationem dominicam, absolutionem et lectionem ad quam sessio facile negligentiam parit ». Cardinalis autem Bona (loc. cit.) inquit: « canitur autem versus clara et accita voce, ut eo audito excitentur pigri et revertantur ad cor ».

Versus ad laudes et vesperas dicitur post hymnum; nempe ante cantica *Benedictus* et *Magnificat*, ut excitemur ad intelligentiam eorumdem et orationem proximam ut Gavantus dicit ex Amalario. Ad horas vero dicitur in responsorio brevi, post repetitionem partis responsorii, dicto *Gloria Patri*, responsoria enim brevia semper concluduntur cum versu, sicut in missa cum versu concluditur Graduale.

In Paschate et eius octava, ait Gavantus (ib. n. 3) ex Amalario, non habentur versus in horis, « quia tanta est festivitas cum brevitate officii coniuncta ut non egeamus stimulis ». Quae ratio, ut nos arbitramur, parum facit ad rem, siquidem matutinum in hebdomada paschali brevissimum est, et tamen, ut vidimus, versum admittit.

Ratio potius verior, ut nobis videtur, ea est, quia tunc temporis omittuntur hymni et capitula, quorum loco canitur: *Haec dies quam fecit Dominus* etc. cum autem haec antiphona non tantum solemnitati omnium maximae, quam brevitati conveniat, nulla ratio suadet ut omisso capitulo et hymno, versus in casu retineatur.

Verumtamen *Haec dies* etc. lato sensu vocatur antiphona in Breviario, nam supplet elemento lectioni quod desit in laudibus, vesperis et horis minoribus officii Paschalis.

Rubrica de versibus (n. 3) ait: « Quando fit aliqua commemoratio, semper post antiphonam eius, de quo fit commemoratio,

dicitur versus, qui in eius officio ponitur post hymnum vesperarum et laudum nisi aliter notetur ». Commemoratio enim nil aliud est nisi compendium seu contractio alicuius officii, quod ob impedimentum maioris omitti debeat, sed commemorari saltem oportet. Contrahitur autem totum officium commemorandum per antiphonam, versum et orationem. Ideo si commemoratio fit in laudibus, versus sumitur e laudibus, si in vesperis de vesperis; salvis variationibus, quando idem esset versus.

CAPUT XVII.

DE ABSOLUTIONIBUS ET BENEDICTIONIBUS ANTE LECTIONES

83. Sunt qui cum Gavanto (hoc loco, n. 1) putant absolutionem « ita vocari vel quia absolvitur nocturnum, vel quia simul cum dominica oratione praecedenti petimus mundari corda et corpora nostra ad audiendum verbum Dei ». Certo certius verbum *absolvere* significat finem ponere alicui rei ; et hoc sensu, dicitur absolutio capituli ad primam, scilicet finem capitulo ponere. Item *absolvere* in lingua ecclesiastica significat indulgentiam donare pro peccatis.

Attamen, iuxta Du Cange (verbo *Absolvere*), significat etiam « Iubere, iussionem dare, vel potius facultatem ac licentiam aliquid faciendi » ; et citat chartam Dagoberti, archiepiscopi Bituricensis, de anno 990, ubi legitur : « In ipsius (episcopi defuncti) loco iubeo et absolutionem facio ad coëpiscopos nostros, eligere Gausbertum, etc. » ; Et paulo inferius : « Nos (episcopi) una cum auctoritate et absolutione domni archiepiscopi nostri recepimus in nostro episcopali numero Gausbertum ».

Nos ergo putamus quod hoc sensu accipienda sit in casu nostro vox *absolutio*. Dicto enim versiculo et oratione *Pater noster*, non terminatur nocturnum, quia dicendae sunt adhuc lectiones ; sed praeses chori absolutionem impertit, nempe dat iussionem ut dicantur lectiones.

Postquam ergo in divino officio inductus est usus lectionum, ortum etiam habuere absolutiones, quamquam id tardius factum fuerit ; nam Durandus (l. 5, c. 2, n. 44) saeculo XIII loquitur quidem de lectionibus, ac de benedictionibus a lectore accipiendis, nil tamen habet de absolutione. Amalarius, qui floruit saeculo IX, et Romae fuit sub Gregorio IV, anno 831, notat (*de Ord. Antiph.* in fine prologi), quod ibi in fine cuiusque nocturni ante lectiones dicebatur quoddam capitulum : « Intercedente b. principe apostolorum Petro, salvet et custodiat nos Dominus ». Cl. Bäumer (l. 2, c. 4, § 5), dicit, se invenisse in antiquo codice bibliothecae Bruxellensis, n. 2030, saeculi XIII, absolutionem *Exaudi Domine* ; item docet, quod in operibus Card. Tomasi habentur tres abso-

lutiones, quae in Breviario romano iacent, ulla tamen sine benedictione, itaque nescitur an iisdem uterentur monachi, uti *absolutionibus* an uti *benedictionibus*.

In commentario regulae s. Benedicti a Smaragdo abbate circa annum 820 exarato (Cf. Bäumer, l. c.), legitur: « Precibus omnium Sanctorum salvet et benedicat nos Dominus ». Hanc precem refert etiam Meratus (hoc loco), et cum Martène hanc esse ait precationem illam, quam *absolutionem* vocamus; et insuper citat alium benedictinae regulae expositorem, Bernardum nempe Casinensem, qui ait: « Abbas, antequam legantur lectiones, dominicam praemittat orationem; postmodum aliquam aliam orationem praemittit, videlicet: *A vinculis peccatorum*, etc. Lectore vero benedictionem postulante per illud scilicet: *Iube, Domne, benedicere*, tunc dat benedictionem abbas ». Cl. F. X. Pleithner (*Aelteste Geschichte, des Breviergebetes*, 1891, p. 301) censet iam aetate Cassiani ortum habuisse benedictiones et absolutiones quae dicuntur in officio nocturno ante lectiones.

84. Iuxta Grancolas (l. I, c. 31), antequam lector inciperet lectionem, a chori praeside expetebat benedictionem, dicens: *Benedic, pater*, quod postea in *Iube, Domne, benedicere* mutatum est; id iam saeculo IV erat in usu, ut notat Meratus citans initium sermonum s. Ephrem. In regula s. Benedicti habemus: « Dicto versu, benedicat abbas ». Refert s. Gregorius Turonensis (*de Mirac. s. Martini*, l. 1, c. 5 in Migne, *P. L.* 71, col. 918), s. Ambrosium lectiones incipi noluisse, nisi lectori prius ipse signum dederit. « Cui (Ambrosio) celebranti ita erat consuetudo, ut veniens lector, non ante legere praesumeret, quam sanctus ei iussisset ». Cum autem die quadam sanctus iste sopitus dormitasset, lectorque ad legendum paratus esset, hic inquit: « Iubeat Domnus lectori lectionem legere ». Ex quo, concludit Meratus (hoc loco), « patet origo huiusce ritus, petendi nempe benedictionem his verbis: *Iube, Domne, benedicere* ».

Iuxta rubricas lector dicere debet *Iube, Domne*, non *Iube, Domine*, quia hic Dei titulus est, ille autem hominis praeclari. Ita dicitur passim apud scriptores monasticos: domnus abbas, imo et ipsum romanum Pontificem in litaniis sanctorum vocamus *Domnum Apostolicum*. Solus episcopus, nisi in choro adsit alius praelatus maior (*Caer. Ep.*, l. 2, c. 5, n. 9), antequam incipiat nonam lectionem, a Deo benedictionem petens, dicit: *Iube, Domine, benedicere*, choro respondente *Amen*; nullus enim minor benedicere debet maiori, ut habetur in Canone 21 dist. *Deinde*.

Unde, ait Durandus (l. 5, c. 2, n. 45): « in quibusdam ecclesiis nihil episcopo respondetur, in aliis vero respondet unus presbyter: *Ora pro nobis, pie pater, ad Dominum.* S. Petrus Damianus (*De Virgin.*, l. 3) agit de nonnullis Eremitis dubitantibus, an, cum soli officium recitarent, benedictionem petere deberent, et dicere *Dominus vobiscum*; ad quem enim, aiebant illi, verba ista dirigemus? num ad lapides atque ad tabulas istas cellae nostrae? Quibus s. doctor scripsit: « Officium, cum singillatim dicitur, eodem semper pacto recitandum esse, ac si in communi orantes psallerent. Ille enim qui officium recitat, totius Ecclesiae nomine orat atque loquitur, eamque repraesentat, alias omnia quae plurali numero pronuntiantur essent resecanda, veluti invitatorium *Venite, exultemus, etc.* ».

Gavantus (hoc loco, n. 4) habet: « Notarunt aliqui, quod ille qui solus recitat officium dicere debet: *Iube, Domine*: sicut dicit sacerdos in missa privata ante evangelium, *et vere par est ratio*: usus tamen non idem ». Cum pace tamen tanti doctoris, re vera *par ratio non est*; siquidem in missa, tam privata quam solemni, sacerdos non tantum dicit: *Iube, Domine,* sed et mutat benedictionem, dicens: *Dominus sit in corde meo et in labiis meis, ut digne et competenter annuntiem evangelium suum*; diacono autem benedictionem petenti per verba *Iube, Domne,* sacerdos dicit: *Dominus sit in corde tuo etc.* Itaque si recitans solus officium dicere deberet: *Iube, Domine*, non *Domne*, oporteret et variare benedictionem, ex. gr.: *Benedictione perpetua benedicat me Pater aeternus.* Hoc tamen rubrica generalis non praescribit, imo implicite vetat, nam titulo XXX, n. 3, notat: *Ante orationem, etiam quando aliquis solus recitat officium, semper dicitur.* ℣ Dominus vobiscum, *et respondetur*: Et cum spiritu tuo. Imo S. R. C. (n. 1334) declaravit, moniales officium divinum recitantes, in *Confiteor* dicere non debere *tibi, Mater,* et *vobis, sorores,* sed ut in Breviario, ergo. Ceterum nimia mutanda essent in casu, non tantum in benedictionibus, sed et in absolutionibus; stat ergo praxis universalis, stat doctrina s. Petri Damiani.

85. Docet rubrica benedictiones et absolutiones dici « per ordinem in officio novem lectionum ante lectiones, ut in prima dominica Adventus ponuntur »; sed in editionibus hodiernis Breviarii absolutiones et benedictiones ponuntur in Psalterio in fine cuiusque nocturni; imo et habentur in tabella speciali ante ipsum psalterium. Quidquid sit, rubrica ponit dominicam I Adventus ad

exemplum, quia est primum officium novem lectionum quod occurrit in Breviario; indeque distributio absolutionum et benedictionum eadem erit in similibus officiis.

Dicuntur vero post versum, dicto *Pater noster*, attamen oratio dominica post versum non ubique nec semper dicta est. Bäumer (loc. cit.) ex Amalario tradit, quod in Gallia ante lectiones dicebatur *Pater noster*, Romae autem quoddam capitulum, ex. gr. *Intercedente beato Petro etc.* ut supra. Iuxta Durandum (l. 5, c. 3, n. 14), dicitur oratio dominica ad notandum, quod qui *indiget sapientia* et intellectu doctrinae, quae colligitur ex lectione, postulet a Deo, qui secundum Iacobum *dat omnibus affluenter*. Dicitur autem secrete (ib., c. 5, n. 10), ut quasi ad interiora reversi, ipsas res cum magna diligentia mente capiamus in solemni chori silentio, quas verbis voce demissa pronunciamus.

Qui ergo choro praesidet, clara voce incipit *Pater noster*, ut alios ad orationem invitet; finis autem alte pronuntiatur, ut ab omnibus oratio confirmetur.

Nemo ex rubricarum expositoribus acceptabilem rationem perhibent cur oratio domenica passim (excepto quando dicitur in precibus ferialibus ad laudes et vesperas) sub silentio dicatur. Nos autem arbitramur quod usus huiusmodi ortum procul dubio habuerit ex antiqua consuetudine de qua loquitur s. Augustinus in epistola 217 ad Vitalem; sacerdos nempe dicebat *oremus*, postea clerus et populus in secreto orabat, ac dein sacerdos, quasi colligens omnium praesentium preces, collectam dicebat. Qui ritus, in recitatione *Pater noster* deinde servatus est.

In matutinis tenebrarum maioris hebdomadae, et in officio defunctorum absolutiones et benedictiones non dicuntur. Doctores passim cum Durando, Gavanto et Tetamo, huiusce omissionis rationes mysticas ponunt, certo non aspernendas; nos vero arbitramur quod maiores, in triduo mortis Domini et in officio Defunctorum, omiserint absolutiones et benedictiones, in signum moeroris.

86. Hodie in officio divino non habentur nisi quatuor absolutionum formulae: 1° *Exaudi, Domine*; 2° *Ipsius pietas*; 3° *A vinculis*; 4° *Precibus et meritis*, in officio B. Mariae in sabbato. Pro benedictionibus vero sexdecim, nempe: 1° *Benedictione perpetua*; 2° *Unigenitus Dei Filius*; 3° *Spiritus Sancti gratia*; 4° *Deus Pater Omnipotens*; 5° *Christus perpetuae*; 6° *Ignem sui amoris* (quae referuntur singillatim ad SS. Trinitatis Personas); 7° *Evangelica lectio*; 8° *Divinum auxilium*; 9° *Ad*

societatem; 10° *Cuius* vel *Quorum festum colimus*; 11° *Per evangelica dicta*; 12° *Ille nos benedicat.* Quibus adnicendae quae habetur pro lectione IX in nocte nativitatis Domini; 13° *Verba S. Evangelii doceat nos Christus Filius Dei*; nec non tres, quae dicuntur in officio de B. Maria, in sabbato, nempe: 14° *Nos cum prole pia*; 15° *Ipsa Virgo virginum*; 16° *Per Virginem Matrem.*

Non est abs re notare, quod in dedicatione s. Michaelis archangeli pro VIII benedictione dicitur, non *Cuius festum*, sed *Quorum festum*; pro s. Raphaele autem (S. R. C. n. 1885), ideoque et pro s. Gabriele, dicitur *Cuius festum.* Ratio est quia dedicatio s. Michaelis instituta est antiquitus in honorem omnium Angelorum, uti patet ex oratione: *Deus, qui miro ordine Angelorum etc.*, necnon ex IV lectione, quae disserit de omnibus angelicis choris.

CAPUT XVIII.

DE CAPITULIS

87. *Capitula* appellantur in breviario brevissimae illae lectiones ex sacra Scriptura de rigore depromptae, quae leguntur in horis canonicis. *Capitulum*, ut vox sonat, idem est ac *parvum caput*, et sic dicitur, iuxta Durandum (l. 5, c. 2, n. 50), eo quod iuxta antiquam legem sumitur de capite epistolae illius diei, in quo dicitur.

Liturgistae omnes, qui de capitulis scripserunt, cum Durando (ib.), Gavanto (hoc loco, n. 2), Guyeto (l. 3, c. 6), Du Cange (*Diction.* ad hanc vocem), aiunt, capitula in officio divino ordinata fuisse a concilio Agathensi (an. 506), cuius canon 30, in iure relatum (Can. *Convenit, de consecr.* dist. 3), habet: « post hymnos capitella de psalmis dicantur », ubi *capitella*, dicunt citati auctores, idem significat ac *capitula* horarum.

Atta men Bäumer (I, p. 238) probat quod, citatus canon Agathensis, per verba *capitella de psalmis*, indicare voluit versus illos de psalterio, qui in breviario dicuntur *preces*. Idem tradit Martène (t. 4, l. 1, c. 4, n. 12), qui preces ad primam *capitula ad primam* vocatas antiquitus fuisse docet.

Imo idem Bäumer (I. p. 374, in nota) ait, quod *collectiones, collectae, capitella* aut *capitula de psalmis*, apud antiquos erant *Kyrie eleison*, *Pater noster*, *Miserere* et quatuordecim versus, quibus adhuc constant preces ad vesperas in breviario.

De capitulis agens Radulphus (prop. 13) habet: « Sicut ad vigilias noctis leguntur lectiones magnae, ita ad laudes et vesperas et ad quinque parvas horas, dicuntur parvae lectiones, quas Benedictus appellat in sua regula lectiones; communi tamen usu saeculi appellantur capitula ».

Nescimus quomodo Guyetus, alioquin diligentissimus et consideratus (l. 3, c. 6), dicat Radulphum capitula vocasse *lectiunculas*, mittens ad propositionem 13, quam supra retulimus; forsan clausis oculis Gavanti citationem accepit, qui carpitur a suo commentatore Merato, eo quod auctorem capitulorum ad tertiam,

sextam et nonam s. Ambrosium facit, cuius assertionis ratio merito desideratur.

Dicuntur capitula ad omnes horas stando, eo quod breviora sunt quam lectiones ad matutinum, et etiam quia leguntur a presbytero celebrante, quo stante, ceteri quoque stare debent.

Omittuntur capitula in triduo mortis Christi, per octavam paschatis, nec non in officio defunctorum, ob rationes easdem, quas n. 82 tradidimus.

Diximus supra, quod capitula, de rigore, sumenda sunt ex sacra Scriptura; melius dicere debueramus, ex novo vel veteri Testamento, exceptis libris psalmorum et quatuor evangeliis. Ratio est, quia psalmi destinati sunt ut pars principalis psalmodiae liturgicae, et evangelium reservatur ad missam, et quodammodo etiam ad matutinum, ut legatur super illo expositio Ss. Patrum. Diximus, etiam cum Durando, ut plurimum sumi capitulum ex principio epistolae illius diei; sed melius dici debet, hanc fuisse regulam constantem ac de rigore observatam in officiis antiquis, ante saeculum XVIII; ita ut in breviario ambrosiano, quod in romano vocamus *capitulum*, appelletur *epistolella*, sive brevis epistola, eo quod ex missae epistola depromitur. Confer, si placet, capitula cum epistolis omnium Dominicarum maiorum, omnium festorum, nullo excepto, tam in proprio de tempore, quam in proprio sanctorum, nec non capitula in communi sanctorum cum epistola primae missae cuiusque communis, et semper invenies hanc legem accurate servatam, etiam a s. Thoma, in suo officio SS. Sacramenti: nempe capitulum de laudibus et vesperis, semper est initium Epistolae, si excipias Annunciationem B. M. V., in qua capitulum depromitur quidem ex epistola, sed non ex initio.

Dolendum etiam in hac parte nobis est, quod in novis officiis, in breviario inductis post recognitionem s. Pii V, Clementis VIII et Urbani VIII, non semper huiusmodi lex fuerit observata, ut videre est in officiis s. Ioseph (concesso anno 1714). SS. Nominis Iesu (1721), utriusque festi VII dolorum B. M. V. (1727–1814), Sacr. Cordis Iesu (1765–1847), ut taceamus de recentioribus officiis votivis, SS. Rosarii, S. Familiae, Apparitionis B. M. V. de Lourdes, SS. Redemptoris, Fugae in Aegypto, Maternitatis et Puritatis B. M., s. Raphaelis, nec non officiis de mysteriis Passionis.

Regula item est ut capitula quoque horarum sextae et nonae (nam ad tertiam mutuatur e laudibus) excerpta sint ex eadem

epistola missae; imo capitulum ad nonam regulariter est finis ipsius epistolae.

88. En ergo regulae pro recte conficiendis capitulis in novis officiis:

1. Capitula sumenda sunt ex epistola missae eiusdem festi. 2. Ideo de rigore est ut sumantur ex sacra Scriptura, non tamen ex psalmis et canticis, et multo minus ex evangelio (1). 3. Brevia esse debent, ut exempla maiorum exhibent, et festo congruenter propria. 4. Tria tantum confici debent, quorum primum, ex initio epistolae desumptum, inserviat pro vesperis et laudibus et tertia, secundum et tertium pro sexta et nona, ex eadem epistola.

Rubrica hic nos monet, quod capitula dicuntur ad horas omnes post ultimum psalmum, repetita antiphona; excipit capitulum ad completorium, quod dicitur post hymnum; causam huius differentiae, rationabilem et acceptabilem nullus ex liturgistis nobis exhibuit. Unus ex coeremoniariis pontificiis dicit quia completorium, quamvis praecipuam structuram habeat vesperarum et laudum, est tamen una ex horis minoribus, quibus nunquam desunt versiculi post capitulum, opportunius ergo visum est, ne capitulum ab illis seiungeretur, in completorio haec ponere ante versum, qui in vesperis et in laudibus sequitur hymnum. Sed nec ratio ista aliquid valet, nam in ritu romano-monastico adhuc habentur versiculi responsorii brevis, sicut in parvis horis, et nihilominus capitulum dicitur ante hymnum.

89. Rubrica (tit. 29, n. 2) habet: « Capitula dominicalia, posita in psalterio in primis et secundis vesperis, in laudibus et horis, dicuntur a tertia Dominica post Pentecosten usque ad Adventum, et a secunda post Epiphaniam usque ad Septuagesimam, capitula autem ferialia dicuntur post octavam Pentecostes usque ad Adventum, et ab octava Epiphaniae usque ad Dominicam primam Quadragesimae. Aliis temporibus dicuntur ut in proprio de tempore: si fit de sanctis, ut in proprio de sanctis, cum propria adsunt; alioquin de communi sanctorum ».

Haec rubrica per se patet. In dominicis enim minoribus, seu per annum, et in feriis, capitula assignantur in psalterio; in dominicis maioribus et in feriis respectivis, in proprio de tempore, ut diximus. In festis, sive de tempore sive de proprio sanctorum, sumuntur e proprio loco, si desunt, ex communi.

(1) In officio S. Familiae, et in officio orationis D. N. I. C. capitula deprompta habentur ex evangelio!!

Hucusque nos locuti sumus de capitulis ad laudes, vesperas et horas tertiam, sextam et nonam, non autem capitulis ad primam et completorium, eo quod in his duabus horis capitulum numquam mutatur, sed semper dicitur ut in psalterio. Capitulum tamen ad primam pro dominicis et festis *Regi saeculorum* etc., diversum est a capitulo in feriis, quod est *Pacem et veritatem* etc. Cum vero tempore paschali hora prima persolvatur ut in festis, necessario et capitulum *Regi saeculorum* erit dicendum.

In fine capituli a Choro respondetur *Deo gratias*. Non vero concluditur capitulum cum formula: *Tu autem, Domine*, ut in aliis lectionibus, quia nec dicitur antea *Iube, Domne*, et quia capitulum a praeside Chori legitur et est brevius aliis lectionibus; ideoque, dicto capitulo, nil additur, nisi *Deo gratias*.

CAPUT XIX.

DE ORATIONE

90. In toto divino officio orat pia mater Ecclesia per suos ministros, ideoque in omnibus officii elementis, quae pertinent sive ad psalmodiam, sive ad lectionem, laudatur quidem et honoratur Deus, nihilominus quaelibet hora canonica desinit cum *oratione* proprie dicta.

Apud latinos vox *oratio* idem significat ac sermo, dictio, concio, collocutio; in divinis vero oratio nil aliud est nisi pia petitio rei alicuius a Deo; et a divo Thoma (2, 2, q. 83, 1) definitur: « Est petitio rerum decentium impetrandarum a Deo, immediate vel mediate ad eum directa ».

Huiusmodi sub respectu numquam defuit oratio in ecclesia, a primis parentibus usque ad nos; oravit namque Adam, oravit Abel, Noe quoque; Abraham, David ceterique iusti oraverunt; Christus ipse oravit, qui dixit discipulis suis: *oportet semper orare*, et sic Apostoli, mandatum Domini praedicantes in primitiva ecclesia, iuxta illud (*Coloss.* IV, 2): *Orationi instate vigilantes in ea*, orationem publicam instituerunt, et praesertim dominicam orationem pluries in die dicendam praescripserunt.

Hinc est quod patres nostri antiqui in officio divino post psalmos non aliam orationem dicebant nisi *Pater noster*; quod adhuc viguisse videtur etiam tempore s. Benedicti. Mabillon (*Museum Ital.* II, p. 566) ex Paulo diacono docet, quod lateranensis basilica « quae Salvatoris vocabulo consecrata est, Salvatoris orationem... prae ceteris praecipuis semper habuit.. et hanc reservans apostolicam institutionem non nisi dominica utitur oratione ».

Bäumer vero (I, p. 379) notat, usum non dicendi in fine horarum nisi orationem *Pater noster*, viguisse tantummodo apud nonnullas ecclesias; et testimonium Pauli diaconi, a Mabillon allatum, intelligendum esse relate ad subiectam materiam de qua eo capitulo agebat Paulus.

Etenim, idem Mabillon (loc. cit.), ex sacramentariis saeculi v et vi, refert: « sunt praeterea aliae quaedam collectae ad matu-

tinum vel vesperas institutae, quae ab Apostolico (nempe a Papa) vel ab eius septem collateralibus episcopis, et non ab aliis penitus in ipsa ecclesia dici possunt ».

Ceterum, teste Cassiano (*De instit coenob.*, in Migne, *P. L.* XLIX, col. 91), apud monachos tam orientales quam occidentales usus invaluerat dicendi collectam, seu orationem post psalmos. Et re vera, ait Bäumer (I, p. 360), multi inveniuntur libri psalteriales cum orationibus, et inter codices quos citat illum refert, qui asservatur in bibliotheca de Douai, saeculo IX adscriptum, in cuius prima parte habetur *Psalterium cum orationibus interiectis*. Denique, omnes norunt sacramentaria, sive Leonianum, sive Gelasianum, sive Gregorianum, in quibus admirabiles habentur huiusmodi orationes; satis ergo antiquus est usus orationum in officio divino in fine cuiusvis horae canonicae.

91. Vocantur porro *orationes* in libris liturgicis, preces illae breves, quae sive in officio, sive in missa, sive in administratione sacramentorum aut sacramentalium, a verbo *Oremus* initium habent. Dicuntur etiam *collectae*, ut vidimus; et quamquam vox collecta multifarie sumatur a latinis scriptoribus, attamen in sensu liturgico, iuxta Du Cange (hac voce) idem valet ac oratio, « quam is qui clero vel monachis praeest, finito et expleto quolibet canonico officio (lege: expleta qualibet hora), velut omnium astantium vota et preces in unum colligens, publice et voce altiori recitat ». Collecta ergo vocatur, ait Micrologus (*Observ. Eccl.*, c. 3), « eo quod sacerdos, qui legatione fungitur pro populo ad Dominum, omnium petitiones ea oratione colligat atque concludat ».

Hinc est propterea, docet Guyetus (l. 3, c. 2, q. 4), quod textus orationum, « in primis concisus sit ac perbrevis, qui non plusquam quinque vel sex lineas expleat; inde enim orationes dictae sunt collectae, quia *necessarias earum petitiones compendiosa brevitate colligimus*, ait Valfridus Strabo, *De reb. eccl.* c. 22 ».

« Stylus purus ac facilis, qui propriis verbis posteriorem sententiam priori cohaerenter non sine aliquo acumine innectat. Sic denique tota collectae series construi debet, ut suis ipsa quatuor partibus seu explicite, seu implicite constet, nimirum oratione, gratiarum actione, postulatione et obsecratione ».

« Primo. Oratio cum sit elevatio mentis ad Deum, statim initio praemitti solet, compellato summo Numine, hisce verbis: *Omnipotens sempiterne Deus*, vel, *Omnipotens et misericors*

Deus vel frequentius hac una voce *Deus*, vel alia *Domine*, vel utraque iuncta *Domine Deus*. Inusitatum vero est ut praeter primaria illa duo nomina *Deus*, et *Domine*, ulla alia recenseantur attributa quam *Omnipotentis*, *Sempiterni*, et *Misericordis* ». Bis dumtaxat legitur in missali, *Omnipotens et Mitissime Deus*.

« Exprimuntur quidem aliquae Dei optimi maximi perfectiones periphrasi integra, ut cum dicitur, *Protector in te sperantium*, *Deus*, et *Deus, fidelium remunerator animarum*; sed haec et similia magis ad gratiarum actionem pertinere videntur ».

« Secundo. Orationem excipit gratiarum actio, sive pro mysterio quod ea die recolitur, ut cum dicimus: *Qui dedisti famulis tuis in confessione verae fidei* etc., et *Qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti* etc.; sive pro gloria aut certa aliqua gratia collata Sancto cuius festum est, vel etiam nobis ipsis illius ope et intercessione, cuiusmodi sunt ista: *Qui b. Petrum a vinculis absolutum* etc., et *Qui universum mundum b. Pauli apostoli praedicatione docuisti*, etc., et *Qui animae famuli tui Gregorii aeternae beatitudinis proemia contulisti* etc. ».

« Tertio. Postulatione, quae collectae praecipua pars, continetur gratia seu beneficium quod a Deo poscitur, puta liberatio a peccatis, ereptio a periculis, vitae aeternae adeptio, terrenorum contemptus, dona charitatis, humilitatis, patientiae etc. Exprimitur vero eiusmodi postulatio, cuiuscumque rei fiat, altero sequentium verborum, *Concede*, *da*, *largire*, *praesta*, *tribue*, *quaesumus*, *ut* etc. subiuncta protinus Sancti vel Sanctorum, quorum cultus est, invocatione ».

« Leporem non exiguum habent collectae illae in quibus allusio fit in postulatione ad id quod in gratiarum actione memoratum fuit ».

« Quarto. Obsecratio collectam terminat hisce verbis: *Per Dominum* etc. », de qua conclusione vide infra.

Divus Thomas (2, 2, q. 83, a. 17) ipse ad rem habet: « In pluribus etiam ecclesiae collectis haec quatuor possunt attendi sicut in collecta Trinitatis, quod dicitur: *Omnipotens sempiterne Deus*, pertinet ad orationis ascensum in Deum; quod dicitur: *qui dedisti famulis tuis* etc. pertinet ad gratiarum actionem; quod dicitur: *praesta quaesumus* etc., pertinet ad postulationem; quod in fine ponitur. *Per Dominum nostrum* etc., pertinet ad obsecrationem ».

Attamen necesse non est quatuor illas partes eodem semper

quo descripsimus ordine sese consequi; saepe enim postulatio praemittitur gratiarum actioni, ut in collecta s. Stephani: *Da nobis; quaesumus, Domine, imitari quod colimus.* Quas normas cl. Guyetus concludens proponit orationes s. Casimiri, s. Hermenegildi, s. Henrici et s. Ignatii ut bona exempla, ut ex iis vera ac recta collectae condendae forma addiscatur.

Ceterum cum oratio non sit sermo aliquis laudatorius, nec lectio, nec hymnus, sed simplex formula deprecatoria, qua paucis verbis a Deo gratiam aliquam exposcit ecclesia, mysterio diei vel actioni liturgicae congruentem, tribus illis dotibus praedita esse debet, quas Quintilianus (*Instit.* IX) assignat pro eleganti forma periodorum in elocutione, scilicet: *praestare debet ut sensum concludat; sit aperta ut intelligi possit; non immodica ut memoria contineri possit.* Quapropter perspicuitas tam mentis conceptus, quam verborum dispositionis, pretium praecipuum est orationum, seu collectarum: per hoc enim statim facile intelliguntur, nec erit necessarium, quod iterum iterumque legantur ut sensus eorum capiatur.

92. Verum alio ex capite oportet ut orationes liturgicae facili atque rythmica verborum dispositione expleantur, cum enim orationes cani debeant in sacra liturgia, id summopere congruit, quia cantus melodicus exigit quod verba et syllabae bene et apte discurrant, nempe, ut in eis severe *cursus* servetur.

Est autem *cursus* processus ille harmonicus, qui habetur in elocutione, singulas phrases, imo et verba, rythmice disponendo, ut elocutio ipsa aures audientium delectabiliter demulceat. Porro eiusmodi harmonica verborum ac syllabarum successio a scriptoribus latinis et graecis ad hoc revera observata est, ut in clausulis maxime gratum sensum excitarent.

Quum syllabae in oratione gradiuntur iuxta earum metricam quantitatem, *cursus metricus* habetur; quum vero dispositio syllabarum procedit iuxta accentum, seu vocis pausam, tunc dicitur *cursus rythmicus,* qui proprius est orationi liturgicae (1).

De hac tamen apta atque canora verborum dispositione

(1) Cf. Duchesne, *Note sur l'origine du « cursus »*, in *Bibl. de l'École de Chartes,* 1889, p. 161; Dom Mocquereau, *Paléographie musicale,* t. 4; Grospellier, *Le rhythme des Oraisons* in *Revue du chant grégorien,* an. 1907; De Santi, *Il « cursus » nella storia lett. e liturgia,* 1903; Vacandard, *Saint Victrice,* 1903

M. Tullius Cicero (*Orat.* 44) loquens more suo, habet: « Collocabuntur igitur verba, ut aut inter se quam aptissime cohaereant extrema cum primis, eaque sint quam suavissimis vocibus; aut ut forma ipsa concinnitasque verborum conficiat orbem suum; aut ut comprehensio numerose et apte cadat ».

Hoc enim attenditur potissimum in orationibus prosaicis, ut *numerose et apte cadant*, scilicet maxime in clausulis ut sermo harmonice et rythmice exeat et absolvatur.

In Ss. Patrum scriptis, praesertim Cypriani, Ambrosii, Paulini nolani, Victricii rothomagensis et aliorum, cursum apprime servatum invenimus in clausulis (*cadenze*) concionum. S. Augustinus, de seipso scribens (cf. De Santi, *Il « cursus » etc.*, p. 10), ait: « Ego in meo eloquio, quantum modeste fieri arbitror, non praetermitto istos numeros clausularum »; attamen inter omnes praestat s. Leo Magnus, qui elegantissime elocutionem suam semper ducit *per orbem suum*, ut Tullius iubet, et cursus magister merito habetur.

Et revera saeculis IV et V, in quibus magis enituit eloquium magnificum Ss. Patrum, orationes, praefationes et consecrationes, quae habentur adhuc in liturgia romana, constructae sunt, prout inveniuntur in antiquis sacramentariis. In his, breves orationes seu collectae admirabiles sunt profecto, non tantum quia in eis cursus leges numquam non sunt observatae, sed etiam ob formam earum nitide atque harmonice gradientem, venustate plenam, ac piis sensibus refertam, quae in posterum nondum potuit superari.

Ipse divus Thomas, haec omnia bene noverat, et cum officium SS. Sacramenti composuit, liturgicas traditiones debita prosequens reverentia, stylum scholasticum, in sua *Summa* adhibitum, plane reliquit, et orationes confecit in quibus cursus accuratissime observatur, ut notat citatus De Santi.

Leges autem, quae cursum ipsum in orationibus moderantur, ex usu continuato, in auribus omnium permansere, ita ut, licet post saeculum XVI non novimus latinum scriptorem, qui leges ipsas docuerit, nihilominus, qui eo tempore orationes liturgicas construere debuerunt, inscie forsan, optime tamen, legibus ipsis obtemperarunt. Vide orationes post s. Pium V in breviario inductas, ex. gr. s. Caroli, s. Ignatii, s. Francisci Xaverii, s. Philippi Nerii. Verum idem dici nequit de novis officiis quae saeculis XVIII et XIX confecta fuere; in multis enim ex eis norma traditionalis penitus oblita fuisse comperitur.

93. Sed est notandum, quod in cursu cuiusvis scripturae prosaicae duo tantum pedes considerantur, dactylus nempe et spondaeus, ita tamen, ut non accipiantur sicut in metrica, sed tantummodo iuxta accentum rythmicum.

Porro quodcumque verbum bisyllabum sumitur pro spondaeo, uti *māgnūs, pătĕr, lūūs*; trisyllabum vero, cum accentu rythmico in prima, accipitur pro dactylo, uti *scrĭbĕrĕ, pĭĕtās, lĕgĕrĕ*, plane negligendo quantitatem, quae a poetis in versibus observatur. De qua negligentia iam locutus erat Cicero (*de Orat.* III, 47) ubi dicit, syllabas in oratione accipiendas esse, « non numero » seu quantitate metrica, « sed aurium mensura, quod est acrius iudicium et certius » (1).

Iuxta *Dictatores*, qui regulas (dictamina) dederunt pro cursu servando ab oratoribus et scriptoribus publicis, tres species *cursus* habentur; nempe *cursus planus, cursus tardus*, et *cursus velox*.

Planus desinit duobus verbis, quorum ultimum sit trisyllabum cum media producta; ex. gr. *dona sentiámus, ratióne iussèrunt.*

Tardus, desinit similiter duobus verbis, quorum ultimum sit proparoxyton tetrasyllabum, ex. gr. *operári iustitiam, resurrectiónis exórdia.*

Velox, desinit pariter duobus verbis, penultimum proparoxyton, ultimum paroxyton tetrasyllabum, ex. gr. *confèssio subsequátur, gratulátio potestátum* (cf. Vacandard, *S. Victrice*, p. 98) (2).

(1) Hinc est quod Albertus de Morra O. S. B. cancellarius Alexandri III. et postea pontifex Gregorius VIII. leges dictans pro cursu prosaico servando in bullis et actis romanae curiae, unde cursus eius dictus est gregorianus, hac de re habet: « Si incipias a dictione dissillaba, bene currit dactylus post eam, ut si dicas: *Deus omnium*; si incipias a dictione trisillaba cuius media sit producta, bene currit dactylus, ut si dicas: *magister militum* ». Vetat autem ne ponantur tres dactyli indesinenter, quia ait « nimis sunt veloces », ex gr. *negligens famulus aliquis*. Ubi accipiuntur pro dactylis verba *ōmnĭum, mĭlĭtum, nĕglĭgēns, fămŭlŭs, ălĭquĭs* (cf. De Santi, loc. cit. p. 23).

(2) A Grospellier, qui in studio collecturum omnem curam diligentissime posuit (*Le rhythme des Oraisons*), quartam speciem invenit, quam vocat. *cursum trispondiacum*; desinit enim per quatuor syllabas (paroxyton), quas praecedit aliud paroxyton; ex gr. *pervenire mereámur, amáre quod amávit.* Ex accurata collatione quam

Nihilominus pro ultimo verbo in *cursu* trisyllabo, aut tetrasyllabo, substitui potest monosyllabum cum dissyllabo vel trisyllabo sequenti; ex. gr. cursus planus ita bene desinit: *secreta non norint*, cursus tardus: *gaudia non sentiat*, cursus velox: *proficit ad coronam.*

Aliquando ut orationes solemniori magnificentia, et rutundiore modulamine absolvantur, *duplici cursu* clausulae fiunt, scilicet ultima verba ita disponuntur, ut primum cum secundo, et secundum cum tertio, duos cursus distinctos expleant.

Ex. gr. oratio Doctorum sic concluditur: ... *intercessorem habere mereamur in coelis*: in quo duplex cursus perfectus habetur, nempe: *habere mereamur*, et *mereamur in coelis.*

Bona tandem regula diligenter sequenda in componendis collectis, ea est, ut voces ad instar dactyli (vulgo *sdrucciole*) cum vocibus ad modum spondaei (vulgo *piane)* sint alternatae; item in fine bene currunt verba quae quatuor, quinque et etiam sex syllabas habeant; ex. gr. in orationibus B. Mariae tempore Adventus, habemus clausulas: ... *eius apud te intercessionibus adiuvemur*; et ... *per eius salutiferae resurrectionis potentiam ad aeternam mereamur pervenire laetitiam*, in quibus vere *ore rotundo*, ut oratores antiqui docebant, oratio concluditur (1).

Item, ut in antiquis collectis frequenter usi sunt maiores nostri, valde praestat, quod non desint *figurae verborum* scilicet *repetitio*, vel *similiter cadens*, aut *similiter desinens*, quae summopere varietati et venustati inserviunt.

Et quoniam in fervida prece ad Deum, *vires* quaeruntur ad nostram *imbicillitatem fovendam, victoria* in *certamine*, contemptus *temporalium* ob amorem *aeternorum*, et similia, iuvat magnopere quod protasis bene ordinetur ad apodosim, et per aptas antitheses supplicatio perficiatur, ut praesertim in orationibus in proprio de tempore passim invenitur (cf. De Santi, p. 80).

fecit notavit quod de 425 orationibus in proprio de tempore missalis romani 144 absolvuntur cursu plano, 93 cursu tardo, 137 cursu veloci et 44, cursu trispondiaco.

(1) De Santi (p. 75), ad rem optimum exhibet exemplum ex sacramentario leoniano nempe: *Exultet, Domine, populus christianus de magnorum Filii tui glorificatione membrorum; et quanto eminentiora sunt coeteris, tanto magis de eorum culmine inferiora congaudeant.*

Ut tandem tyrones percipiant quantum leporem et qualem elegantiam *cursus* bene servatus tribuat collectis liturgicis, en ex gr. oratio de Spiritu Sancto iisdem verbis sed sine cursu descripta:

Deus, qui docuisti corda fidelium illustratione Spiritus Sancti; da nobis sapere recta in eodem Spiritu; et gaudere semper de consolatione eius.

Quae si conferatur cum oratione satis nota *Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti,* etc. statim apparet eius dignitas et magnificentia ob *cursum* legitime servatum (1).

94. Iuxta antiquos orationes sive collectae ad Patrem, non vero ad Trinitatem dirigi debent, uti decrevit concilium carthaginense tertium (c. 13). Id certo certius decretum fuit, quia ipse Dominus Iesus ad illum modum orare nos docuit cum dixit: *Sic ergo vos orabitis: Pater noster* etc. Quia vero idem Salvator noster dixerit: *Quidquid petieritis in nomine meo fiat vobis*; cumque ipse sit *unus mediator Dei et hominum* (I *Tim.* II, 5) ideoque *per eum solum habemus accessum ad Patrem* (*Rom.* V, 2) quaelibet collecta concluditur cum obsecratione: *Per Dominum N. I. C.* etc.

Quam ob rem bene notat Benedictus XIV (*De sacrif. mis.* l. 2, c. 5, n. 5): « si ad Trinitatem dirigeretur oratio, et concluderetur *Per Filium tuum*, vîderi possemus pûtare nos Christum Trinitatis esse Filium; aut si vox Filii praetermitteretur, ac tantum diceretur: *Per Christum D. N.*, Christi personae dividi viderentur, quarum una in Trinitate, quam invocamus, contineretur, altera seclusa, per quam invocaremus Trinitatem; idcirco ad unam tantum Personam oratio dirigitur, omniaque in hunc modum incommoda summoventur » (2).

(1) Cl. De Santi (p. 90–92) merito carpit non unam ex orationibus recenter in liturgia inductis; nos hic ponimus orationem S. Antonii Zaccaria in qua cursus regulae prorsus neglectae fuerunt: *Fac nos, Domine Deus, supereminentem Iesu Christi scientiam, spiritu Pauli Apostoli ediscere; qua B. Antonius Maria mirabiliter eruditus novas in ecclesia tua clericorum et virginum familia vongregavit.*

(2) Nescimus quomodo haec Benedicti XIV doctrina stare possit cum oratione *Suscipe sancta Trinitas*, etc. quae dicitur in missa post specierum oblationem, et cum alia *Placeat tibi sancta Trinitas* etc. in fine missae, quae concluduntur per solita verba: *Per Christum D. N.*

Neque per orationem ad Patrem directam, personae Filii et Spiritus Sancti excluduntur, nam in conclusione orationis protestatur Ecclesia fidem in Trinitate, et in aequalitate personarum.

Ceterum nonnullae habentur collectae quae ad Filium diriguntur, et licet Bellarminus (*Controv. de missa*, c. 16) eas recentes esse dicat, nihilominus tres orationes in canone ante communionem habentur, et alia in purificatione calicis, quae satis sunt perantiquae. In missali romano, prout exiit reformatum a Clemente VIII, (ut taceamus de missalibus recentioribus, in quibus nova festa adiuncta fuerunt, quorum officia non semper cum laudabili traditione conveniunt) inveniuntur tantummodo 27 orationes ad Filium directae, nempe 10 in proprio de tempore, 11 in proprio Sanctorum, 3 in missis votivis et 3 in missis pro defunctis. Nulla vero umquam fuit collecta Spiritui Sancto directa. Habemus autem in liturgia antiphonam et sequentiam quae incipiunt per verba *Veni sancte Spiritus*, nec non hymnum *Veni Creator Spiritus*, atque orationem *Veni santificator* etc. in agenda missae, quae iuxta communem sententiam (cf. Benedictum XIV, ibid. c. 10, n. 20) tertiae personae divinae est directa, ex quibus probatur nefas non esse orationes illi dirigere, quae aequalis est aliis personis (1).

Ratio autem cur Ecclesia Spiritui Sancto regulariter non dirigit collectas est quia ipse est *donum*, et a dono non petitur donum, sed a donatore, ait Durandus (l. 4, c. 15, n. 11). Et sane iuxta D. Thomam (I. q. 38, art. 2) « donum secundum quod personaliter sumitur in divinis, est proprium nomen Spiritus Sancti ». Et quia, ut ait apostolus Iacobus (Iac. I, 17), *omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum*, gratiae omnes quas exposcit ecclesia, nihil aliud sunt nisi dona divina, nempe participationes Spiritus Sancti.

(1) In libellis pro devotis personis, ecclesia non prohibente, inter alia officia parva ponitur quoque *officium Spiritus Sancti*. Item Martène (*De antiq. rit*, l. 4, c. 34) refert hanc orationem ex libello floriacense depromptam: « Domine sancte Spiritus Deus omnipotens, qui coaequalis et coaeternus et consubstantialis Patri Filioque existens, ab eis inenarrabiliter procedis: qui super eumdem Dominum Iesum Christum in columbae specie et super sanctos apostolos in linguis igneis descendisti, te adoro, te laudo, teque glorifico. Depelle a me, quaeso, tenebras totius iniquitatis et perfidiae, et accende in me lumen tuae misericordiae, et ignem sanctissimi ac suavissimi amoris tui ».

Hinc est propterea, quod orationes diriguntur ad *Patrem*, qui per *Filium*, dona *Spiritus Sancti* nobis tribuit indesinenter.

95. Itaque conclusiones orationum varianter iuxta formam eorum, ait enim Rubrica (XXX, 4): «Si oratio dirigatur ad Patrem concluditur *Per Dominum*; si ad Filium, *Qui vivis et regnas*. Si in principio orationis fiat mentio Filii, dicatur *Per eumdem*: si in fine orationis dicatur: *Qui tecum vivit et regnat*. Si fiat mentio Spiritus Sancti dicatur *In unitate eiusdem Spiritus Sancti* ». Quae omnia tam in missali, quam in breviario suis locis notantur.

Nil autem hic dicit rubrica in casu quo oratio dirigatur ad Filium, et in ea fiat mentio primae Personae. Certo conclusio tunc absolvi debet per verba: *Qui vivis et regnas cum eodem Deo Patre in unitate Spiritus Sancti* etc. sicut legitur in missali in secunda ex tribus orationibus ante communionem.

Hoc notandum est, quia in oratione missae votivae Passionis, et in postcommunione festi lanceae et clavorum, nec non in tribus orationibus quibus absolvitur commendatio animae, et in secunda oratione pro benedictione primarii lapidis, aperta fit mentio Personae Patris, et conclusio notatur per solita verba *Qui vivis*, sine indicatione vocis *cum eodem Deo Patre*, ut fit quando dicendum est *Per eumdem*, vel *in unitate eiusdem Spiritus Sancti*.

Conclusiones orationum aliquando sunt longae, aliquando breves, scilicet per verba: *Per Christum D. N.* vel *qui vivis et regnas in saecula saeculorum*. Lex est, non scripta in rubricis, sed usu tradita constanter, ut longa conclusio adhibeatur semper in missa et in officio; in benedictionibus autem et in aliis functionibus extra officium ordinarie dicatur brevis.

Dicimus *ordinarie*, quia in rituali habentur orationes pro sacramentorum administratione, quae semper absolvuntur per brevem conclusionem, in benedictionibus Episcopo vel sacerdoti ab eo delegato reservatis per longam, sicut in processionibus, et in nonnulla alia benedictione ex. gr. olei simplicis.

Mirandum tamen est, quod in communione extra missam ponitur oratio *Spiritum nobis* etc. de tempore paschali, cum brevi couclusione, et *Deus qui nobis* etc. per annum dicenda cum longa. Et admiratio augetur, quia haec eadem oratio *Deus qui nobis*, in ipso rituali ponitur cum brevi conclusione, in processione SS. Sacramenti, ex qua promanavit ritus benedictionis cum Venerabili, quae nostris temporibus, nimia forsan cum frequentia, usu venit.

96. Ad primam et completorium numquam mutantur orationes quae habentur in psalterio; quia hae duae horae canonicae serius a monachis in officio invectae procedunt diversimode ab aliis; nil in eis sumitur ex officio diei (excepta antiphona ad Primam in festis), ideoque et orationes numquam variantur. Id autem fit hac quoque ratione, quia scilicet oratio, tum ad Primam, tum ad Completorium, congruunt et conveniunt horis ipsis diei in quibus sunt dicendae, ut patet legentibus.

In aliis vero horis regulariter dicitur oratio quae dicta est in primis vesperis. In ritu ambrosiano, sicut et in proprio quorumdam monachorum, multae in unoquoque officio habentur orationes pro diversitate horarum, seu etiam in eadem hora. In ritu tamen romano unica semper ponitur oratio in eodem officio cuiusvis festi, quae ideo inservit pro omnibus horis illius, incipiendo a primis Vesperis.

In Quadragesima duae habentur orationes pro officio cuiuslibet feriae, una inservit ad laudes et per horas, alia ad vesperas. In feriis quatuor temporum et in secunda Rogationum, in quibus habetur lectio evangelica in officio et missa propria, oratio propria dicitur tantum in laudibus et per horas, in vesperis autem sumitur oratio praecedentis dominicae.

Cur autem hoc? quare et in vesperis non est dicenda oratio propriae huiusmodi feriarum? Nemo ex scriptoribus liturgicis rationem huius suppeditat. Nos vero id voluisse maiores putamus, quia vesperae feriales non dicuntur, nisi quando aliud officium desit, ideoque officium qnatuor temporum, feriae secundae rogationum, sicut et vigiliarum, vere desinit ad nonam. Id autem adeo verum est, quod de eis fit commemoratio in laudibus et missa, non vero ad vesperas; quamobrem, si forte vesperae feriales eis diebus sint dicendae, quia in casu huiusmodi vesperae nullam relationem habent cum officio matutino, oratio sumitur ex praecedenti Dominica, sicut fit communiter pro aliis feriis, exceptis quadragesimalibus.

97. Ante orationem, rubrica docet (30, 3) « etiam quando aliquis solus recitat officium semper dicitur versus: *Dominus vobiscum*, et respondetur: *et cum spiritu tuo* ». De hoc scribens Martène (*Ant. rit.* l. 1, c. 4, art. 3, n. 7) refert canonem 21 concilii Bracarensis secundi: « Placuit ut non aliter episcopi, et aliter presbyteri populum salutent sed uno modo, *Dominus sit vobiscum*, sicut in libro Ruth legitur, et ut respondeatur a populo, *et cum spiritu tuo*, sicut et ab ipsis apostolis traditum omnis retinet occidens ».

Ordo romanus iam ponit salutationem hanc *Dominus vobiscum*, quae legitur in libris sacris (*Ruth.* II, 4, et II *Paral.* XV, 2, *Iudic.* VII, 12) et ipse Gabriel similem adhibuit cum salutavit Mariam dicens: *Dominus tecum.* Gavantus ex Radulpho (P. I, tit. 7, lit. p) sensum huius salutationis esse docet: « Dominus in vobis moveat, et petitionibus vestris effectum tribuat ».

Respondetur autem per verba *Et cum spiritu tuo*; quae responsio iam dabatur tempore s. Ioannis Chrysostomi, ut ipse testatur (hom. 33 in Math.): « Ingressi ecclesiam, statim secundum legem istam dicimus: *Pax vobiscum*, et vos respondetis: *et cum spiritu tuo.* Quod certo certius originem ducit ex epistolis b. Pauli, qui discipulos consalutabat dicens: *Gratia D. N. I. C. cum spiritu vestro fratres*, (*Gal.* VI, 22) et: *Dominus I. C. cum spiritu tuo* (II *Tim.* IV, 22).

Rubrica iubet dici *Dominus vobiscum* etiam in privata recitatione, de hoc vide quae diximus supra n. 84.

Subiungit rubrica, non dici *Dominus vobiscum*, « ab eo qui non est saltem in ordine diaconatus, nec a diacono praesente sacerdote, nisi de illius licentia »; Doctores passim cum Navarro (*De oratione*, c. 22, n. 86) dicunt sacerdotem, vel diaconum, excomunicatum, non amplius posse salutatione *Dominus vobiscum* uti, quia pertinet ad exercitium ordinis, quo fuit privatus.

Qui praedicta salutatione uti nequeunt, eius loco dicunt *Domine exaudi orationem meam.* Ante orationem, ut invitentur fideles ad orandum, celebrans praemittit invitationem: *Oremus.* De hac invitatione loquitur s. Augustinus (*Ep. ad Vitalem*, 217). In fine tandem orationis fideles respondent: *Amen*, ut communem collectam a sacerdote omnium nomine recitatam confirment; vox enim *Amen*, inter alias significationes, *fiat* etiam significat.

Ex antiquo Testamento (*Deuter.* XXVII, 15) docemur, quod praecinentibus sacerdotibus in templo: *Respondebit omnis populus et dicet* Amen. Similiter Christi discipuli iuxta d. Paulum (I *Cor.* XIV, 16) in ecclesia respondebant *Amen* ad orationes; et s. Iustinus martyr (*Apol.* 2) ait: « absolutis precibus quilibet de populo faustis vocibus acclamat *Amen* ». Item s. Hieronymus (*Ep. Gal.* l. 2) narrat quod suo tempore in omnibus Romae ecclesiis audiisse populum respondentem *Amen*, cuius usum meminit et s. Augustinus (Tract. 41 in Ioan.).

Itaque cum oratione absolvitur quaevis hora canonica, et

repetita salutatione *Dominus vobiscum*, vel *Domine exaudi*, cantatur *Benedicamus Domino*, qui dicebatur *versus clusor* iuxta Ducange (hac voce). Antiquitus a pueris decantabatur hic versus, seu laus finalis.

98. Huic succedit suffragium pro defunctis, quia pia mater ecclesia numquam illorum obliviscitur, et peracto officio ad utilitatem praesertim vivorum, vult quoque suffragium fieri pro animabus iu purgatorio detentis, in fine cuiuslibet horae.

Hic ℣ *Fidelium*, ait rubrica (30, 3) « non dicitur ad primam ante *Pretiosa*, neque ad completorium ante *Benedicat* ». De non dicendo *Fidelium* ante *Pretiosa*, ratio patet, primo quia tunc hora non explicit, secundo quia dicitur in fine primae. Non ita clare patet ratio pro completorio, quod absolvitur cum benedictione ultima *Benedicat* etc., et statim dicta antiphona finali B. M. V. explicit officium diei. Gavantus nititur ut adequatam rationem inveniat, dicens (sect. 5, c. 22, n. 4): « Versus *Fidelium*... neque ad completorium habet in fine locum congruum, non enim ante antiphonam b. Virginis, quae ad officium vivorum attinet, neque post eam, quam sequitur oratio dominica cum salutatione angelica et symbolo apostolorum », veluti si ad ceteras horas non diceretur *Fidelium* ante antiphonam b. Mariae, prout in fine laudum, et quandocumque discedendum est a choro!! Sed prosequitur Gavantus: « quare forte hinc factum est, ut sub noctem dato signo cum campana fiat commemoratio defunctorum, ut aliquo modo suppleatur completorio ». Potius dicendum est sic voluisse maiores, quia Carmelitani post antiphonam finalem ℣ *Fidelium* convenientissime ponunt.

Item non dicitur, sequitur rubrica: « quando post aliquam horam immediate sequitur officium parvum b. Mariae, vel officium defunctorum, aut septem Psalmi poenitentiales, vel solae litaniae ». Quia tum quaelibet hora officii parvi b. Mariae, tum litaniae Ss. absolvuntur cum ℣ *Fidelium animae*; quoad vero officium defunctorum, ratio patet, cum pro defunctis abundantius oratur in integro officio pro ipsis. Post tertiam in choro sequitur statim missa conventualis; aliquando celebratur alia missa post sextam, et frequentius post nonam; dicendum ne tunc est ℣ *Fidelium* terminata hora? Procul dubio dici debet, nam Rubrica quam hic exponimus nil dicens pro casu, implicite eumdem ℣ praescribit, prout S. R. C. (decr. 2366) declaravit. Nescimus ergo quomodo cl. Martinucci (l. 1, 14, n. 30), ubi loquitur de missa conventuali, plane doceat: « in hora, quam proxime se-

quetur celebratio missae, omittendus est ℣ *Fidelium animae* », ac pro sua tuenda sententia citat *Coeremonialem Episcoporum* (l. 2, c. 8, n. 18). Certo ignoravit prorsus citatum decretum.

Verum hic locus coeremonialis agit de missa pontificali post tertiam, et sic se habet: « Episcopus... cantat... orationem, et dicto per chorum *Benedicamus Domino* ipse episcopus deposito pluviali etc. »; ac proinde, licet mentionem non faciat de ℣ *Fidelium*, illum tamen non excludit, quod si dici non deberet, aperte id declarasset coeremoniale, qui enim tacet, nihil dicit.

De Herdt ad rem (*Prax. pont.*, c. 8, n. 82 *e*) habet: « Dubitatur an versus *Fidelium* sit addendus; iuxta aliquos episcopus illum submissa voce subiungit; potius autem dicendum videtur eum esse omittendum, quia Coeremoniale nullam huius mentionem facit ». Martinucci alio loco (l. 5, c. 9, n. 58) in quo agit de missa pontificali, ait: « Post *Benedicamus* episcopus non recitans ℣ *Fidelium*, sedebit etc. »; et in nota rationem huius dare contendit dicens: « eo quod immediate sequitur missa ». Eamdem rationem dat Schober (*Mis. pontif.*, art. 9, c. 2, n. 16). Sunt qui in casu producunt rubricam specialem in nocte Nativitatis Domini, in qua post *Benedicamus* certo certius ℣ *Fidelium* dici non debet; hoc autem non praecise quia sequitur missa, sed potius quia missa ipsa est pars officii ipsiùs noctis, et hora matutini non terminatur nisi cum laudibus, quae statim finita missa dicuntur, et more solito cum ℣ *Fidelium* absolvuntur.

Igitur si nostrum sentiendi modum exponere licet, aperte dicimus quod distinctio inter missam conventualem a sacerdote celebratam, et missam pontificalem, ad effectum dicendi vel omittendi *Fidelium*, non sustinetur; nulla enim ratio suffragatur, ut si dici debeat in una, in alia omitti possit. Si in fine vesperarum, quae ritu pontificali celebrantur, episcopus non diceret *Fidelium*, puta quia dat benedictionem, tunc forsan quis toto iure concludere posset etiam post tertiam pontificalem illum versum omittere debere; sed e contra episcopus celebrans et ad laudes et ad vesperas illum dicit. Ergo ratio ritus pontificalis nil valet, et quoad *Fidelium* pontificalis missa, discrepare nequit a missa conventuali.

Re quidem vera, quando in choro continue dicuntur duae vel tres horae, ℣ *Fidelium* dicitur in fine cuiuslibet horae, et non solummodo post ultimam; ex eo ergo quod post tertiam se-

quatur missa conventualis non videtur cur omitti debeat *Fidelium*; primo quia missa non constituit quid unum cum hora tertia, secundo autem quia in fine missae neque *Fidelium* neque aliud dicitur, quod rationem babeat suffragii pro defunctis.

Quapropter scientifice loquendo *Fidelium* non esset omittendus neque in conventuali neque in pontificali missa. Attamen dato et non concesso quod omitti debeat, tunc ante utramque missam non esset dicendum, sic enim exigunt et vis argumentationis, et leges bonae logicae.

Sed auctoritas diversimode iudicavit fieri, nam ex citato decreto n. 2366 in *Thelesina* d. d. 24 aprilis 1742 declaravit non esse omittendum versum *Fidelium* ante missam conventualem (et hoc stat contra Martinucci). Novissime autem decreto in *Atrebaten.* d. d. 5 iunii 1908 ad III declaravit: post horam tertiam, quae praecedit missam pontificalem, episcopus celebrans debet omittere versum *Fidelium animae.* Quae regula sequenda certo erit usque dum aliud non decernat S. R. C.

99. In minoribus horis una tantum dicitur collecta, in laudibus vero, et frequentius in vesperis, dicuntur plerumque plures orationes ob commemorationes quae occurrere possunt. In hoc casu vult rubrica, ut prima et ultima ex eis absolvatur cum convenienti conclusione, intermediae vero non concluduntur.

Ad rem notat Gavantus (hoc loco) « Prima oratio concluditur in laudibus et vesperis, quia est principalis, ad quam dirigitur totum officium; ultima item concluditur quia colligit medias et sua conclusione praecedentes firmat ». Haec ratio, quam suam facit De Herdt (P. IV, n. 358, III) quanti valeat, dicant peritiores, quia nobis parvi facienda videtur, non satis enim nec undequaque explicat causam, ex qua orationes intermediae concludi non debeant. Esto quod in missa, et in fine litaniarum, dicantur plures collectae, quarum ultima tantummodo concluditur, sed illae non disiunguntur per antiphonam et versum sicut in officio. In benedictionibus etiam candelarum, cinerum et palmarum plures indesinenter orationes dicuntur, et tamen quaevis earum sua conclusione absolvitur.

In ritu Ambrosiano (Rubr. gen. 32) et in ritu carmelitano (Rubr. *de orat.* 7) nec non in parisiensi antiquo (Rubr. P. III, c. 12, n. 7) orationes intermediae absolvuntur brevi conclusione *Per Christum D. N.*

Et bene, non satis enim intelligitur cur orationes intermediae carere debeant sua quaque obsecratione, quae est una

ex quatuor partibus integralibus cuiusvis collectae. Quando continuatim sine interpolatione ulla, plures dicuntur orationes, una quodammodo evadit, et bene ultima tantum concludi potest, quo in casu obsecratio finalis, et pro intermediis optime inservit.

CAPUT XX.

DE HYMNO *TE DEUM* ET DE SYMBOLO *QUICUMQUE*

100. Cum de hymnis egimus, nil disseruimus de *Te Deum*, eo quod, licet hymnus vocetur, nihilominus et quoad originem et quoad formam ab aliis, qui veri hymni sunt rythmici, discrepat omnino.

Inscribitur in breviario: *Hymnus Ss. Ambrosii et Augustini*, quia ex pia traditione supponitur fuisse primo decantatum quando s. Augustinus conversus est ad fidem et a s. Ambrosio baptizatus, ambo alternatim Deo gratias egerunt. Ita legitur in chronico, quod s. Datio episcopo mediolanensi false tribuitur (in Muratori *Rer. ital.* IV, l. I, c. 9): « In fontibus (baptismi) prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis, *Te Deum laudamus* decantantes cunctis qui aderant audientibus et videntibus, simulque mirantibus, id posteris ediderunt, quod ab universa ecclesia catholica usque hodie tenetur et religiose decantatur ». Omnes tamen eruditi hodie, cum Muratori (*In praef. ad hist. Landulphi*, loc. cit.) conveniunt supposititium chronicon datianum nil aliud esse quam Landulphi senioris chronicon, qui floruit saeculo XI nullaque ratione probari posse historiam aliquam conscripsisse s. Datium (530-552).

Huc accedit, quod ipsi antiquiores mediolanenses scriptores, dum hymnum *Te Deum* nominant, numquam illum s. Ambrosio tribuunt. Ex. gr. Beroldus, qui ineunte saeculo XII floruit (Cf. Magistretti, *Beroldus*, 1894, p. 57), scribit: « archiepiscopus incipit *Deus in adiutorium* sequitur *Te Deum* etc. » ullo sine addito: nam quando aliquid meminit, quod s. Ambrosio tribuitur, id adnotare non omittit, ne in minimo quidem gloria patris suae mediolanensis ecclesiae decrescat » (Cfr. ibid. p. 93).

Itaque cum plurimi scriptores, etiam bonae notae, uti Suares, Bellarminus, Azorius, Spondanus, Gonzales, Castaldusque (Cf. Meratus loco cit.), communiter docuerint hymnum *Te Deum* revera a Ss. doctoribus Ambrosio et Augustino fuisse conscriptum, in Breviario Romano, Monastico, Carmelitico, ac Dominicano, nec non in antiquo placentino (1530), non vero in parisiensi

(1760), mansit inscriptio: *Hymnus*, vel *Canticum, Ss. Ambrosii et Augustini.*

Clarissimus Paulus Cagin O. S. B. solesmensis qui absolutissimum opus confecit circa originem huiusce hymni (*Te Deum* seu illatio. Leodii 1906), codices perantiquos compulsavit n. 120, qui saeculis adscribuntur VIII usque ad XIV. Porro 49 ex ipsis ponunt *Te Deum* ulla sine auctoris indicatione, 2 auctorem faciunt s. Hilarium, 2 s. Abundium episcopum comensem, 7 quemdam Sisebutum, 48 Ss. Ambrosium et Augustinum, et 12 Nicetam episcopum. Dom Morin eiusdem O. S. B. (Cf. *Revue Bènèdictine*, 2 Apr. 1907, p. 198) alios duos codices citat, pro hoc ipso Niceta. Quamvis ratione habita de codicum numero, probabilius videretur Ambrosium et Augustinum esse huius hymni auctores, nihilominus, ut diximus, id nullatenus sustineri amplius potest (Merati loco citato, Biron in versione Bäumer I, p. 256).

Attributiones factae s. Hilario, vel s. Abundio, vel Sisebutio pariter sunt prorsus deserendae, uti satis superque probant citati Cagin atque Morin.

101. Una restat opinio ab eodem Morin (ibid. pp. 198–210) defensa, quae auctorem hymni *Te Deum* putat dictum Nicetam. Hic fuit Episcopus de Remesiana in Dacia, amicus s. Paulini nolani, sanctitate et doctrina perceleber (Cf. Baudrillart. *S. Paolino*, Desclée, 1908, p. 129). Is Nolae bis venit, annis 398 et 402, atque in eius honorem s. Paulinus carmen conscripsit (Edit. Hartel, *Carm.* XXVIII, p. 262.

Nihilominus, ad honorem veritatis, confitetur idem perillustris Dom Morin, hanc thesim quam ipse perquam erudite tuetur, non excedere probabilitatis fines (1).

Dom Cagin vero (pp. 110–115) nonnulla loca ex patribus graecis et latinis exhibet, in quibus inveniuntur formulae et dictiones quae mirabiliter conveniunt cum hymno *Te Deum*, indeque arguit huiusmodi hymnum multo antiquiorem esse quam Niceta; refert enim testimonia s. Cyrilli hierosolimitani, Didimi et s. Athanasii ex graecis, s. Cypriani, s. Hilarii, Prudentii, nec non Passionis s. Perpetuae, ex latinis. Ex. gr. s. Cyprianus in libro *De mortalitate* (Ed. Hartel 1868, p. 313), sicut et legitur

(1) Scribit enim p. 209: « Je n'ai jamais donné comme un fait assuré que l'évêque de Remesiana fût l'auteur du *Te Deum*; j'ai dit simplement, et je tiens encore, qu'il a en sa faveur un ensemble remarquable de probabilités etc. ».

in breviario romano (lect. VI diei oct. omn. Ss.) haec habet: « Illic *apostolorum gloriosus chorus*, illic *prophetarum* exultantium *numerus*, illic *martyrum* innumerabilis populus... *remunerati* misericordes etc. » quae verba uti patet quam maxime conveniunt cum hymno *Te Deum* (1).

Quapropter D. Cagin (p. 403) arbitratur hymnum *Te Deum* ortum habuisse ex anaphoris eucharisticis, quando non habebatur una tantum liturgia occidentalis, et nondum romana a gallicana discrepare coeperat; ita ut antiqui scriptores, quos citat, formulas ex *Te Deum* in operis suis inducere potuerunt. Putat e contra D. Morin (p. 220) Nicetam ob suam educationem, ob itinera suscepta, ob faciles relationes cum orientalibus, canticum laudis et gratiarum actionis pro suo populo componere voluisse, quod e patribus graecis et latinis deprompsit.

Ex qua eruditissima disputatione haec pro certo deduci possunt: *a*) quod *Te Deum* originem latinam habuit, licet aliquid in eo inveniatur ex formulis graecae liturgiae deductum; et *b*) quod, forma ac modo, quibus ad nos usque pervenit, saeculo v non praecedit.

Evidenter, versus postremi huiusce hymni adiecti sunt quia in matutinis officiis decantabatur; dicitur enim: *Dignare, Domine, die isto, sine peccato nos custodire.* Antiquitus dicebatur tantummodo Dominicis diebus, et in festis Pontificum, postea vero in omnibus festis novem lectionum, ut docet Gavantus (sect. 5, c. 19, n. 2) ex Amalario et Micrologo; nunc vero recitatur quotidie in fine matutini, in omnibus festis, etiam simplicibus, nec non in ipsis feriis tempore paschali, in signum laetitiae et exultationis. Diebus vero poenitentialibus, et in feriis per annum omittitur, et eius loco dicitur ultimum Responsorium.

Dicitur etiam et solemniter decantatur in processionibus pro gratiarum actione, et iuxta Pontificale, in consecratione episcopi, in benedictione abbatis vel abatissae, in consecratione virginum, et coronatione regis.

(1) Bene notat Dom Cagin (p. 112) quod dictio *remunerati misericordes* convenit cum versiculo 20 in hymno *Te Deum*, qui in manuscriptis veteribus melioris notae sic sonat: « Aeterna fac cum sanctis tuis in gloria *munerari* »; non *numerari*. Et nos addimus ita inveniri in Pontificali Romano, edito a Iohanne Burchardo (Collibus vallis Trompiae 1503, p. xxxvii), nec non in antiquo breviario placentius (Venetiis 1530, p. 64).

102. Symbolum *Quicumque*, quod recitatur in officio Dominicae ad Primam, inscribitur in breviario *Symbolum s. Athanasii*. Meratus (sect. 5, c. 20, n. 1) optime scribit: « Gavantus inhaerens Baronii sententiae (annal. 340), celeberrimum symbolum, de quo nunc est sermo, Athanasio adiudicare non dubitat, imo cum eodem annalium parente censet Romae editum fuisse ab Athanasio, et coram pontifice Iulio I et aliis fuisse recitatum; cui quidem sententiae adstipulatur etiam cardinalis Bona (*Div. psalmod.* c. 16). Verum quamvis horum virorum commendatissimae auctoritati plurimum tribuam, nihilominus adduci non possum ut praedicto eorundem placito aquiescam ». Bellarminus quoque (*de script. eccl.*) aliique plures, tenent re vera s. Athanasium hoc symbolum scripsisse. Alii vero, et hodie omnes scriscriptores sacri cum Montfauconio, qui opera s. Athanasii diligentissime edidit et illustravit (tom. 3 in fine), plurimis ac validis argumentis huiusmodi sententiam erroneam esse comprobant. 1° Quia evidentissime apparet symbolum *Quicumque* conscriptum fuisse post extinctum dissidium super nomen *hypostaseos*. 2° Quia Symboli verba et sententiae aperte indicant latinum esse eius auctorem. 3° Quia prorsus incredibile esset, si hoc symbolum tam eleganti latinitate donatum, composuisset Athanasius, apud occidentales degens, quando suis regionibus fuit restitutus, eamdem fidei confessionem, opus vere aureum, graeco suo idiomati non reddidisset, ut populum suum clarissima hac doctrina perfecte imbueret. 4° Quia si huius symboli auctor fuisset Athanasius, ei inseruisset vocem *Consubstantialis*, pro qua tuenda toto vitae curriculo certavit.

Scimus in aliquibus codicibus operum s. Augustini in enarratione in psalmum 120, ubi explicatur: *Per diem sol non uret te*, insertum inveniri: « De hoc sole pater Athanasius alexandrinus episcopus ita pulchre locutus est; Filius, inquit, Dei a Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus », quae sunt expressa verba symboli de quo agimus, e quibus Possevinus in apparatu (voce *Athanasius*) ac Bellarminus (*De Christo* l. II, c. 25) symbolum *Quicumque*, a s. Athanasio fuisse exaratum putant teste Augustino.

Sed ut notant editores Maurini (Ed. Venetiis 1730, tom. 4, col. 1381) eruditissimus Petavius (*Theol. dogm. de Trinitate*, l. VII, c. 8, n. 7) verba illa dicit fuisse temere assuta, nam in antiquis codicibus melioris notae, non reperiuntur, et in accuratis editionibus, revera sic legitur: « Qui facit solem suum oriri

super bonos et malos? Ergo alium solem fecit Deus, qui oritur super bonos et malos, istum quem vident et boni et mali; alius autem ille sol, *non factus*, *sed genitus*, per quem omnia facta sunt ». Quapropter hodierni scriptores unanimiter tenent Symbolum *Quicumque* s. Athanasio non amplius esse attribuendum.

Doct. Harvey (*The history and theologie of the three Creeds*, London, 1854, tom. 2, p. 577) illud adscribit s. Victricio episcopo rothomagensi, qui symbolum fidei scripsisset pro sua iustificatione anno 403, sed cl. Vacandard (*S. Victrice*, Lecoffre 1903, p. 106) id negat, eo quod praefatum symbolum anterius non est anno 430, et Victricius ante annum 409 supremum diem obiit. A. E. Burn (*An Introduction to the Creeds*, London, 1899, p. 149) censet hoc symbolum ex schola lirinensi prodiisse.

Quo tempore *Quicumque* romano officio insertum fuerit, exploratum non habemus ait Meratus (loc. cit.). Amalarius tamen testatur sua aetate (saec. IX) recitatum fuisse. In regula s. Benedicti nulla eius fit mensio. Hicmarus rhemensis in synodo (an. 842) statuit ut huiusmodi fidei confessio in officiis perlegeretur.

Ex rubricis breviarii dicendum est symbolum *Quicumque*, in festo Ss. Trinitatis, et quoties recitatur officium de Dominica ut in psalterio; non tamen in iis Dominicis quae peculiare officium habent, ut infra octavas Nativitatis, Epiphaniae, Ascensionis et Corporis Christi.

CAPUT XXI.

DE MARTYROLOGIO

103. Lectio martyrologii quae fit in choro ad primam, quodammodo est pars divini officii : porro de eo quoque aliquid disserere debemus.

Nihil antiquius, ait Baronius (*in Praef. ad Martyr. Rom.*), « apud primaevae Ecclesiae praesules fuisse videtur, quam ut christianorum acta fortia, ipsae Ss. Martyrum res praeclarissime gestae, perpetuae memoriae monimentis consignarentur. Cui rei egregiam navatam operam primum fuisse a s. Clemente Romano Pontifice, testatum habetur... Hic fecit septem regiones dividi notariis fidelibus Ecclesiae, qui gesta martyrum sollicite et curiose unusquisque per regionem suam, perquirerent ». Licet autem immensam iacturam, passa sint Acta Ss. Martyrum, nihilominus ex eis quae superfuerunt, ac multo magis ex cultu erga eosdem sanctos, manavit occasio scribendi martyrologium, ut dietim eorum memoria rite ageretur.

S. Cyprianus (*Ep.* 37), scribens ad clerum suum, de confessoribus in carcere constitutis, ait: « Dies eorum, quibus excedunt, adnotate, ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus ».

Et s. Gregorius papa (*Ep.* 29), ad Eulogium alexandrinum scribens, habet: « Nos autem pene omnium Martyrum, distinctis per dies singulos passionibus, collecta in codice nomina habemus, atque quotidianis diebus in eorum veneratione missarum solemnia agimus. Non tamen in eodem volumine quis, qualiter sit passus indicatur, sed tantummodo nomen, locus et dies passionis ponitur. Unde fit, ut multi ex diversis terris atque provinciis per dies, ut praedixi, singulos, cognoscantur martyrio coronati ».

Sequioribus saeculis, post s. Gregorium, vox *Martyrologium* laxius sumpta fuit, ait Du Cange (hac voce), etiam pro *Necrologio*, seu obituario et regula quod, fere semper in eodem volumine martyrologium, obituarium et regula Ordinis descripta legerentur; unde *martyrologio inscribi* dicitur, cuius obitus dies ibi annotatur,

ut scilicet ex ea congregatione seu fraternitate, cui quis adscriptus est. Et citat nonnulla acta antiquiora, ex. gr. ex Ingulfo: « Nomen eius et uxoris eius, fratrum nostrorum, Martyrologio inscribi consensimus ».

Bäumer (II, p. 235) citat codicem bibliothecae Monacensis n. 15818 in quo ad folium 97 legitur: « Incipit martyrum logos Bedae presbyteri de circulo anni »; quia antiquitus nonnisi martyrum nomina in eo inscribebantur.

Saeculo autem XIV, *Martyrologium* vocatum est liber, in quo nomina sanctorum sunt inscripta, tum martyrum, tum confessorum, virginum et non virginum, addito ut plurimum aliquo brevi in uniuscuiusque laudem elogio. Plura collecta sunt martyrologia, ut docet Benedictus XIV (*De canoniz. Ss.* l. 4, p. 2, c. 17, n. 2): « Primum illud est quod appellatur vetustius martyrologium Ecclesiae occidentalis, quodque a Cassiodoro, Beda, Walfrido, Notkero, aliisque scriptoribus divo Hieronymo tribuitur ».

Etiam ven. Beda, qui mortuus est anno 735, martyrologium conscripsit, postea ab Heuschenio bollandiano continuatore editum, anno 1618 (tom. 2, mens. martii). Labente postea saeculo nono, Rabanus Maurus archiepiscopus Moguntinus, Vandelbertus Prumiensis, et Ado martyrologia itidem composuere. Usuardus autem, monachus s. Benedicti, eodem saeculo nono, ex hisce martyrologiis aliud edidit, quod Carolo Calvo dicavit, et prae omnibus legi coepit in monasteriis s. Benedicti ad primam, et postea ad omnes fere ecclesias huius lectio propagata est, etiam ad Romanas, excepta basilica Vaticana, ait Benedictus XV (loco cit.), quae suum quoddam habebat martyrologium, quod hodie adhuc in illius capituli archivo conservatur. Hinc in fine saeculi XV passim in ecclesiis non aliud martyrologium legebatur, quam Usuardi.

Multoties huiusmodi Usuardianum martyrologium typis editum est, cum variationibus et additamentis, ab Augustiniano Bellino, anno 1490; a Maurolico abbate Messanensi, anno 1568, qui *Romanum Martyrologium* vocavit; a Molano, anno 1583, eodemque tempore a Galesino, protonotario apostolico. Multiplicatis idcirco martyrologiis, privata auctoritate, quae omnino perfecta et erroribus expertia non erant, Gregorius XIII necessarium duxit curare, ut nova editio martyrologii fieret correcti, in omnibus ecclesis legendi.

104. Sapientissimus pontifex, qui et calendarium correxerat,

curam novi martyrologii edendi demandavit praeclaro cardinali Sirleto ac Silvio Antoniano, et celeberrimo Caesari Baronio, aliisque illius aetatis sapientioribus viris. In corrigendis autem erroribus, usi sunt martyrologiis antiquis, nec non necrologiis graecis; addiderunt etiam nomina sanctorum, qui ante schisma a graecis colebantur, et nonulli ex latinis; ex tribus vero primis huius novi martyrologii editionibus tertia, anni 1584, testante ipso Baronio, purior sinceriorque evasit. Quia vero Sirletus Baronium induxit ut notis illustraret novum martyrologium, hoc ipsum in lucem prodivit anno 1586. Fatendum tamen est, ut notat Bäumer (II, p. 246) quod martyrologium Gregorii XIII, uti opus perfectum nullatenus haberi potest; ita ut iterum et tertio annis 1590 et 1598 Baronius illud emendavit: non adeo tamen quod iuxta scientiam criticam, maxime post studia maurinorum et bullandistarum saeculis XVII et XVIII, nec non archaeologi De-Rossi et cl. Duchesne saeculi XIX, non exiguis erroribus sit immunis (Cf. Achelis *Die martyrologium* etc. Berlin 1900).

Denuo Urbanus VIII idem martyrologium Baronianum recognovit, uti testatur Gavantus (Sect. V, c. 21, n. 7), additis sanctorum nominibus, qui nuper canonizati fuerant, atque in primo loco positis iis, quibus datum est festum fieri de praecepto per totam Ecclesiam. Item sub Clemente X et Innocentio XI martyrologium Romanum editum est, simile in omnibus editioni Urbani VIII, cum novorum sanctorum nominibus adiectis; tandem vero Benedictus XIV, anno 1749, ultimam manum martyrologio posuit, prout nunc habemus, sub nomine: *Martyrologium Romanum Gregorii XIII iussu editum, Urbani VIII et Clementis X auctoritate recognitum, ac deinde, anno MDCCXLIX, Benedicti XIV labore et studio auctum et castigatum.*

Pluries postea editum fuit huiusmodi martyrologium, additis identidem recentiorum sanctorum nominibus, ut fieri solet in novis seu breviarii, seu missalis editionibus. Melior tamen et locupletior illa est quae Romae prodiit, a Salviucci excusa anno 1845, *auspice et patrono Gregorio Pp. XVI, in qua sanctorum et beatorum exstant elogia pro ordinibus regularibus.*

Ut de posterioribus editionibus martyrologii taceamus, dolendum est, quod in postrema, quae etiam Romae in lucem dedit Typographeum S. Congregationis Propagandae Fidei, anno 1902, nonnulla menda irrepsisse videantur, quae opportune S. R. C. statuit esse corrigenda, quod tamen adhuc (1908) desideratur.

« Antequam, scribit Meratus (Sect. V, c. 21, n. II in fine),

huic de martyrologio animadversioni finem imponam, observare lubet, Valesium in eam descendisse opinionem, ut crederet, nullum unquam fuisse proprium ac peculiare martyrologium Ecclesiae Romanae ante illud, quod, iussu Sixti V, editum est Baronii notationibus illustratum. Portentosam hanc Valesii sententiam clarissimis argumentis evertit doctissimus Florentinius (in *Animadversionibus praeviis* Hieronymiano martyrologio): « Mabillionus (Praefatione secunda in saeculum quartum, cap. 6, n. 174) ait, se Valesii opinionem, quam ibidem exstense refert, penitus refutare nolle; se tamen dissimulare non posse auctoritatem concilii Cloveshoviensis, an. 747 celebrati, in quo diserte de Martyrologio Romano mentio habetur in canone 13, definiente: ut per gyrum totius anni natalitia sanctorum una eademque die, *iuxta martyrologium eiusdem Romanae Ecclesiae* cum sua sibi convenienti psalmodia, seu cantilena venerentur. Nihil inquit Mabillonius, hoc testimonio apertius. At testimonio, quo nihil clarius afferri potest, an non penitus refutatur Valesii sententia, invito etiam Mabillonio ? »

Nova sanctorum nomina in martyrologio nullimode sunt inducenda, neque elogia mutanda, minuenda, aut augenda nisi auctoritate S. Sedis (S. R. C. decr. 1322 ad 16).

105. Quotidie legitur martyrologium, ex maiorum institutione, ne plurimorum sanctorum, de quibus officium agi nequit, memoria obliteretur; valde enim decet, quod per universas ecclesias saltem eorum nomen, honoris causa, quotannis commemoretur. *In choro* recitatur ex praecepto Rubricae, in *privata* vero recitatione non tenemur; licet Gregorius XIII in constitutione sua *Emendato iam*, diei 14 ianuarii 1584, magnopere id cupiat. Legitur autem post orationem, et in fine additur versiculus *Pretiosa in conspectu Domini - Mors Sanctorum eius*, ad martyrologii lectionem accomodatus, iuxta Gavantum (Sect. V, c. 21, n. 14) in venerationem sanctorum omnium, quorum itidem invocatur saluberrima intercessio, per sequentem orationem *Sancta Maria et omnes Sancti intercedant* etc. Martène (ibid., n. XII), notat in libro *Usuum Cistercensium*, cap. 70, inveniri hanc Rubricam: « Tunc (lecto martyrologio) surgant fratres et vertent se ad Orientem dicentes versum qui in collectaneo habetur, idest *Pretiosa in conspectu Domini* sacerdote hebdomadario incipiente, et dein oratio: *Ipsi et omnes Sancti Dei intercedant pro nobis, ut mereamur a Deo adiuvari, qui vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.* Cui quidem orationi, re-

ligionis ac devotionis ergo in beatissimam Dei Genitricem, est a recentioribus SS.mum B. Mariae nomen praemissum hoc modo: *Sancta Maria et omnes Sancti* etc.».

Lectio nominum sanctorum in martyrologio, procul dubio rationem habet veluti commemorationis eorumdem, ut notat Benedictus XIV (*De Canoniz. Ss.*, l. 4, c. 19, n. 15); cum vero in sacratissimo triduo mortis Domini uni Christo Crucifixo vacare oporteat, ut docet Durandus (l. 6, c. 60), neque hanc sanctorum memoriam agere convenit, ideoque eo triduo non legitur.

« Legitur autem, ait Rubrica, semper praecedenti die lectio illa, quae memorias sanctorum sequentis diei continet, praeponendo kalendas, nonas vel idus, et quantitatem lunae eiusdem sequentis diei ». Id iam habetur in antiquo ordine *Conversationis monasticae* (c. 3), ait Martène (ibid., n. 11): « eos annunciabant sanctos, quorum *festa crastina dies excipiet* »... Et caeremoniale Bursfeldiensium c. 11: « Lector legat lectionem de martyrologio, praemittens quotam mensis et lunae, iuxta computationem kalendarii, et pronuntiatur non praesens dies, sed semper crastinus » (Cf. Migne *P. L.* LXXXIX, 1607).

106. Cur autem annuncianda sint in martyrologio nomina sanctorum quorum memoria vel festum in crastino agetur, a nemine ex doctoribus notatum vidimus. Non est tamen difficile, huius rei rationem invenire: 1° quidem, quia annunciatio currentis festi esset inutilis, cum de ea iam celebratae sint primae vesperae, ac sit recitatum matutinum cum laudibus et prima: 2° autem, quia in officio capituli quod ad primam fiebat a monachis, inter alia, prior iniungebat cuique ex fratribus laborem in die explendum. Hoc aperte traditur in antiquis monachorum ritibus a Martène illustratis (tom. 4, l. 1, c. 6, nn. 5 et 7): « Conveniebant autem in capitulo, iniungendum et faciendum opus accepturi (monachi)... Post orationem, si non prius, iniungebatur unicuique, cui potissimum labori incumbere deberet ». Hanc curam, laboris iniungendi, priori, cuius praecepto ceteri sine querela obedirent, committunt ut plurimum regulae antiquae, ex gr. liber *Usuum Cistercensium*, c. 75, ad rem habet: « Prior, residens in auditorio, ordinet laborem »; « quod si impeditus fuerit, « Subprior, vel cui iniunctum fuerit, idem faciat, universa ordinans ».

Quam ob rem aliqui ex monachis curam ecclesiae, sacristiae et chori habentes, omnia parare debebant pro officiis, et missis in crastino celebrandis. Hinc necessario illis significandum erat,

quodnam festum cras esset recolendum. Haec procul dubio, ut nobis videtur, est origo huiusmodi annunciationis in martyrologio sanctorum sequentis diei. Hoc eo magis est reputandum, quia iis antiquis temporibus, neque omnes fratres conversi lecturam callebant, neque calendarium annuum quis conficiebat. In obsequium vero *Sanctorum Communionis*, suave prorsus ac convenientissimus est, legere non tantum suae, sed et aliarum ecclesiarum festa celebranda per orbem.

Necessario lectioni martyrologii praemittebatur annunciatio kalendarum etc., unicus enim erat tunc modus pro dierum designatione; annunciabatur etiam lunatio, ut facilius regula calendarii servaretur, quasi per traditionem, pro inveniendo Pascha sequentis anni. In breviario Placentino antiquo, edito Venetiis, anno 1530, ideoque ante Pium V, habetur: « Immediate pronunciatur datarium calendarii et luna sequentis diei in martyrologio ».

Ut recte pronunciet quota sit luna sequentis diei, lector videat ante lectionem illiusmet diei, numerum qui invenitur sub litera martyrologii pro illo anno assignata in *Tabella temporaria epactarum et literarum martyrologii*, in principio ipsius martyrologii proposita, et in calendario cuiusvis anni adnotata; qui vero legem cognoscere cupit pro invenienda luna cuiusque diei, videat *Explanationem eorum quae ad pronuntiationem lunae pertinent*, quae similiter in principio exstat martyrologii.

107. In lectione martyrologii *Festa, de quibus eo die fit officium, semper primo loco ponuntur*. Ratio huius legis apertissima est; cum enim lectio martyrologii ideo fiat, ut memoria renovetur de die in diem sanctorum, maxime eorum qui a nobis specialiter recoluntur, opportunissime prius annunciandum est festum quod in crastino revera apud nos celebratur. Hinc si faciendum sit officium diei octavae alicuius festi, puta Ascensionis, Corporis Christi, vel alicuius festi proprii, licet in martyrologio inter mobilia festa annuncianda desint, nihilominus huiusmodi octavae praemittendae sunt; hoc autem quia si dies octavae quae fixam sedem habent, in martyrologio inveniuntur, uti ex. gr. octavae dies Nativitatis et Epiphaniae Domini, Conceptionis Immaculatae et Nativitatis B. M. V., s. Ioannis Baptistae, Ss. Petri et Pauli et aliae, nulla prorsus ratio adest, ut mobiles omittantur. Hac super re addendum putamus, quod votum cl. Guyeti, ut adderentur in martyrologio dies octavi mobilium festorum, cito nunc adimplebitur, in nova revisione martyrologii.

Et sane, si ex S. R. C., decreto n. 2735 [4, 5], praemittenda sunt officia votiva et translata, eo magis dies octavi.

Occurrente autem vigilia aliqua in festo duplici vel semiduplici, legenda et primo loco, licet officium fiat de festo cum commemoratione vigiliae. Quamvis haec regula explicita non habeatur in martyrologii rubricis, nihilominus propriis locis invenitur, uti ex. gr. die 28 iunii pro vigilia Ss. Apostolorum Petri et Pauli, et aliis. Quapropter nescimus cur cl. Guyetus (lib. 2, c. 14, q. 2) doceat vigiliarum festorum proprierum alicuius ecclesiae annunciationem non esse faciendam; displicet nobis tantum virum habere refragantem; verum si vigiliae universalis Ecclesiae annunciantur, cur non ecclesiarum particularium? Meratus tamen (sect. V, c. 21, n. 3) nobis adstipulatur, sicut enim eadem est ratio, eadem quoque lex esse debet.

Occurrente vero festo habente vigiliam in feria II, etsi officium vigiliae et ieiunium anticipetur, non ideo anticipari debet in martyrologio, sed manere in die ibi assignata. Hanc regulam tradit Gavantus (sect. V, c. 21, n. 11), fatendum tamen est, huius regulae rationem nos omnino latere. Quoad autem festa translata, certo certius annunciandi sunt, quae perpetuo alia die assignantur; si vero agatur de temporanea translatione, ob impedimentum alicuius festi mobilis, antiquitus cum Gavanto (loc. cit., n. 9) negabatur annunciatio, hodie vero post citatum S. R. C. Decretum n. 2735, ea omnino non est praemittenda.

108. In annunciandis autem festis perpetuo translatis, haec regula sequenda est, quam ausimus ex ipso martyrologio, et lectorum attentioni subiicimus.

Si dies, a quo amovetur, fuerit dies natalitia, ut contigit ex. gr. s. Vincentio a Paulo, qui obiit die 27 septembris, eius tamen festum agitur die 19 iulii, tunc in die natalitia simul cum loco dormitionis elogium sancti suo ordine annuntiatur, et in die, qua festum peragitur, denuo ponitur, sed primo loco, ex. gr. *S. Vincentii a Paulo Confessoris, qui obdormivit in Domino quinto kalendas octobris.* Si vero dies, a qua perpetuo amovetur, non fuerit natalitia, sed vel quasi-natalitia, vel dies qua officium illius sancti tantummodo persolvitur, tunc, die in quam transfertur, ita erit annunciandum, ut legitur in martyrologio proprio pro clero romano: ex. gr. die 3 iunii *Officium s. Mariae Magdalenae de Pazzis, de qua quarto kalendas iunii.*

Quapropter unius eiusdemque sancti nomen non tantum duobus, sed et tribus diebus diversis aliquando legendum est,

nempe in die obitus, in die quasi-natalitia in qua eius *festum* institutum est, et in die in qua *officium* recitatur.

Quod bis, imo aliquando ter, pronunciari debeant sanctorum nomina in martyrologio, probatur ex plurimis exemplis ipsius martyrologii, et clarius statuitur a S. R. C. in suo percelebri Decreto in *Einsiedeln.* (d. d. 5 maii 1736, n. 2319, *alia dubia* n. 11).

Est tamen notandum, quod si de aliquo sancto fieri debeat commemoratio in festo alterius sancti, nomen sancti commemorandi secundo loco ponitur, licet ratione gradus hierarchici post alia nomina legendum esset. Ex. gr. die 23 iulii agitur festum natale s. Apollinaris cum commemoratione s. Liborii confessoris, hinc ea die in martyrologio primo loco legitur elogium s. Apollinaris, secundo s. Liborii ante martyres; sicque hodie legimus, postquam Clemens XI commemorationem fieri praecepit huius episcopi, nam in editionibus martyrologii anterioribus. ut videre est in martyrologio Baronii, illius nomen post martyres suo loco legitur.

Ratio est, quia *commemoratio*, nihil aliud est nisi officii impediti contractio, et quoniam rubrica, praecipit: *Festa, de quibus ea die, fit officium, semper primo loco ponuntur*, necessario post elogium sancti, cuius agitur totum *officium*, ponitur illius cuius fit *officium* compendiatum nempe commemoratio.

109. Aliquando evenit, quod plura quam duo elogia sanctorum, praemittenda sint in lectione martyrologii.

En casus: in dioecesi P. die 13 novembris occurrit Inventio corporis s. Antonini patroni; sed officia quoque, ex concessione pontificia, celebrantur in illa dioecesi s. Nicolai I papae, s. Homoboni et s. Stanislai Kostkae, nec non s. Didaci, quorum festa natalitia aut quasi-natalitia occurrunt eadem die 13 novembris. Lectio igitur martyrologii illius ecclesiae, in dicta die habebit: 1° loco: *Inventio s. Antonini M.*; 2° loco: *Romae s. Nicolai P.* etc.; 3° loco: *Cremonae s. Homoboni* etc. ut in ultimo loco; 4° loco: *s. Stanislai Kostkae conf.* etc.; 5° loco: *s. Diduci conf.* Hoc autem, quia licet *officia* horum sanctorum diebus aliis persolvantur, nihilominus *festa* eorum affixa remanent dictae diei 13, iuxta exempla quamplurima martyrologii et doctriuam Gavanti (sect. V, c. 21, n. 9).

Aliter dicendum est de elogio alicuius sancti, cuius *festum*, non in die natali, sed in alia die a S. Sede constitutum fuit; tunc enim in die obitus elogium sancti ponitur, expresso loco

dormitionis aut martyrii, suo ordine hierarchico, cum martyribus, seu cum confessoribus, aut cum virginibus, ut infra dicemus; in die vero pro celebratione festi assignata, elogium ponitur primo loco, omissa enunciatione nominis civitatis aut pagi, ubi mortuus est, ut paulo antea innuimus.

Dolendum itaque est, quod in ultima romana editione martyrologii, hoc mendum occurrerit, inter alia minora; die nempe 7 aprilis, quae est natalitia, sed non *festum*, s. Ioannis Baptistae de la Salle, elogium eius, *Rothomagi* etc., positum est primo loco, dum revera in fine lectionis collocandum erat, prout fert ordo hierarchicus illius diei; die vero 15 maii, in qua reapse *festum* eiusdem sancti assignatum fuit, elogium, quod primo loco ponendum erat, ultimo loco positum est, repetito etiam nomine civitatis, in qua obiit, quod est erratum.

110. Multa sanctorum nomina in romano martyrologio non sunt inscripta, quae tamen in antiquis tabulis ecclesiarum inveniuntur, et a saeculis rite honorantur iuxta decretalem (cap. Audivimus *de reliq. et vener. Ss.*), licet de vera canonizatione non constet, sed publico cultu gaudent ex consuetudine, consensu Summorum Pontificum saltem tacito approbata, ut ait Benedictus XIV (*de Canon Ss.* l. 4, c. 18, n. 11). Huiusmodi sanctorum nomina in martyrologio non sunt quidem inserenda, debent tamen in appendice propria cuiusque Ecclesiae, apud quam cultu fruuntur, suis diebus incribi, licet de eis non agatur officium. Sic mandat Gregorius XIII in citata constitutione: « Si quos alios sanctos habuerint (*Episcopi*) in suis ecclesiis celebrari solitos, eos in hunc librum (nempe *martyrologium*) ne inserant, sed separatim descriptos habeant, eumque illis locum atque ordinem tribuant, qui regulis hic descriptis traditur ». Eadem iubet rubrica martyrologii. Hinc in martyrologio edito Romae anno 1845, in fine habentur appendices pro religiosis Ordinibus, in quibus plurima nomina habentur, quae in corpore martyrologii desiderantur. Item omnes dioceses et monasteria proprias appendices ad martyrologium habent.

Huiusmodi appendices, si immutatae puraeque retentae sint a tempore s. Pii V usque ad nos, a S. R. C. non reprobantur, ipsa enim suo decreto n. 876, uti legitur in indice (vol. V, pag. 276), declaravit: non posse episcopum designare pro alicuius novae Ecclesiae titulari, sanctum, qui non inveniatur; neque in martyrologio romano, neque in supplemento dioecesis. Igitur si in appendice ad martyrologium nomen sancti cuiusdam

invenitur, licet solemni ritu recentiori canonizatum non sit, dummodo uti sanctus antiquitus, ante annum scilicet 1559, uti decrevit Alexander VII (S. R. C. 27 sept. 1659, n. 1180), sit habitus, non tantum officium recitari potest, sed et ecclesia nova illi dicari. Itaque si festum de eo agitur, rite quoque elogium eius praeponendum erit in lectione martirologii.

Iuxta S. R. C. decreta nn. 461, 488, 555 et 1334, officium duplex celebrari potest in ecclesia illius sancti, cuius habetur corpus vel insignis reliquia, scilicet: caput, brachium, crus, aut illa pars corporis in qua passus sit martyr. Hodie vero, post aliud decretum d. d. 27 iunii 1899, n. 4041, habentur ut insignes reliquiae, antibrachium, vel humerus et pro analogia femur, et tibia, nec non cor, lingua, manus si haec ex miraculo intactae conserventur. Quoniam tamen, ut officium celebrari queat, oportet ut reliquia insignis non solum sit *integra* et *approbata*, quoad identitatem, sed etiam sit *alicuius e sanctis in martyrologio descriptis*, si ego in mea ecclesia huiusmodi reliquiam habeam alicuius sancti, cuius nomen desit quidem in romano martyrologio, inscriptum tamen sit in appendice dioecesana, procul dubio de eo officium recitare potero.

111. Sciendum porro est, quod ordo hierarchicus in martyrologio idem in omnibus non est qui in breviario et in litaniis sanctorum observatur; nam sanctae virgines, quae et martyres sunt, ponuntur ante confessores. Ratio est, ut nobis videtur, quia in primaeve Ecclesia de martyribus tantum memoria festiva agebatur, et proinde martyrologia primitiva, martyrum nomina solummodo exhibebant, ac postea sensim sine sensu confessores quoque inscripti sunt in fine lectionis quotidianae martyrologii, et virgines non martyres.

Unde lex pro inscribendis nominibus sanctorum in martyrologio, quoad ordinem hierarchicum, sequens est: 1. Festa Domini; 2. B. Mariae V.; 3. Angelorum; 4. Patriarcharum et prophetarum; 5. Apostolorum, evangelistarum ac discipulorum Domini; 6. Martyrum virorum (ut plurimum martyres pontifices praeponuntur non pontificibus); 7. Martyribus mulierum, virginum et non virginum (nisi cum allis viris martyrium subierint, quia tunc simul cum ipsis memorantur); 8. Pontificum confessorum; 9. Confessorum non pontificum; 10. Virginum; 11. Viduarum. Notandum quoque est, quod inter sanctos eiusdem ordinis, ii qui qui Romae obierunt praeferuntur aliis; romanum enim dicitur martyrologium, et est.

Item, festa *secundaria* Domini, B. Mariae V., Angelorum et Apostolorum, inscribuntur semper ultimo loco, nisi de iis fieri debeat officio. Ex. gr. die 9 maii, habentur Translationes s. Andrea ap., s. Lucae ev., s. Hieronymi presb. et s. Nicolai ep.; die 24 februarii, Inventio capitis s. Ioan. Baptistae; die 3 septembris, Ordinatio s. Gregorii papae; die 7 octobris, Commemoratio b. Mariae de victoria; et die 10 decembris Translatio almae Domus Lauretanae, etc. Huiusmodi festa, licet ratione dignitatis personalis, ante alia recensenda essent, nihilominus cum *secundaria* sint, ultimo loco inscripta semper inveniuntur. Quae lex martyrologii, si prae oculis fuisset scriptoribus, quando exagitata est quaestio circa primaria et secundaria festa, procul dubio citius et facilius, hoc argumento, soluta esset.

Similiter, cum die 13 maii in martyrologio habeatur primo loco *Dedicatio Ecclesiae S. Mariae ad Martyres*, ante Ss. Martyres et confessores, licet de eadem dedicatione officium non fiat, nisi in ipsa ecclesia, dicendum est, inter festa Domini, iuxta leges martyrologii, dedicationem ecclesiae esse recensendam, ut tandem declaravit S.R. C. suo decreto d. d. 4 februarii 1896, n. 3881. Imo, licet agatur de dedicatione ecclesiae alienae, nihilominus primo loco, sicut cetera festa *primaria*, inscribitur; quia dedicatio cuiusvis ecclesiae propriae vel alienae, revera primarium festum est ex natura sua, non enim unius eiusdemque ecclesiae duo habentur festa *Dedicationis*, primarium unum, secundarium alterum. Quod si S. R. C. praedicto decreto declaravit festum dedicationis ecclesiae non propriae, uti secundarium habendum esse, nihilominus vere secundarium non dixit, sed ad modum potius *secundarii festi*, utpote *minus proprii*. Et sane, iuxta decretum generale n. 3810, § III, festa dedicationum basilicarum Urbis inter *primaria* iure recensentur.

112. Sanctorum nomina, tam in martyrologio romano, quam in appendice particularis Ecclesiae, seu dioecesis aut religionis, inscribuntur hoc modo: ea ipsa die qua sanctus obiit, post nomen loci, ubi ex hac vita migravit, ponitur nomen sancti per casum genitivum, subintelligendo vel *natalis S. N.*; vel *festum S. N.* iuxta inferius dicenda, et adiicitur brevissimum elogium. Ex. gr. *Romae via Appia natalis s. Antheri papae, qui sub Iulio Maximino passus est, et in coemeterio Callixti sepultus* (die 3 ianuarii). — *Placentiae s. Sabini episcopi miraculis clari* (die 11 decembris). — *Cremonae in Insubria s. Antonii Mariae Zaccaria confessoris, clericorum regularium s. Pauli*

institutoris, quem virtutibus et miraculis insignem Leo XIII inter sanctos adscripsit; eius corpus Mediolani in ecclesia s. Barnabae colitur (1).

(1) Circa locum obdormitionis placet hic referre quod, more suo, perbelle notat Guyetus (l. 2, c. 15, q. 2): « Positus habetur in calce martyrologii Romani index topographicus provinciarum, urbium, oppidorum ac locorum omnium in martyrologio memoratorum, cuius adamussim ceteras alias provincias, urbes, oppida ac loca, quorum occurrunt sancti proprii annunciandi, exprimere par est. Ipsa vero loca sic expressa, si eadem appellanda sunt, haudquaquam immutanda. En tibi Syntaxeos huius regulae:

« Per gignendi casum exprimuntur, quorum nominativus desinit in *a*, vel *us*, vel *um*; v. g. *Antiochiae* et *Papiae*, *Damasci* et *Tyri*, *Mediolani* et *Ambiani*; per dativum singularem quorum nominativus est *is*, v. g. *Bibli*, *Constantinopoli*; per pluralem vero quorum nominativus pluralis est in *ae*, vel *es*, vel *i*, v. g. *Hierosolymis Rhemis*, *Turonis*; per accusativum cum praepositione *apud* nonnulla tam singularia quam pluralia, v g. *Apud Rhegium*, *Apud Belgas*, *Apud Indos*, *Apud Ostia Tiberina*. Per ablativum denique quorum nominativus est *o*, vel *e*, v. g. *Carthagine*, *Avenione*, *Barcinone*. Quando vel plures sunt urbes eiusdem nominis, vel locus, quisquis sit, non est valde notus, nomini proprio additur nomen regionis seu provinciae, v. g. *Antiochiae in Syria*, *Antiochiae Pisidiae*, *Caesareae in Cappadocia* - *in Mauritania* - *in Palaestina*, *Valentiae in Gallia* - *in Hispania*. Ipsa vero nomina provinciarum si sola efferuntur, ut efferri par est, cum proprius locus ignoratur aut dubius est, semper in ablativo cum praepositione *in* efferuntur: *In Gallia*, *in Aegypto*, *in Anglia*.

« Nonnumquam proprio nomini loci adiungitur appellativum, puta civitas, castrum, oppidum, insula, mons, portus, diocesis, monasterium, pagus etc. et utrumque per ablativum exprimitur cum praepositione *in*, v. g. *In urbe Astensi*, *in civitate Cosalensi*, *in castro Divione*, *in oppido Milleduno*, *in Aegina insula*, *in monte Gargano*, *in monasterio Lerinensi*, *in coenobio Cluniacensi*, *in territorio Vivariensi*, *in pago Vastinensi* etc. Quae duae postremae territorii et pagi appellationes tum maxime adhiberi debent, cum locus obscurus est ac nullius fere nominis.

« Est et alius index in calce martyrologii sanctorum, quorum locus in martyrologio non indicatur, quod vix in sanctis propriis potest accidere; semper enim nominari potest is locus, saltem in quo celebris habetur eorum memoria ».

Haec Guyetus. Dicendum autem est, quod, iuxta hodiernos grammaticos, nomina civitatum, quibus locus obdormitionis designatur, si sint singularia primae vel secundae declinationis, exprimuntur per casum genitivum; si vero sint pluralia, vel tertiae declinationis, per casum ablativum.

Elogium, quod breve esse debet, ut ait Benedictus XIV (*de Canoniz. Ss.* l. 4, c. 18, n. 4), adprobandum est a S. R. C. etiam pro appendicibus particularium ecclesiarum. Decreto suo generali d. d. 16 iulii 1803, S. R. C. edixerat quod in martyrologio Romano die 24 ianuarii adiicendum esset elogium s. Exuperantii cingulani episcopi; attamen nonnisi in ultima editione anni 1902, huiusmodi inscriptio fuit inducta.

Licet S. R. C. suo generali decreto d. d. 31 augusti 1680, n. 1651, edixerit: *ut servetur in posterum decretum de non apponendis in martyrologio Romano nisi sanctis canonizatis*, nihilominus nonnulli beati inveniuntur in eo postea inducti, *ex specialibus circumstantiis*, ut ait idem Benedictus XIV (loc. cit. n. 9), annuentibus romanis pontificibus. In appendice vero ecclesiarum particularium, procul dubio inscribenda sunt nomina beatorum de quibus officium celebrandum concessit Apostolica Sedes. Hoc evincitur non tantum ex S. R. C., decreto d. d. 8 augusti 1835, n. 2735, pro annunciandis officiis votivis, sed et ex appendicibus ordinum Regularium ab eadem S. R. C. approbitis (1).

(1) In martyrologio Gregorii XIII. duo tantummodo inveniuntur beati, scilicet b. Ioannes Columbini die 31 iulii, et b. Rochus die 16 augusti. Ceteri beati inducti postea fuerunt a romanis Pontificibus, incipiente Clemente VIII, qui induxit nomen b Catherinae de Bononia (postea sanctae) die 9 martii et b Ambrosii Senensis die 20 martii. Quoad vero inscriptionem beati Rochi confessoris, dicendum est vocem *beati* non indicare Rochum ipsum inter beatos tantum esse recensendum, quia in breviarii et missalis appendicibus nomine *sancti* indicatur; vox igitur *beati*, in casu, eundem sensum habet atque illa, qua utimur in plurium sanctorum orationibus ex. gr. *Deus qui nos beati Aniceti martyris tui atque pontificiis* etc.

CAPITULUM XXII.

DE SINGULIS HORIS CANONICIS AC PRIMUM DE MATUTINO ET LAUDIBUS

113. *Matutinum*, est pars prima divini officii, quae antiquitus dicebatur *Officium nocturnum*. De eo praeclarum habemus testimonium apud Tertullianum (*Ad uxorem*, II, 4), ubi loquitur de vigiliis, quae *nocturnae convocationes* dicebantur; et iuxta cl. Duchesne (*Orig. du cult. chrét.*, p. 220), durante cantu nocturni officii, in vigilia feriae VI, s. Athanasius captus fuit ab arianis in ecclesia Theonae, in nocte diei 8 in 9 Februarii.

In concilio Turonensi secundo (567) iam usum invenimus huiusmodi vocis *matutinum*, in sensu hodierno; in canone enim 18 (Harduinus, *Collect. conc.* II, col. 361) legitur: « in ecclesiis diebus aestivis ad matutinum sex antiphonae binis psalmis explicentur ».

In constitutionibus apostolicis (Migne, *P. G.* I, col. 742) iubetur episcopo ut populum singulis diebus mane et vespere ad aedes dominicas invitet.

In libro cui titulus *Peregrinatio Sylviae aquitanae* a Gamurrini invento atque edito an. 1887 (ed. 2ª, Romae 1888), qui tamen a Mario Férotin verius tribuitur cuidam virgini hispanicae nomine Etheria saec. IV (cf. Bäumer, I, p. 151 nota Biron), legitur: « Singulis diebus ante pullorum cantum, aperiuntur omnia ostia Anastasis, et descendunt omnes monazontes et parthenae... et usque in lucem dicuntur hymni et psalmi ».

Item in *Itinerario Antonini placentini*, qui saeculo VI totam peragravit Syriam, et iter suum descripsit, cum esset iuxta Iordanem, haec habentur (Migne, *P. L.* LXXII, p. 903, n. 11): *Et vigilia Theophaniae magnus ibi fit conventus populorum, et quarta aut quinta vice gallo canente fiunt vigiliae a populo infinito. Completis matutinis primo diluculo, surgentes procedunt ad sacra mysteria celebranda.*

Sed et s. Ioannes Chrysostomus (*hom.* 26, Migne, *P. L.* I, p. 706): « non ideo, inquit, facta est nox ut per totam dormiamus et otiosi simus; testantur hoc opifices et nautae negotiatores;

Ecclesia Dei mediis surgit noctibus ». S. Hieronymus, in vita s. Paulae, rationem referens vivendi monialium eius, scribit: « mane, hora tertia, sexta, nona, vespere, noctis medio, per ordinem psalterium canebant ».

Huiusmodi testimoniis adiici possunt s. Cyprianus (*de Orat. dom.* 35), s. Epiphanius (*Exp. Fidei* 23), s. Ambrosius (in *Act.* cap. 18; s. Augustinus (*Conf.* V. 9). Cf. Magani, *L'antica liturg. rom.* II, p. 10.

Bäumer (I, p. 186) notat quod monachi super omnia, preces nocturnas praediligebant, eo quod in παννυχια primitivae Ecclesiae typum habebant huiusmodi vigiliarum in media nocte. Usus quotidianus psallendi nocturno tempore, universaliter invaluit etiam apud clericos.

Martène autem (*De ant. rit.* l. 4, c. 7, n. 5) notat, quomodo ab hac antiqua institutione deflexerint, seculo VIII, canonici, qui « iam digesti ad vigilias surgebant » nempe summo mane.

Hinc Amalarius (*De eccl. off.* l. 4, c. 9) agens de versibus in officiis vigiliarum, ait: « Primus versus dicit: *Memor fui nocte nominis tui*... Secundus versus: *Media nocte surgebam*, iste ostendit qua hora noctis oporteat surgere; sed quoniam negligentes sumus de tempore quo soliti erant surgere patres nostri, non audemus mentiri, mutamus versum istum et dicimus alterum: *Quoniam tu illuminas lucernam meam* ».

Quod tamen non ubicumque factum fuisse intelligendum est, nam praeter quam quod multi monachi et religiosi hodie quoque surgunt media nocte ad psallendum, uti franciscales in heremo montis Alverniae, monachi Carthusiani, Camaldulenses heremitae, nec non minores capulati, in coenobiis regularibus, et alii: ita canonici Antissiodorensis ecclesiae, seculo XIII, teste Martène (ibid.), ac florentini, saeculo XV, teste Raynaldo (in *Vita s. Antonini*), hanc antiquam consuetudinem adhuc observabant.

Cum autem post officium nocturnum *laudes matutinales* Deo canerentur ad ortum solis, et cum nocturnale ipsum, ut dictum est, coeptum sit celebrari, *a primo gallo usque mane* ita totum officium nocturnum vocatum fuit *matutinum*.

Etenim hae laudes matutinales, quae hodie *Laudes*, ullo sine addito, dicuntur, circa auroram celebrabantur; ideoque quia aurora latine *matuta* dicitur, laudes quoque ea hora decantatae *matutinales* vocatae sunt, et hodie totum nocturnum officium,

appellatur *matutinum*, quia de mane communiter nunc totum celebratur.

114. Ante officium nocturnum, ut notat Martène (ib., vol. 4, l. 1, c. 2), aliquas preces privatim recitabant monachi, inde forsan mos *secreto* dicendi *Pater* et *Credo*. Circa salutationem angelicam, multo recentius inductam fuisse dicendum est; forsan ex eo quod ante vigilias noctis antiquitus parvum officium b. Mariae quotidie recitabatur: « quod Oratio dominica, salutatio angelica, Symbolum Apostolorum praemittantur, recentioris est instituti, ait Martène (ib. 1, 4, 32), cuius primam mentionem in libro usuum Cistercensium tantum videre mihi licuit. In eo nimirum praescribitur, c. 18, ut dimissio Officii signo faciant solitam orationem super misericordias, id est *Pater noster* et *Credo in Deum*, antequam versus *Deus in adiutorium* decantent ». Ceterum, ait Durandus (l. 5, c. 3, n. 8), ante officium ecclesiam ingredientes ad altare inclinamus... dicentes ter *Pater noster* ». Itaque huius secretae orationis, quam singuli monachi faciebant ingredientes ad chorum, vestigium mansit in nostro officio divino, dicendo *Pater noster* etc., omnia secreto.

In antiquo breviario placentino, legitur haec rubrica: *Ad unumquodque officium matutinale sacerdos inchoaturus praemittat, voce quidem submissa, sed clara et intelligibili*, Pater noster. *Et eo secrete per ceteros finito*, etc.

Deinde *Hebdomadarius* incipit officium. Hebdomadarius vocabatur antiquitus in monasteriis monachus ille, qui suas vices in ministeriis per *hebdomadam* exsequebatur; in regula fratrum (c. 12), citata a Du Cange, legitur: « Debet is, qui praeest, pater disponere hebdomadarios, et ordinem officii, quo sibi invicem succedant, ad ministrandum ».

Belhetus (*Div. off. ration.* c. 24) habet: « Pulsatis campanis, hebdomadarius, *ita eum appellamus, cuius est tota hebdomada in choro administrare officium*, alta voce incipit: *Domine, labia mea aperies*, idest *aperi*, ut sit enallage temporis ». Martène (III, c. 9, n. 4) fusiori calamo de huiusmodi officio agens, dicit: « Hebdomadarius missae ita institutus maiorem quotidie missam decantabat, omnes divini officii canonicas horas incipiebat, benedictiones ad lectiones dabat, collectas seu orationes in fine cuiusque horae pronunciabat, neque de claustro per totam hebdomadam egrediebatur ».

Quae antiqua et generalis consuetudo, ubique hodie quoque servatur. Hinc pluries S. R. C., de muneribus et iuribus heb-

domadarii in suis Decretis egit; ex. gr. Decretis nn. 283, 1691, 1653, 1715, statuit: « Hebdomadarius paratus sacris paramentis praecedit omnes, etiam Dignitates. Nn. 973, 2960: Ubi hebdomadarius sedet, vel ubi appensa est tabella chori, est pars dignior; et n. 1118: Hebdomadario, si fuerit canonicus, debetur dignior locus a parte tabellae chori; praeposito autem dignior locus e conspectu Hebdomadarii vel immediate post hebdomadarium canonicum; at si hebdomadarius sit canonico inferior et sacris indutus debetur ei locus apud altare a parte cornu Epistolae; si vero non sit sacris indutus, dignior locus supra reliquos sui ordinis; ac tandem n. 3110[23]: Quando hebdomadarius non est canonicus, sed inferior de clero, primae Dignitati competit in choro intimare *Pater noster*, et indicere nutu ut incipiatur *Domine, labia mea*, vel *Deus in adiutorium* ».

Hebdomadarius dicit: *Domine labia mea* etc. pollice signando sibi os signo crucis. S. Benedictus, ait Martène (IV, l. 1, c. 2, n. 32): « nocturnas vigilias a celeberrimo illo apud veteres monachos versiculo *Deus, in adiutorium* auspicatur ». Postea autem abbas officium incipiebat, ut notat Menardus (*Reg.* c. 23, 3), qui dicit: « Oportet in nocturnis ab abbate dici versum aperitionis, idest ℣ *Domine, labia mea aperies*. Progressu autem temporis, uni ex monasterii sacerdotibus id muneris demandatum est, qui scilicet per totam hebdomadam officium inchoaret ».

De signo crucis, quo pollice os signari debet, parum invenimus apud antiquos. Apud Martène (IV, l. 1, c. 2, n. 36) tantummodo legimus: « Subiungit s. Benedictus versum *Domine, labia mea aperies*, ter dicendum, a quo magister, ut diximus, et clerici nocturnum officium incipiunt; quem dum pronunciamus, ori crucis signum efformamus ». Durandus de eo tacet, Belhetus autem innuit suboscure (*Div. off.* c. 24) ubi ait: « Hebdomadarius incipit: *Domine, labia mea aperies*... At non et antea apertum os habuit quum orabat? Habuit quidem, sed is est loquendi modus. Non enim dicitur apertum os habuisse quamdiu submissa voce orabat, sed tunc aperuisse quando illius vox aperte incoepit audiri;... vel etiam tangit religionem sacerdotum primitivae ecclesiae, qui quum irent cubitum, signaculo crucis se muniebant, vocem comprimentes ad tempus usque matutinum, et tunc demum vocibus in laudem Dei prorumpebant ». Cum itaque hoc loco Belhetus de signo crucis agat, quo se muniebant antiqui, quum cubitum irent, ut usque mane silentium servarent, et nihil loquatur de hoc signo crucis in ore faciendo

ad ℣ *Domine, labia mea,* dicendum forsan est, usum eius non ubique fuisse receptum; eo magis, quia idem Belhetus, paulo inferius, de ℣ *Deus in adiutorium* agens, dicit, quod « etiam nunc moris est ut tunc crucis fiat signaculum ». Certo in nonnullis breviariis, ante s. Pium V, uti in citato placentino, nil dicitur de eo. Nunc vero hoc signum ex praecepto Rubricae faciendum est, licet quamplurimi, etiam in choro, illud parvipendentes omittant.

Dicitur postea *Deus, in adiutorium* etc., manu extensa signando se signo crucis; a fronte ad pectus, et a sinistro humero usque ad dexterum (de quo secundo crucis signo omnes agunt auctores, ideoque eius usum magis acceptum fuisse dicendum est). Martène (IV, l. 1, c. 2, n. 35) ubi agit quo ritu veteres monachi nocturnas vigilias celebrarent, habet: « dicitur autem versus *Deus, in adiutorium,* verso ad altare vultu, quem dum incipit abbas aut sacerdos hebdomadarius, omnes crucis signum faciunt ».

115. Deinde dicitur invitatorium conveniens officio; in principio officii nocturni, iam iuxta regulam s. Benedicti (c. 9), dicebatur *psalmus nonagesimus quartus cum antiphona*; haec postea *invitatorium* vocata est, ait Amalarius (lib. 4, c. 9), quia convocat omnes fratres undique degentes, ut excitentur et veniant ad confitendum ac laudandum Dominum. Ipse psalmus XCIV, iuxta Du Cange (*Glossarium,* voce *Psalmus*), *invitatorius* appellatur in ordine romano et apud Alcuinum; dicitur enim extra ordinem psalterii, in principio officii nocturni, simul et alternatim cum versu *invitatorii.*

Hic versus antiquitus vocabatur etiam *responsorium hortationis,* ut habet Magister anonymus, ille scilicet monachus qui primus omnium commentarium edidit regulae s. Benedicti (Migne, *P. L.* LXXXVIII, p. 1066). Hunc abbas decantabat, ait Martène (t. IV, c. 2, n. 37), ut per illud ad laudes Domini oves suscitentur atque invitentur.

Invitatorium ergo, quod in breviario habetur, illa est antiphona brevis quae praemittitur psalmo XCIV, et cum versiculis eius intermiscetur, quae verbis invitationis constat, ex. gr. *Adoremus Dominum, qui fecit nos*;.... aut *Regem venturum Dominum,...* aut *Christus natus est nobis, venite adoremus.*

Semper dicitur (excepto die Epiphaniae et in triduo mortis Domini) in quocumque officio, etiam defunctorum. Dicitur vero cum Ps. *Venite, exultemus,* qui est, ut omnes norunt, reipsa quaedam invitatio. Notat Meratus (hoc loco n. 1), quod Marcus

Gazaeus diaconus qui anno Domini 430 vivebat, processionem describit Christi fidelium Ps. *Venite, adoremus* concinentium, et in versiculorum psalmi intercisione, dicentium *Alleluia*; quae modulatio quamdam invitatorii speciem habet. Invitatorium autem, simul dicitur cum psalmo *Venite adoremus*, ordine in principio psalterii descripto, nempe verba ipsius invitatorii in duas partes dividuntur per asterisci signum * ex. gr. *Adoremus Dominum, * qui fecit nos.* Integre dicitur ante psalmum ab hebdomadario, et integre a choro repetitur. Hebdomadarius seu cantor dicit primos duos versus psalmi, et chorus repetit integrum invitatorium. Post vero III et IV versum chorus dicit secundam partem invitatorii, nempe verba post * ex. gr. *qui fecit nos.* Dictis autem V et VI versibus psalmi, a choro integrum adhuc repetitur invitatorium; et recitatis versibus VII ac VIII, iterum chorus dicit secundam partem invitatorii, quod integrum repetit post VI et X versus in fine psalmi. Dicta tamen doxologia *Gloria Patri*, ab hebdomadario (cantore), chorus tertio dicit secundam partem invitatorii; quam ultimo repetit, in fine respondendo hebdomadario, qui primam reassumit invitatorii partem. Hoc ordine semper dicitur invitatorium quotidie.

Porro: huiusmodi ratio et ordo dicendi invitatorium, non est, ut passim scriptores docuerunt, residuum antiqui modi cantandi antiphonas; sed est vestigium antiqui modi quo decantabantur *psalmi responsorii.* Hinc est quod Magister anonymus, quem supra citavimus, qui vixit seculo VIII, invitatorium nominat *responsorium hortationis.* Reapse unus de choro versiculum canit, seu invitatorium, qui non est prorsus vera antiphona, bene quidem quoddam *acrostichion*, quod totus chorus repetit; deinde psalmus XCIV non a choro decantatur, sed ab eo solo qui invitatorium praececinit, ut supra diximus. In qua ratione cantandi invitatorium interpolatum cum psalmo, antiquum psalmodiandi modum invenimus.

Cur autem invitatorium vicissim integre et partialiter decantetur, non bene eruitur ab antiquis. Durandus (l. 5, c. 3, n. 12) hanc refert rationem: « Invitatorium ipsum ad aliquos versus illius psalmi *Venite*, repetitur integre, et ad alios imperfecte, quia, licet orationes per ipsum invitatorium ad laudes et gloriam, Dei invitentur, aliqui tamen perfecte, et aliqui imperfecte hanc invitationem recipiunt ». Quibus haec Durandi ratio nimis exquisita videtur, saltem apparebit huiusmodi invitatorii cantum satis esse antiquum.

Versiculus invitatorius, variatur sicut variantur antiphonae in diversis officiis sive de tempore, sive de festis aliquibus, sive de communi sanctorum.

Hodie in breviario habentur quadraginta et unum invitatoria; nempe: septem ab ipso psalmo XCIV deprompta pro Dominicis per annum, et pro feriis singulis; Duo in Adventu, *Regem venturum* et *Prope est iam Dominus*; unum pro tribus Dominicis Septuagesimae, Sexagesimae et Quinquagesimae, et aliud pro Dominicis Quadragesimae, unumque pro tempore Paschali, et sunt 12.

Proprium habetur in singulis officiis Domini, nempe in vigilia et in Nativitate, in octava Epiphaniae, in festo SS. Nominis, in Ascensione, in Pentecoste, in festis SS. Trinitatis, SS. Corporis Christi, sacr. Cordis Iesu, Pretiosissimi Sanguinis, ac Transfigurationis, et Dedicationis, Assumptionis, ac duo pro duobus festis s. Crucis, et sunt 14.

Pro officiis B. Virginis habetur invitatorium proprium, in festis Purificationis, Assumptionis, ac duo pro festis VII Dolorum. Pro festis vero Immaculatae Conceptionis, Visitationis, Nativitatis et SS. Rosarii unum habetur commune, mutato festivitatis nomine; in aliis tandem festis Deiparae, commune item aliud exstat invitatorium, nempe: *S. Maria, Dei genitrix virgo, * intercede pro nobis*; et aliud denique in officio eis parvo: *Ave Maria gratia plena, * Dominus tecum*, quod sumitur etiam in festo Annunciationis; et sunt 7.

In festis autem sanctorum, proprium habent invitatorium, officia s. Stephani protom., utriusque Cathedrae s. Petri, s. Ioseph, s. Laurentii, et omnium Sanctorum. Proprium item videtur invitatorium in festis Conversionis s. Pauli, s. Mariae Magdalenae, s. Martini Episcopi et Patrocinii s. Ioseph, sed ut notat Guyetus (l. 3, c. 4, q. 6) est commune, et idem ac invitatorium sanctarum Mulierum, nempe *Laudemus Deum nostrum in confessione* S. N...., mutato nomine in: *conversione* vel in *veneratione*; et sunt 6.

In festo s. Ioannis Baptistae, s. Michaelis Archangeli et Ss. Angelorum, habetur invitatorium de communi sanctorum, scilicet: *Regem Praecursoris*, vel *Archangelorum*, vel *Angelorum*, sicut habemus in communibus apostolorum, martyrum, confessorum ac virginum: cui invitatorio si addas illud quod habetur in officio defunctorum, sunt ultima duo breviarii; in toto ergo sunt n. 41, exclusis invitatoriis in officiis pro aliquibus locis.

116. Invitatorium non dicitur in die Epiphaniae. Gavantus (hoc loco) ex quibusdam mysticis scriptoribus non unam exhibet rationem, quia in festo Epiphaniae omittitur invitatorium; vera tamen et unica ratio illa est, quam ultimo loco ponit: « quia psalmus *Venite* dicitur eo die in nocturnis, neque bis in eodem officio dici psalmus solet », intellige in eadem hora diei, quia ex. gr. Ps. *Cum invocarem* in nonnullis officiis dicitur ad matutinum, licet et dicatur quotidie in completorio.

Haec autem vera et unica ratio est, cur in die Epiphaniae invitatorium omittitur, ut admittit et Meratus, qui addit: « Benedectini, qui ad tertium nocturnum cantica habent, sicut et Carthusiani, qui psalmos Ephiphaniae proprios recitant, inter quos psalmus *Venite* non habetur, eum ab officii initio cum invitatorio in Epiphaniae festo decantant ».

Gavantus ex Durando (l. 6, c. 72), scribit: « Non dicitur (invitatorium) in triduo ante Pascha ne imitemur, sed potius per silentium detestemur, pestiferum Iudaeorum consilium, et conventum eorum, contra Christum. Praeterea Apostoli tunc dispersi erant, qui alios ad Dominum invitare consueverant ». Cl. De Herdt (III, n. 29) e contra scribit: « In hoc officio (tridui maioris hebdomadae) idem fere servatur ordo, ac in officio defunctorum. Omittuntur *Deus, in adiutorium*, invitatorium hymni, *Gloria Patri*, non tam mysterii causa, quam ratione servandi antiquam divini officii formam, cuius simplicitas maxime convenit passioni et morti Christi celebrandae ».

Assentimur De Herdt, omissionem invitatorii in hoc triduo *non esse ob causam mysterii*, ut pie docent nonnulli, suffragante et ipso Gavanto. Item concedimus, omissionem hymnorum et doxologiae *Gloria Patri*, signum esse tristitiae, quae convenit summopere in hoc sacratissimo triduo, et proinde omittuntur etiam in officio defunctorum; quoad vero invitatorium, quod pro defunctis non omittitur, nescimus quomodo censeri possit signum laetitiae, vel tristitiae.

Igitur aliunde ratio omissionis invitatorii, in triduo maioris hebdomadae, exquirenda est. Sunt qui arbitrantur invitatorium, in hoc triduo non dici, quia matutinum pridie post completorium decantatur, ac proinde vanum esset invitare ad surgendum et confitendum Dominum, illos, qui iam in choro existunt; attamen nec ista ratio licet speciosa aliquid valet, nam teste Martène (vol. III, l. 4, c. 22, n. 1) ex Alcuino, et ex ordine romano antiquissimo a Mabillonio edito, etiam in nocturno officio huius

tridui sacratissimi media nocte surgebant monachi. Qua de re notat ibidem ipse Martène: « Nunc vero refrigescente caritate et languente in dies fidelium devotione, universa pene omnino, praesertim qui ritus romanos sectantur, obtinuit consuetudo, ut pridie, clara adhuc die, persolvantur vigiliae ».

Quapropter, si verum esset quod innuit De Herdt, omitti nimirum in hoc triduo invitatorium *ratione servandi antiquam divini offici formam*, haec ratio aliquid certe valeret; nescimus tamen an probari possit, primitivam officiorum formam, invitatorio caruisse, quod non dicunt rerum liturgicarum scriptores.

117. Regula generalis est, quod invitatorium in officio defunctorum non omittatur, quandocumque tres dicantur nocturni, sub quolibet ritu recitetur duplici vel semiduplici; quae regula firmata est a S. R. C. suo decreto n. 2344 ad 2 (9 mai 1789). Igitur cum in die Commemorationis omnium defunctorum tres dicantur ex praecepto nocturni, cumque in die obitus tres item nocturni ex rubrica Ritualis Romani (tit. 6, c. 3, n. 11) dicendi essent, in hisce officiis invitatorium nunquam omittitur. Notandum tamen, quod citata Ritualis rubrica docet: « Si vero ob rationabilem causam, videlicet ob temporis angustiam, vel aliorum funerum instantem necessitatem, praedictum officium mortuorum cum tribus nocturnis et laudibus dici non potest; deposito in ecclesia feretro cum corpore, dicatur saltem primum nocturnum cum laudibus, vel saltem sine laudibus, maxime ubi eiusmodi viget consuetudo, incipiendo ab invitatorio: *Regem cui omnia vivunt, * Venite adoremus* ».

In die ergo depositionis alicuius defuncti, ideoque et in die obitus, licet ob aliquam causam cadaver non esset praesens, dici potest unum tantum nocturnum, et nihilominus invitatorium non est omittendum.

Huiusmodi exceptio valet tantummodo pro die depositionis, non vero pro diebus VII, VIII, XXX et anniversaria, vel in aliis officiis mortuorum solemniter decantatis, in quibus, etsi duplicentur antiphonae, quia ritu duplici persolvuntur, attamen invitatorium praemitti non potest, nisi tria dicantur nocturna, quod S. R. C. declaravit suo decreto n. 3885 (d. d. 21 februarii 1896). Ad quaesitum enim 5: « An servari possit immemorabilis consuetudo, qua in officiis defunctorum, quae perguntur infra annum cum aliqua solemnitate, praesertim diebus obitus et anniversariis, semper decantetur primum nocturnum non omisso cantu invitatorii? », respondit: *Serventur rubricae ritualis et*

breviarii romani. Atqui, ex collatis simul breviarii et ritualis rubricis probe evincitur, invitatorium semper esse omittendum, cum dicitur unum nocturnum, excepto tantum die depositionis alicuius defuncti, in quo licet; ergo in diebus III, VII, XXX, et anniversario, si unum dicatur nocturnum, invitatorium dici nefas est (1).

Quod clarius evincitur ex alio S. R. C. decreto n. 2578 ad 17 (d. d. 31 maii 1817), in quo declaratur expresse: posse quidem servari consuetudinem recitandi unum dumtaxat nocturnum (in anniversario) sed sine invitatorio.

118. Dicto psalmo et repetito invitatorio, dicitur hymnus, qui officio de tempore, vel de sancto, convenit. « Postea in duplicibus et semiduplicibus dicuntur novem psalmi (sed in dominicis duodecim, ut in psalterio) cum suis antiphonis et versibus, quae tempori, vel festo conveniunt, et totidem lectiones cum octo responsoriis (aliquando cum novem quando non dicitur *Te Deum*) ut suis locis ponitur ». Novem psalmi, tres in unoquoque ex tribus nocturnis, dicuntur in matutino, iuxta morem romanum; nam, iuxta s. Benedicti regulam, monachi adhuc dicunt duodecim psalmos et tria cantica. Diximus iuxta morem romanum, quia dispositio psalmorum, prout nunc in breviario a s. Pio V edito, eadem ipsa est quae ordinata fuit in breviario romanae curiae ab Innocentio III. Ceterum iam Amalarius, qui discipulus fuit Alcuini, et anno 827 Romae degit (*De eccl. off.*, l. 4, c. 35; Migne *P. L.* CV, p. 958), notat quod in festis dicebantur novem psalmi, et decem et octo in Dominicis. In Dominicis enim per annum, exceptis Paschatis et Pentecostes, nec non illis quae infra octavas festorum Domini obveniunt, in quibus tres tantum, aut novem dicuntur psalmi, psalterium habet decem et octo psalmos, nempe duodecim in I nocturno, tres in II, tresque in III.

In dominicali officio habentur tres antiphonae pro unoquoque nocturno, sed in primo dicuntur quatuor psalmi sub una antiphona: in secundo et tertio, sicut in festis aliis duplicibus et semiduplicibus, cuivis psalmo sua respondet antiphona. Quoad versus vero, unus ex eis dicitur in fine ultimae antiphonae cuius-

(1) In Indice decretorum, p. 247, hoc responsum errate redditur: ita enim legitur: Invitatorium et I nocturnum cum laudibus ex consuetudine semper decantari potest in officiis defunctorum, quae peraguntur infra annum cum aliqua solemnitate, praesertim diebus obitus et anniversarii iuxta rubricas Breviarii et Ritualis Romani.

que nocturni. Et notandum, quod in paschali hebdomada desunt versus in ceteris horis, non autem ad matutinum, ut suo loco dictum est.

In duplicibus et semiduplicibus dicuntur novem psalmi et novem lectiones ad matutinum, ideoque haec Officia veniunt quoque sub nomine: *Officia novem lectionum.*

Post unamquamque lectionem sequitur responsorium, ideoque sicut novem lectiones ita et novem responsoria; quia vero, ut plurimum, in fine ultimae lectionis dicitur *Te Deum*, ideoque ordinarie responsoria sunt octo; sunt autem novem in Dominicis poenitentialibus, quae non habent canticum *Te Deum.*

119. In primo nocturno dicuntur tres psalmi cum suis antiphonis, post singulos psalmos una antiphona. Hoc regulariter semper fit, ita ut tot sint antiphonae quot psalmi. In primo autem nocturno officii dominicalis, habentur duodecim psalmi et tres antiphonae; ut supra diximus.

Ob signum vero laetitiae in gaudiis paschalibus officium aliquantum contrahitur, ideoque tres psalmi cuiusque nocturni sub una dicuntur antiphona. De hac consuetudine iam loquitur Rodulphus Tungrensis (prop. 10).

In fine psalmorum post ultimam antiphonam cuiusque nocturni dicitur versus... absolutio et benedictio, ait Rubrica « ... ut in prima dominica de Adventu ordinantur ». In antiquis editionibus breviarii Romani, in dominica I Adventus legebatur, ante lectiones cuiusque nocturni, absolutio et benedictio per extensum, ideoque Rubrica ad dictam dominicam remittebat; in novissimis autem editionibus post typicam, ad matutinum ipsius dominicae I hodie legitur haec Rubrica: « Deinde absolutiones et benedictiones ut in psalterio »; et reapse in psalterio, sicut in antiquis breviariis, ita et in novissimis, suo loco inveniuntur absolutiones et benedictiones. Notandum insuper est, quod inveniuntur clarius dispositae, tam pro officiis novem quam trium lectionum, post Rubricas generales et ante psalterium.

Deinde leguntur tres lectiones de Scriptura. In I nocturno semper legitur de aliquo libro Scripturarum veteris aut novi Testamenti, nunquam tamen ex quatuor Evangeliis, et ex psalmis, ut capite XIV dictum est. « Ad singulas lectiones dicitur unum responsorium, conveniens officio » ait Rubrica, scilicet responsoria convenire debent non lectionibus ipsis, sed officio diei. Hinc, quando leguntur de Scriptura feriae currentis in aliquo festo, responsoria sumuntur de festo ipso, non de feria.

In fine ultimi responsorii cuiusque nocturni dicitur *Gloria Patri*, cum repetitione partis responsorii, ut capite XV explicavimus.

In secundum nocturno dicuntur alii tres psalmi antiphonae, versus, *Pater noster*, Absolutio, *Ipsius pietas*, et ei consequentes benedictiones: tres lectiones de aliquo sermone, aut de vita illius sancti, de quo fit officium, et ad quamlibet lectionem unum responsorium.

In tertio nocturno aliis tres psalmi cum antiphonis, ut supra: post tertiam antiphonam, versus, *Pater noster*. Absolutio, *A vinculis*, et benedictiones consequentes ad singulas lectiones, quae erunt de homilia Evangelii de tempore, vel de festo, secundum qualitatem officii. Post septimam et octavam lectionem dicitur responsorium officio conveniens, id est, post quamlibet unum: aliquando autem dicitur etiam post nonam lectionem. Si non dicitur nonum responsorium, post ultimam lectionem dicitur hymnus, *Te Deum*.

120. Matutinum feriale incipit sicut in duplicibus et semiduplicibus, nempe praemissis *Pater... Ave... Credo...* dicuntur *Domine, labia mea* et *Deus, in adiutorium*; invitatorium et hymnus, quae sumuntur ex proprio de tempore, si habeantur, ut ex. gr. in Adventu et Quadragesima, alioquin ut in psalterio, in quo hymnus proprius habetur pro unaquaque feria.

In festis autem sanctorum qui ritu simplici recoluntur, invitatorium et hymnus sumuntur de communi sanctorum; quia officium nocturnum festorum simplicium, licet habeat psalmos et antiphonas de feria, sumit tamen ex convenienti commune invitatorium, hymnum et versum.

Deinde nocturnum feriae, ut in psalterio, id est duodecim psalmi cum sex antiphonis, qui dicuntur tam in officio feriali quam in festis simplicibus.

Post psalmos et antiphonas dicitur versus, in feriali officio ut in psalterio, in festis ut in communi sanctorum. In breviario tamen, ad maiorem psallentium commoditatem, ponuntur versus, ex variis communibus sanctorum in ipso psalterio. In festis simplicibus sanctorum versus et duo priora responsoria I nocturni de communi inserviunt pro feriis II et V; versus et duo priora responsoria II nocturni, pro feriis III et IV; demum versus et duo priora responsoria III nocturni inserviunt pro feria VI. Nil dicitur de sabbato, quia in eo nunquam agitur de festo simplici, cum in casu de b. Maria sit agendum.

Post versum dicitur *Pater*, absolutio et benedictiones, ut

disponuntur in Rubrica de absolutionibus et benedictionibus, et clarius in speciali tabella, quae invenitur ante psalterium in breviario, ut supra docuimus.

Tres lectiones in officio feriali dicuntur de Scriptura, quae eo die occurrit in proprio de tempore; si adsit homilia tres lectiones dicuntur de homilia. Scriptura enim semper ponitur in omnibus feriis per annum, exceptis iis quae habent missam propriam, ut in Quadragesima, in vigiliis et in feriis Quatuor Temporum. In istis legitur homilia super evangelium missae.

In festis simplicibus sanctorum lectio prima et secunda de Scriptura sunt, tertia de sancto. Si fuerint duae lectiones de sancto, prima tantum de Scriptura, reliquae de sancto. Ut plurimum in festis simplicibus sanctorum habetur una lectio historica, aliquando duae, nunquam vero tres. Quia vero nonnulla festa simplicia, extra Quadragesimam et Adventum, ut ex. gr. s. Valentini die 14 februarii, carent lectione historica, iis in casibus, pro lectione historica sumitur de sermone ex communi.

121. Tempus recitandi matutinum, antiquitus, ut vidimus, erat ipsa nox. Posta vero frigescente pietate, coeptum est a clericis in chorum ingredi pro nocturno officio, summo mane unde nomen *matutinum*. Pro recitatione privata unica lex habetur in Rubricis missalis (*Rit.* I, 1, et *De def.* X, 1), quae exigit, ut sacerdos missam non celebret nisi matutinum cum laudibus recitaverit, quod est de praecepto, nisi causa excusans accedat (Lehmkuhl, n. 978). Ex consuetudine probata, pridie quoque recitare licet matutinum cum laudibus post vesperas diei, scilicet, ut declaravit S. R. C. « privatam recitationem matutini cnm laudibus diei subsequentis incipi posse, quando sol medium cursum tenet inter meridiem et occasum » (S. R. C. 16 martii 1876, n. 3391), nempe iuxta tabellam quae in calendariis seu directoriis dioecesanis vulgari solet. Matutinum autem cum laudibus diei sequentis recitari semper posse secunda hora post meridiem, « sententia est, quam multi tuentur, multi non reprobant, multi probabilem putant; in praxi ergo non sunt inquietandi qui bona fide ab ea hora recitaverint matutinum » (D'Annibale, *Summ. Theol. mor.*, editio IV, par. III, § 150, nota 32. Cfr. etiam Gury-Ballerini-Palmieri, *Compend. Theol. mor.*, tom. I, n. 1015, ac Bucceroni, *Instit. Theol. mor.*, vol. II, n. 153).

Attamen in decreto 2 maii 1905 ad dubium, an in privata recitatione matutinum pro insequenti die incipi possit hora se-

cunda pomeridiana, respondit: *Consulantur probati auctores.* Sacra scilicet Congregatio noluit quaestionem directe resolvere, sed diversas doctorum sententias in sua probabilitate relinquere maluit.

Concludi igitur potest, quod, iuxta multos probatos auctores, matutinum subsequentis diei valide ac licite semper recitari potest *privatim* hora secunda post meridien, prout multi doctores tenent. Rationes autem pro contraria sententia quamvis spernendae non sint, non destruunt probabilitatem sententiae benignioris, qua unusquisque uti potest saltem ex iusta causa.

Haec omnia docent theologi *moralistae*, et quoad culpam illis assentimur; *liturgistae* autem doctores non immerito tenent recitandum esse matutinum potius mane, tamquam optimam praeparationem missae; vel ad summum horis serotinis praecedentis diei, ne ab antiqua ac naturali sua hora matutinum nimis separetur.

Ubi publica horologia adhibentur tempori *medio* accommodata, fideles in ieiunio naturali servando, in officio divino recitando, aliisque ecclesiasticis praeceptis adimplendis sequi tempus medium *possunt*, sed *non tenentur*, uti S. Poenitentiaria declaravit die 18 iunii 1873 ac die 29 novembris 1882. Idem dicatur de tempore medio loci *Greenwich* (S. C. Conc., 22 iulii 1893, et S. C. S. Off., 9 aug. 1899). S. Rituum Congregatio interrogata, quondam « an pro recitatione officii divini conformare se quis possit tempori dicto medio; vel iuxta proprium placitum tempori vero vel medio, ita ut aliquando uni, aliquando alteri adhaereat », die 7 aug. 1875, n. 3365[9], rescripsit: « *Posse stare* publicis horologiis ». Per citatum autem decretum 2 maii 1905, clarius respondit *ad libitum* fieri posse.

122. Uti iam notavimus post officium nocturnum, illucescente die, decantabantur *Laudes matutinales* (Martène, III, l. 4, c. 7, XI), quae nunc *Laudes*, ullo sine addito, vocantur; psalmi enim quibus componuntur, laudatorii sunt et exultatione pleni. Igitur dicto hymno *Te Deum* vel ultimo ℟, hebdomadarius absolute dicit: *Deus in adiutorium*, quia licet laudes hodie unam horam constituant cum matutino, antiquitus tamen distinctae erant; hinc cum invocatione, *Deus, in adiutorium*, tunc convenienter incipiebantur, et adhuc incipiuntur.

Dicuntur psalmi et canticum *Benedicite*, qui est solemnis hymnus laudatorius, ex Daniele propheta, qui dicitur in dominicis semper et in festis omnibus, nec non in ipsis feriis tem-

pore paschali. In feriis, extra tempus paschale, variatur canticum; feria II dicitur *Confitebor tibi, Domine, quoniam iratus es mihi*, ex Isaia; feria III, *Ego dixi*, ex eodem, quod Ezechiae vocatur; feria IV, *Exultavit cor meum*, ex I Regum, idest canticum Annae; feria V, *Cantemus Domino*, inter cantica solemnius et magniloquum, e libro Exodi, et Moysis vocatur; feria VI, *Domine, audivi auditionem tuam, et timui*, ex Habacuc, praeceteris sublimius; sabbato tandem, aliud canticum Moysis *Audite coeli*, ex Deuteronomio.

Psalmi dicuntur cum antiphonis officio convenientibus, quae sumuntur ex psalterio, vel ex proprio cuiuscumque festi, aut ex communi, uti notatur suis locis.

In festis omnibus, etiam simplicibus, in dominicis et in feriis, tempore paschali, in signum maioris laetitiae, psalmi in laudibus, item canticum *Benedicite*, dicuntur ut in psalterio notantur pro dominica. Excipiuntur dominicae a Septuagesima usque ad Palmarum inclusive, in quibus, uti notatur ibi, variantur duo primi psalmi, *Miserere* et *Confitemini*. Item in feriali officio, extra tempus paschale, psalmi et canticum dicuntur, ut notantur in psalterio. Ex psalmis, qui in laudibus dicuntur, notat Martène (IV, l. 1, c. 3, n. 9), tres posteriores: *Laudate Dominum de coelis; Cantate Domino canticum novum*; et *Laudate Dominum in Sanctis eius*, speciali modo *Laudes* appellabant antiqui, eo quod ad reddendas supremo Domino laudes nos frequenter invitent.

Dominicae maiores, tam I quam II classis, excepta dominica *in Albis*, nec non dominicae infra octavas Nativitatis, Epiphaniae, Ascensionis et Corporis Christi, habent ad laudes antiphonas proprias; in aliis antiphonae sumuntur de psalterio. Similiter in festis novem et trium lectionum, si non adsint propriae, dicuntur de communi; eadem enim, sicut in ceteris, lex manet circa antiphonas, quae non sumuntur e communi, nisi deficiant propriae.

123. Post psalmos dicitur capitulum, hymnus, versus, antiphona et canticum *Benedictus*. De singulis hisce partibus suo loco egimus. Dicuntur in laudibus semper, excepto triduo mortis Domini et Octava paschali, sumunturque ex proprio vel de communi, de tempore vel de festo. Laudes denique, dicto cantico *Benedictus*, quod nunquam omittitur, concluduntur cum oratione.

Preces, quando dicendae sunt in laudibus, dicuntur ante primam orationem. Id enim notatur, quia, quum sunt dicendae

preces, dicuntur ad laudes plures quoque orationes, paucis diebus exceptis. Absoluto cantico, antiqui monachi dicebant *Letaniam*, idest, *Kyrie, eleison*, teste Martène (IV, l. 1, c. 3, n. 14), qua preces initium habent. Oratio dominica a praecinente Abbate *clara et intelligibili voce* dicebatur, et hodie quoque in romano ritu *Pater noster* in precibus matutinalibus et vesperalibus alta voce dicitur ab hebdomadario in choro. Precum huiusmodi meminit Amalarius (*De Eccl. off.*, l. 4, c. 4). Preces, quae habentur in breviario ad laudes feriae II, inveniuntur quoque, ait Martène (ib.) in antiquissimo breviario Casinensi, tempore Oderisii Abbatis litteris longobardicis exarato, quod Parisiis in bibliotheca Oratoriana asservatur.

Commemorationes seu suffragia dicuntur post orationem officii, quod ea die recitatur, sicut aliae commemorationes, si quae sint dicendae.

Sequens ergo erit forma officii nocturni, nempe matutini cum laudibus.

1. Dicitur oratio *Aperi*, cum *Pater*, *Ave*, *Credo*; 2. *Domine labia*, cum *Deus in adiutorium*; 3. Invitatorium, cum versibus psalmi *Venite*, alternatim; 4. Antiphona I (integra in duplicibus inchoata in semiduplicibus) cum I psalmo, et cum repetitione antiphonae: 5. Item ant. II, cum II psalmo; 6. Similiter ant. III, cum III psalmo; 7. Versus et *Pater noster*; 8. Absolutio; 9. *Iube domne* cum I benedictione; 10. Lectio I da Scriptura cum I responsorio; 11. *Iube domne*, II benedictio; 12. Lectio II cum II responsorio; 13. *Iube domne*, III benedictio et III lectio cum III responsorio; 13. Antiphona IV, cum IV psalmo, et repetitione antiphonae; 14. Item ant. V, cum psalmo V; 15. Similiter ant. VI, cum psalmo VI; 16. Versus II et *Pater noster*; 17. Absolutio II; 18. *Iube domne*, IV benedictio, IV lectio cum IV responsorio; 19. *Iube domne*, V benedictio, V lectio et V responsorium; 20. *Iube domne*, VI benedictio, VI lectio et VI responsorium; 21. Antiphona VII cum VII psalmo et repetitione antiphonae; 22. Item ant. VIII cum psalmo VIII; 23. Similiter IX ant. cum psalmo IX; 24. Versus, *Pater noster*; 25. Absolutio III; 26. *Iube domne*, VII benedictio. Initium evangelii cum VII lectione et VII responsorio; 27. *Iube domne*, VIII benedictio, VIII lectio cum VIII responsorio; 28. *Iube domne*, IX benedictio, IX lectio; 29. Hymnus *Te Deum*, vel IX responsorium; 30. Pro laudibus *Deus in adiutorium*; 31. Antiphona I (integra in duplicibus, inchoata in semiduplicibus) cum I psalmo et repetitione antiphonae; 32. Anti-

phona II cum psalmo II; 33. Item antiphona III, cum duobus psalmis *Deus, Deus meus* et *Deus misereatur*; 34. Similiter antiphona IV cum cantico; 35. Item antipohna V cum tribus psalmis *Laudate Dominum de coelis, Cantate Domino*, et *Laudate Dominum in sanctis eius*; 35. Capitulum; 36. Hymnus; 37. Versus; 38. Antiphona cum cantico *Benedictus*; 39. Repetita antiphona *Dominus vobiscum* (nisi praemittendae sint praeces); 40. Oratio; 41. Commemorationes si quae sunt faciendae; 42. *Dominus vobiscum, Benedicamus, Fidelium*; 43. Antiphona finalis B. M. V.

CAPUT XXIII.

DE PRIMA

124. Martène (t. IV, l. 1, c. 4, n. 1) de hac hora canonica, habet: « Ignotum primis monachis *Primae* officium, in Betlehemitico primum monasterio, ubi Dominus noster Iesus Christus, natus ex Virgine, humanae infantiae suscepit incrementa, tempore Cassiani institutum; et inde ad occidentales plagas propagatum, hac potissimum de caussa introductum fuit: ad excutiendam nimirum quorumdam monachorum inertiam, et somnolentiam, qui, expletis nocturnis matutinisque laudibus, lecta repetentes, multo prolixius quam par esset, somno indulgebant, nempe ad tertiam usque, cum aliud officium, aliumve conventum ad hanc usque horam agendum non haberent, ut fuse narrat Cassianus ». Hic asceta istud primae officium *alteram matutinam vocat*, eo quod mane orto iam sole celebraretur. *Prima* non pertinebat neque ad nocturnum cursum neque ad diurnum, eratque, sicut et completorium, officium mere conventuale, et non basilicale; scilicet a monachis dicebatur primitus, non autem a clericis in basilicis; erat enim oratio surgentium a lecto, sicut completorium dormitum euntium.

Itaque e dormitorio, ubi se receperant post laudes matutinales, monachi ad ecclesiam non descendebant pro hora *Prima*, dicente Anonymo Gerberti: *Ista prima ibi cantatur ubi dormiunt.*

De oratione dominica et de symbolo apostolorum, ante primam fit mentio in antiquis codicibus, in recentioribus etiam de angelica salutatione. In caeremoniali monasterii Bursfeldensis legit Meratus (hoc loco, n. III); « Primae regulari praemittimus ex more *Pater noster, Ave Maria* et *Credo in Deum* ».

In regula s. Benedicti (c. 17) legimus: « Prima hora dicantur psalmi tres singulatim, et non sub una *Gloria*, hymnus eiusdem horae post versum *Deus, in adiutorium meum intende*, antequam psalmi incipiantur ». Hymnum vero *Iam lucis orto sidere*, qui divo Ambrosio tribuitur, et in correctione Urbani VIII intactus mansit, non ubique antiquitus receptum fuisse dicendum

est, eo quod in ordine psallendi s. Aureliani, a Martène citato (ibid., n. 4), fit mentio hymni *Fulgentis auctor aetheris*, ad primam.

Deinde inchoatur antiphona, quae convenit. Antiphona inchoari dicit rubrica quia in minoribus horis ante psalmos inchoatur tantum, in officiis quoque duplicibus, et post eos integra recitatur. Sumitur vero antiphona in proprio de tempore, vel in proprio sanctorum, aut in communi; regulariter vero in festis sumitur quae prima est in laudibus.

Postea dicuntur psalmi, qui in dominicis et feriis dicuntur ut in psalterio. In festis autem et tempore paschali tres tantum, ut etiam ibi adnotatur. In psalterio pro dominicis, demptis illis qui tempore paschali obveniunt, ponuntur quatuor psalmi, *Deus, in nomine tuo*, etc., *Confitemini*, cuius loco, in dominicis a Septuagesima ad Palmarum, dicitur *Dominus regnavit*, ac dein duae primae partitiones, quibus dividitur psalmus CXVIII, nempe *Beati immaculati*, et *Retribue*. Antiqui, sicut et hodierni monachi s. Benedicti, huiusmodi psalmum CXVIII, in viginti duos octonarios dividebant, prout iacet in Vulgata, ita ut quatuor primi octonarii ad primam ponerentur in dominica, et tres pro unaquaque hora: Tertia, Sexta et Nona, in ipsa dominica et in feria II. Post psalmos praedictos adiicitur Symbolum quod appellatur s. Athanasii.

Pro feriis vero, psalmi pariter quatuor ponuntur, qui sunt iidem, ut in dominica, excepto *Confitemini*, qui quotidie in alium mutatur, non autem in sabbato, in quo tres tantum dicuntur psalmi.

Antiquitus quinque psalmi, qui officio feriali pro unaquaque feria distribuuntur in psalterio, dicebantur omnes in dominica ad primam. Postea vero, ne hora prima dominicalis nimis prolixa esset, consultum est ut dicerentur ad primam assignando singulum pro quavis feria; et cum quinque solummodo essent, in sabbato remansit antiquus numerus psalmorum.

In festis denique, et in feriali officio tempore paschali, tres item psalmi ponuntur, *Deus, in nomine tuo*; *Beati immaculati* et *Retribue*. Nam in festis, et tempore paschali, in quo maxime iubilatur, brevior fit oratio in signum laetitiae, ideoque et tres tantum dicuntur psalmi. Ternarius psalmorum numerus placuit antiquis monachis, ut, teste Martène (ib., n. 10), patet ex Cassiano, et s. Benedicto, in cuius regula adhuc legitur: « Post expletionem vero trium psalmorum recitatur lectio una,

versus, et *Kyrie, eleison,* et missae sint »; scilicet capitulum et preces, ut infra dicemus.

125. Post antiphonam dicitur capitulum *Regi saeculorum.* In feriali officio, extra tempus paschale, dicitur capitulum *Pacem.* Quemdam *Ordinem* monasticum saeculi x edidit Migne (*P. L.* LXVI, p. 937), in quo comprobatur, horam primam ex tunc fuisse officium mere conventuale, ut diximus, *Capitulum* in dicto antiquo ordine memoratur, quod nil aliud erat, nisi in principio diei monachorum conventus, unde aula ipsa, in quam conveniebant, *Capitulum* dicta est. Aliquibus locis duae lectiones, una de antiquo Testamento alia de novo, assignabantur, quibus, uti notat Martène (ibid., n. XI), subiungebantur *capitellum.* S. Benedictus vero unicam lectionem ponit ad primam, et haec *Capitulum* dicta fuit; scilicet caput diminutum, ex sacra Scriptura.

Conventus monachorum, sive capitulum, ad primam initium habebat a recitatione Symboli Apostolorum, ac dein monachi *donabant confessiones suas vicissim,* ut habet monastica rubrica, scilicet confessionem generalem agebant, culpas suas dicentes. De quo adhuc habemus vestigium in breviario Romano ad primam, in cuius precibus dicitur *Credo,* et fit confessio, prout dicemus.

Capitulum *Regi saeculorum* invariabile est pro officio in dominicis omnibus, et in festis etiam simplicibus, nec non toto tempore paschali in feriis ipsis; aliud capitulum *Pacem,* item invariabile est pro omnibus feriis, extra tempus paschale.

Dicitur deinde responsorium breve *Christe, Fili Dei vivi* etc. quod invariabile est, et quotidie dicitur tam in festis et dominicis quam in feriis. In eo tamen variatur ℣, quibusdam festis, proprius.

Post responsorium breve in officio duplici et infra octavas, statim dicitur oratio *Domine Deus omnipotens.* In alio officio dicitur *Kyrie, eleison,* cum reliquis precibus, ut in psalterio. In officio duplici non dicuntur preces in signum festivitatis, hinc neque in dominicis quae duplici ritu recoluntur. In festis quibuscumque, quae ritu semiduplici celebrantur, aut simplici, et in feriis, preces semper dicuntur; exceptis diebus infra quamcumque octavam, in quibus, ob festivitatem, quae per octo dies continuatur, preces omittuntur.

Hae preces, quae antiquitus etiam collectae dictae sunt, in regula s. Benedicti (c. 17), *Missae* vocantur, ut supra innuimus, atque in manuscripto breviario Casinensi habentur iidem ver-

siculi: *Et ego ad te, Domine, clamavi*, usque ad *qui coronat te in miseratione* inclusive, quales in breviario habemus adnotatos pro precibus ferialibus. Antiquitus precibus huiusmodi intermiscebantur vel psalmus *Miserere*, vel quinque psalmi poenitentiales.

In feriali officio, quando dictae sunt preces ad laudes, adduntur aliae preces, ut ibidem in psalterio. Idem dicitur in speciali rubrica ad primam in feriis extra tempus paschale. Quando enim in laudibus preces dicuntur, ad primam preces ipsae longiores fiunt: dicuntur scilicet illae quae adnotantur pro dominica, illisque adduntur aliae, quae ponuntur in feriali officio, ita ut integre dicantur omnes preces seu *Missae*.

Quando non occurrit officium novem lectionum, in choro dicitur officium parvum B. Mariae V. Primae officium omnino est sui generis, nam pro omnibus aliis horis officium B. Mariae numquam intermiscetur cum officio diei, sed praeponitur aut postponitur; in prima vero, nondum ea absoluta, interpolatur. Dicendum est ergo, quod officium primae revera desinit ad *Benedicamus Domino*, et reliqua ad finem usque sequentia, non sunt nisi ea, quae dicebant monachi in matutino capitulo, prout describuntur a Martène (ib., c. 5).

126. Ex praecepto rubricarum in choro legitur Martyrologium, quia ut notat Martène (ib., n. IX): « Primus actus *Capituli* assignatur lectio martyrologii, Aquisgranensi synodo statuente, can. 66, *Ut ad Capitulum primitus Martyrologium legatur*, quae tamen lectio antea in usum fuit, uti docet antiquus ordo conversationis monasticae, patetque ex vita s. Vaudonis abbatis Fontinellensis, qui in suo monasterio legitur, dedisse: *Codicem in quo continetur regula s. Benedicti et s. Columbani, et Martyrologium* ».

Martyrologii lectio praecipitur in publica officii recitatione chorali, qui vero privatim officium divinum persolvit, ad lectionem martyrologii non tenetur; debet tamen ℣ *Pretiosa in conspectu Domini*, cum reliquis quae sequuntur, usque in finem, recitare. Prima haec est mentio, in rubricis generalibus, recitationis privatae divini officii.

Ait rubrica quod dicitur lectiuncula in fine ad absolutionem Capituli. Hic adnotare placet, quod *Absolutio Capituli*, alio sensu est intelligenda quam absolutio brevis, nempe, illa formula deprecatoria quae praemittitur benedictionibus ante lectiones in matutino; hic vero *ad absolutionem Capituli* nulla formula

traditur, sed dicitur tantummodo, qualis lectio brevis sumenda sit diversis anni temporibus, quasi ipsa brevis lectio absolutio esset.

Nos ergo putamus quod rubrica specialis, *Ad absolutionem Capituli*, nil aliud significet nisi finem conventus monachorum; *absolvere* enim idem est ac *finem imponere*; et quia, ut supra innuimus, monachi *Capitulum* agebant ad primam, in quo et culpas dicebant vicissim, et martyrologium legebant, etc., in fine huiusmodi Capituli, antequam *absolveretur*, lectio fiebat, quae in regula s. Benedicti brevis dicebatur. Itaque huiusmodi rubricae locutionem: *Ad absolutionem Capituli* nil aliud esse credimus, nisi *reliquiam* antiquae consuetudinis, quasi diceret: *ad finem congregationis* dicitur sequens brevis lectio.

In dominicis et feriis, pro varietate temporum lectio brevis ad primam adnotatur in psalterio; in festis vero pro lectione brevi sumitur capitulum nonae. Gavantus (hoc loco) quaerit: « cur sumenda est de capitulo nonae? An, quia capitulum nonae in festis solet esse finis epistolae quae legitur in missa? Ut scilicet finis epistolae finem imponat primae horae ». Nescimus an haec ratio a Gavanto producta omnibus lectoribus nostris sit placita: certum est, quod pro lectione brevi aliquid legendum est e Scriptura sacra, quod congruat festo; hinc potius quam in festis propria lectio brevis proponeretur, opportunius visum est unum ex capitulis horarum assumere, quae de Scriptura esse debent.

In officio iuxta ritus aliquos antiquos loco lectionis brevis, scilicet capitulum nonae, legebatur aliquid ex sacris canonibus, ad eruditionem clericorum, quod valde laudabile esset, si alicubi vetusta consuetudo huiusmodi restitueretur in officio ad primam. Sequens porro est forma horae primae.

1. Dicitur *Pater*, *Ave* et *Credo*; 2. *Deus in adiutorium*; 3. Hymnus; 4. Antiphona inchoata (ut plurimam I ex laudibus); 5. Psalmi tres (vel plures): 6. Antiphona integra repetitur; 7. Capitulum *Regi*, vel *Pacem*; 8. Responsorium breve; 9. *Dominus vobiscum* (praemissis precibus si dicendae sint; 10. Oratio; 11. *Dominus vobiscum*, *Benedicamus*; 12. Martyrologium in choro, ℣ *Praetiosa*; 13. Oratio altera; 14. Ter *Deus in adiutorium* cum parvis precibus; 14. Tertia oratio; 15. *Iube domne*, cum benedictione; 16. Lectio brevis; 17. *Adiutorium*, *Benedicite*, cum benedictione finali.

CAPUT XXIV.

DE HORIS TERTIA, SEXTA ET NONA

127. « Veteres, ait Meratus (sect. IV, c. 4), maxime Iudaei, Romani et Itali, ut historiae et mathematicorum libri testantur, artificialem diem (hoc est totum illud spatium temporis, quod ab ortu solis usque ad occasum intercipitnr) et noctem (sive tempus illud, quod solis inter occasum et ortum labitur), in horas sive partes duodecim aequales partiebantur, modo quidem breviores, modo vero prolixiores, iuxta brevitatem aut prolixitatem noctis aut diei; nam aestate, quae breviores sunt noctes, horae diurnae prolixissimae, nocturnae vero brevissimae erant; et e converso hyemis tempore; unde horas illas vocabant inaequales, non quod inter se non essent aequales, sed quod duodecim horae diurnae respectu aliarum duodecim nocturnarum, excepto aequinoctio, essent inaequales. Hanc consuetudinem dividendi hoc modo horas diurnas ac nocturnas per saecula duodecim viguisse in Ecclesia, scribit Paulus le Fort monachus cistercensis in eo libello, quem *De antiquis et modernis horis* exaravit, cap. 2, § 3; et Iulianus Parisius *De prima videndi ratione Cistercensium*, part. III, cap. 1, § 1, tradit horis inaequalibus usos fuisse Cistercenses usque ad annum 1429 ».

« Rursus apud antiquos pro oratione diurna in quatuor partes aequales dies dispartitus fuit, quarum unaquaeque tribus constabat horis ex praedictis duodecim diurnis, et ab ultima sui hora inclusa, oratio quae fiebat, sumpsit denominationem; ita ut prima orationis pars, quae in tertia diei hora finiebatur, *Tertia* diceretur; secunda pars, quae in sexta, *Sexta*; tertia, quae in nona, *Nona*; quarta et postrema, quae in Vespere et duodecima, *Vespera* seu duodecima appellaretur. Hinc est quod horae canonicae diurnae, quae usque modo in officio divino recitantur, eodem modo omnes et univoce a praedictis quatuor diei horis adhuc denominantur, scilicet *Tertia* a tertia, et sic de singulis ».

Et paulo inferius addit: « Et in vita s. Caesarii Arelatensis legitur, eum statuisse ut in posterum clerici *tertiam*, *sextam* et *nonam* publice decantarent, quo poenitentes et laici illis

adesse possint; atque in regula sua singulis horis istis sex psalmos tribuit ». In libro peregrinationis s. Silvae, quam supra citavimus, quamquam nil specialiter dicat de hora tertia, quae cum missa confundi poterat, explicite meminit officia ad *sextam* et *nonam* horam, quae Hierosolymis celebrabantur iam quarto saeculo. Haec de origine offici divini in minoribus horis. Cf. etiam Cassianum apud Migne (*P. L.* XLIX, 121).

Ante singulas horas dicitur *Pater noster*, *Ave Maria*, *Deus in adiutorium*, hymnus et psalmi ut in psalterio. Hymnus, in unaquaque hora minori, dicitur ante psalmos. Hymnis *Nunc, sancte* pro tertia, *Rector potens* pro sexta et *Rerum Deus* pro nona, qui s. Ambrosio tribuuntur, brevissimi sunt, duabus enim solummodo constant strophis, quibus additur doxologia ac nunquam variantur, sed semper tam in feriis quam in festis dicuntur, excepto Triduo mortis Domini, et octava paschali, in quibus hymni cuiusque horae, omittuntur. Ad tertiam tamen, in festo et per octavam Pentecostes, loco *Nunc, sancte*, dicitur *Veni, creator Spiritus*.

128. Notandum tamen, non ubique hymnos s. Ambrosii fuisse receptos in officio horarum, nam, ut habet Martène (l. 4. c. 7, n. 6), Aurelianus Arelatensis, in ordine suo psallendi, ad tertiam hymnum *Iam surgit hora tertia* assignat; *Iam sexta sensim solvitur*, ad sextam; et *Ter hora trina volvitur* ad nonam.

Ambrosiani hymni, quibus adhuc utitur Romana Ecclesia in horis minoribus, et etiam in ritu monastico habentur, opportune unicuique horae aptantur.

Ad tertiam enim, qua Spiritus sanctus super Apostolos descendit, hoc miraculum memoratur:

Nunc, sancte nobis Spiritus,
Unum Patri cum Filio
Dignare promptus ingeri
Nostro refusus pectori.

Ad sextam, qua sol apicem meridianum ascendit, caloreque suo, ictu maiori, terram percutit, ut in animis nostris flammas noxias extinguat Deus supplicatur:

Rector potens, verax Deus.
Qui temperas rerum vices,
Splendore mane illuminas,
Et ignibus meridiem.
Extingue flammas litium,
Aufer calorem noxium, etc.

Ad nonam autem, qua sol ad occasum declinat, Dominum exoramus, ne vita nostra spiritualis decidat sicut dies:

Rerum Deus, tenax vigor
Immotus in te permanens
Lucis diurnae tempora
Successibus determinans.
Largire lumen vespere,
Quo vita nusquam decidat, etc.

Post hymnum, in hora quavis tres dicuntur psalmi, qui nihil aliud sunt nisi tres partes psalmi CXVIII, *Beati immaculati*, quarum duae primae ad primam iam sunt recitatae. In hoc ritui Romano non concordant monachi, qui ex instituto s. Benedicti ad horam primam psalmos variant quotidie. Feria II Ps. dicunt I, II et VI; feria III, Ps. VII, VIII et IX; feria IV, continuatur Ps. IX et subsequuntur Ps. X et XI: feria V dicuntur Ps. XII, XIII et XIV; feria VI, Ps. XV, XVI et XVII; sabbato tandem continuatur Ps. XVII et subsequuntur Ps. XVIII et XIX. Dominica vero dicuntur quatuor primi octonarii psalmi CXVIII, ac postea tres octonarii eiusdem psalmi in unaquaque ex minoribus horis, tum dominicae, tum feriae II. Hinc iuxta monasticum ritum idem psalmus dividitur, ut diximus, prout habetur in Vulgata. Mos vero Romanae Ecclesiae est distribuere quotidie pro horis minoribus eumdem psalmum in undecim partes, quamlibet duobus octonariis constantem.

Hinc apud monachos pro feriis III, IV, V, VI et sabbato sumuntur Ps. CXIX, CXX et CXXI ad tertiam; Ps. CXXII, CXXIII et CXXIV ad sextam; et Ps. CXXV, CXXVI et CXXVII ad nonam; ita ut horae minores monachorum, multo breviores sint horis breviarii Romani.

129. Antiphonae ad horas sumuntur ut in psalterio pro qualibet hora notantur in dominicis per annum et tempore Paschali, nec non in feriali officio per annum, tempore Quadragesimae et Passionis.

In dominicis et feriis Adventus sumuntur e laudibus cuiusque dominicae, in dominicis a Septuagesima, usque ad Palmas inclusive, antiphonae horarum habentur propriae pro unaquaque dominica, in ceteris festis tam propriis, quam de communi, antiphonae horarum semper sumuntur e laudibus ita ut I pro hora prima inserviat, II pro tertia, III pro sexta et V pro nona, omissa antiphona IV.

Dictis psalmis et antiphona, dicitur capitulum et responsorium breve pro qualitate officii: quae in dominicis et feriis, quando non habentur propria in proprio de tempore, dicuntur ut in psalterio; in festis, si in proprio sanctorum non sint propria, sumuntur de communi. Capitulum ad tertiam ut plurimum sumitur de laudibus, tam in festis de tempore quam in festis sanctorum. Excipe tamen dominicas per annum, et ferias, in quibus capitulum ad tertiam adnotatur in psalterio, et est ab eo, quod dicitur in laudibus, diversum.

Capitulum vero pro sexta et nona distinctum habetur et speciale in officiis ferialibus et festivis; proprium quidem si adnotatur in proprio de tempore vel sanctorum, vel de communi; aut si agatur de dominicis per annum et de feriis semper ut in psalterio. Idem dicatur de responsorio brevi, iisdem enim legibus sumitur a proprio aut ex psalterio, ut clarissime ait Rubrica.

Post ℟ breve dicitur *Dominus vobiscum*, et oratio, quae habetur in proprio de tempore: si autem fit de sancto, ut in proprio sanctorum, alioquin de communi; oratio enim in minoribus horis, exceptis prima et completorio, in quibus nunquam variatur, ipsa est collecta ad missam, quae dicitur in vesperis et in laudibus.

Sequens itaque est forma trium horarum tertiae, sextae et nonae, iuxta romanum ritum.

1. Dicitur secrete *Pater* et *Ave*: 2. *Deus, in adiutorium* etc.; 3. Hymnus *Nunc, sancte* ad tertiam, *Rector potens* ad sextam, *Rerum Deus* ad nonam; 4. Antiphona inchoata per prima verba, nec unquam duplicatur; 5. Tres psalmi, scilicet tres divisiones Ps. CXVIII; ad tertiam *Legem pone*, *Memor esto* et *Bonitatem*; ad sextam *Defecit*, *Quomodo dilexi* et *Iniquos odio habui*; ad nonam *Mirabilia*, *Clamavi* et *Principes persecuti sunt*; 6. Antiphona, quae uti diximus ut plurimum pro *Tertia* est secunda de laudibus, pro *Sexta* antiphona tertia, et pro *Nona* quinta; 7. Capitulum, ad tertiam in festis idem est ac in laudibus, ad sextam et nonam proprium; 8. Responsorium breve et versus, vel proprium, vel de communi, vel de psalterio; 9. *Dominus vobiscum*, et oratio diei cum integra conclusione semper; 10. *Dominus vobiscum*, *Benedicamus* et *Fidelium animae*. In feriis vero quando ad laudes dictae sunt preces, dicuntur et in horis minoribus ut sequitur: *Kyrie, eleison; Pater; Domine Deus virtutum; Exurge, Christe* et *Domine, exaudi.*

CAPUT XXV.

DE VESPERIS

130. Gavantus (sect. IV, c. 5, n. 1) ex s. Isidoro, ait: vesperae a sydere, quod *vesper* nominatur, et decidente sole in coelo conspicitur, dicuntur. In liturgia vocatur *vesperae*, hora canonica, quae nunc est sexta inter septem quotidianas. Die enim labente, et sole iam declinato, oratio iam a priscis Ecclesiae temporibus in templis publice fiebat.

In citata s. Silviae peregrinatione de vesperali officio, Hierosolymis celebrato, aperte refertur, quod hora decima, sive hora quae in Oriente *lycnicon* dicitur, Occidentales *lucernarium* vocant, plebs christiana ad ecclesiam *Anastasis* ibat cum clero; cerei omnes accendebantur, et tunc *psalmi lucernares* decantabantur. Episcopus ad officium veniebat, parvuli (*pisinni*) respondebant ad *Kyrie, eleison*; et data ab episcopo post orationem benedictione, officium finem habebat.

Et sane, primitiva Ecclesia ignorare non poterat, quod hora vespertina Christus Dominus ultimam coenam cum discipulis celebravit, in qua se ipsum tradidit in esca et potu sacramentali; in ea etiam mortuus e cruce inter matris brachia depositus fuit. Sed et in veteri Testamento dictum est a Domino: *A vespere usque ad vesperam celebrabitis sabbata vestra* (*Lev.* XXIII, 32); hinc festa Christianorum pridie incipiunt a vesperis.

More suo cl. Martène (loco cit. n. 7) de antiquo ritu celebrandi vesperas perbelle agit: « Celeberrima, ait, inter omnes canonicas horas, est vespertina synaxis, ab antiquis etiam duodecima dicta, eo quod circa duodecimam diei horam celebrari soleret. Huius meminit s. Gregorius Nyssenus in vita s. Macrinae c. 17, et s. Augustinus in epistola 29 ad Alypium, ubi inter alia haec habet: « Acta sunt vespertina quae quotidie solent: nobisque cum episcopo recedentibus, fratres eodem loco hymnum dixerunt, non parva multitudine utriusque ad obscuratum diem manente atque psallente ». Quibus ex verbis duo colliges: unum in Africa vespertinum officium quotidie in ecclesia, alterum die

ad occasum vertente decantatum fuisse; unde et lucernarium, seu lucernaria, a lucernis illa hora accendendis, ab antiquis appellatum, ad quem ritum respexit s. Hieronymus ad Laetam his verbis scribens de filiae institutione: « Assuescat lucerna accensa reddere sacrificium vespertinum ».

Et alibi (t. 4, l. 1, c. 10) nos docet ab antiquis vocatum fuisse *Eucharistia* seu gratiarum actio; *hora incensi* ab Ambrosio; *Duodecima* in regula monachorum;

In ritu mozarabico, nec non in ambrosiano, adhuc habentur antiphonae ad vesperas quae dicuntur ad *Lucernarium*; de quo, idem Martène (loc. cit. n. 8) dicit, lucernarium nonnullos scriptores confundere cum vesperis, alios vero utrumque distinguere, quia lucernarium vocant preces illas tantummodo quae ad accensionem lucernarum dicebantur.

Citat exinde canonem 18 concilii II Turonensis, qui ad vesperas duodecim psalmos cantandos praecipit; nec non canonem 30 Agathensis, in quo praescribitur, ut plebs collecta ad vesperam, ab episcopo cum benedictione dimittatur.

Cum autem vesperae nocte iam introeunte luminibus accensis celebrarentur, quamplurimi ex antiquis auctoribus, quos congerit cardinalis Bona (*De dir. Psalm.* c. 37), inter nocturnas divini officii horas recensuerunt. Sed officium vespertinum absque controversia inter diurnas horas est adnumerandum, quia ultima diei hora, non autem prima noctis, scilicet occidente sole recitari solebat: uti habemus in hymno vesperali sabbati, qui notis verbis incipit: *Iam sol recedit igneus*, etc.

131. Dictis *Pater noster, Ave Maria, Deus in adiutorium*, etc., dicuntur quinque psalmi cum quinque antiphonis, ut in proprio aut communi sanctorum signantur: ad vesperas, enim quinque ut plurimum antiphonae, quinque vero psalmi semper dicuntur. Apud monachos, qui regulam s. Benedicti sequuntur, quatuor tantum recitantur psalmi: ut habetur in eius regula c. 27. Antiqui vero sex vel duodecim concinebant psalmos ad vesperas, ut notat Martène (loc. cit.).

Dominicae Adventus in vesperis antiphonas a laudibus repetunt; similiter in dominicis Paschatis, Pentecostes et SS. Trinitatis propriae antiphonae ad vesperas dicuntur, sicut et in feriis quinta et sexta ante Pascha. Tempore vero paschali in dominicis et feriis quinque psalmi dicuntur sub unica antiphona *Alleluia*.

Post psalmos et antiphonas dicitur capitulum, hymnus,

versus. Psalmis et antiphonis subiungit s. Benedictus lectionem, et quidem de Apostolo: scribit Martène (t. 4, l. 1, c. 5, n. 23). Hanc lectionem meminit quoque Amalarius (l. 3, c. 2) quae postea contracta est et capitulum seu capitellum vocata, cui respondebatur, ut hodie etiam fit: *Deo gratias.* Capitulum numquam omittitur in vesperis, nisi in triduo mortis Domini ac in Octava paschali, quibus in officiis omittitur quoque hymnus et versus.

Apud monachos post capitulum hodie quoque additur responsorium, ut in parvis horis, quod in Romano ritu numquam dicitur, neque ad vesperas neque ad laudes.

Hymnus post capitulum decantatur, ut in psalterio, vel ut in proprio de tempore, aut in proprio sanctorum, aut de communi.

Deinde dicitur antiphona ad *Magnificat*, cum eodem cantico et oratio. Canticum *Magnificat*, in ordine romano, ait Gavantus (hoc loco) passim vocatur Evangelium. Cantatur in vesperis quotidie, sine ulla exceptione. Unus s. Benedictus, nos docet Martène, canticum huiusmodi dicendum esse decernit, quod ex sancti patris instituto retinuit ecclesia; saltem ante eum, qui illud ad vesperas aut decantaverit aut decantandum iusserit, neminem novimus.

Post canticum, repetita antiphona, oratio diei propria ab hebdomadario recitatur, et si dicenda sint adduntur commemorationes et suffragia, item ante primam orationem aliquando preces dicuntur.

Forma igitur vesperarum huiusmodi est: 1. *Pater* et *Ave*; 2. *Deus, in adiutorium*; 3. Antiphona quae integra dicitur in officiis duplicibus, cum 1 psalmo, post quem I antiphona repetitur; 4. Antiphona II cum psalmo II, et similiter III, IV et V, cum psalmis suis; 5. Capitulum; 6. Hymnus; 7. Versus; 8. Antiphona cum cantico *Magnificat*; 9. Repetita antiphona *Dominus vobiscum*, nisi praemittendae sint preces in feriis; 10. Oratio; 11. Commemorationes si quae sunt faciendae; 12. *Dominus vobiscum, Benedicamus, Fidelium animae.*

CAPUT XXVI.

DE COMPLETORIO

132. *Completorium* antiquitus et *Completa* dicebatur, ut tradit Du Cange ad hanc vocem: « Consuetudo talis erat, quod ianitor ut signum pulsabatur ad completam, confestim portas monasterii firmans abbati claves referret »; item *completam* vocant regulae plurimae monachorum, ut videre est apud Martène (t. 4, l. 1, c. 12). Quia vero completa ultima hora diurna est ecclesiastici officii, officium eius *Completorium* dictum est, et in concilio Cabillonensi : *hora Completoria*; completur enim, ait S. Beda (*Medit. Pass. Christi*, 1) totum officium divinum.

Officium huiusmodi in primis Ecclesiae saeculis, etiam apud monachos ignotum fuisse aiunt scriptores; in Oriente s. Basilius illud induxisse videtur, in Occidente vero primus omnium fuit s. Benedictus, qui in sua regula completorias preces, antequam sui monachi dormitum ierint, ordinavit; ac deinceps in divino officio ab omnibus acceptum fuit. Porro completorium officium fuit antiquitus mere conventuale, non autem basilicale, erat enim monachorum ultima diei oratio ante dormitionem.

Hodie vero, iuxta P. Pargoire (*Revue d'hist. et litt. relig.* 1898, t. 3, p. 450), videtur quod de hora completoria iam mentio habeatur saeculo v, in vita s. Hypatii (cfr. Bäumer I, p. 255, nota Biron).

Refert Bäumer (I, p. 182) quoddam documentum a card. Pitra inventum in Vaticana, in quo describitur celebratio officii a s. Nilo in monte Sinai saeculo VI, ubi legitur: post serotinam refectionem, incipimus canonem, intellige ordinem psalmorum, et statim recitantur Ps. IV, VI, XII, XXIV, XXX et XC. Opportune notat Bäumer completorium hic clare apparere, tam quoad tempus, quam quoad psalmos; multo magis quia apud graecos completorium appellatur *Apodipnon*. Certo certius Ps. XXX et XC, adhuc pro completorio sunt reservati.

Post refectionem vespertinam monachi basilicarii saeculi VIII ad s. Petrum non descendebat, ut ibi canerent completorium,

sed a refectorio directe ad locum dormitorium ibant, ibique completam dicebant; *canuntur completorio ubi dormiunt, in dormitorio*, scribit ad instar illiterati, Anonymus Gerberti. In Amalarii autem liturgia, nec non in aliis ordinibus saeculi IX, completorium iam in loco, a choro non diverso, recitabatur.

Uti supra, innuimus, sicut primam, ad Deum invocandum initio diei, ita et completorium ad ei gratias agendum in fine instituere maiores.

133. Absolute dicitur lectio brevis ut in psalterio. Antiquum officium completorium apud monachos a *Deus, in adiutorium* incipiebat, eo quod ante huiusmodi horam ad *collationem* conveniebant, uti colligitur ex s. Benedicti regula (c. 42), ad lectionem habendam, cui initium dabatur, petita prius a lectore benedictione. Finita ad nutum abbatis collatione, et dicto a lectore *Tu autem*, subiungebat abbas: *Adiutorium nostrum*, et sic intrabant monachi ad completorium. Ad huius monastici ritus imitationem, romanum completorium incipit a *Iube, Domne*, cum lectione brevi ex epistola s. Petri, quae, ut docet Martène (ib. n. 7) « instituta fuit pro collationis lectione, ad completorium extra chorum dicendum, unde et in fine *Adiutorium nostrum* subiungimus. Id patet... maxime ex edito anno 1586 breviario Congregationis Casalis Benedicti, in quo sic lego: « *Ad lectionem ante Completorium* Iube, Domne, *Benedictio*, Noctem quietam etc. *extra chorum respondetur* Amen. *Lectio brevis*: Fratres, sobrii estote etc. ». In aliis ordinariis monasticis adnotatum est, lectionem praedictam ab illis fuisse recitatam, qui completorium extra chorum absolvebant; et revera apud Bursfeldenses a Martène citatos, qui in choro completorium recitant, nulla huiusmodi brevis lectionis in eorumdem ordinario fit mentio.

In ritu quoque Bracharensis ecclesiae completorium incipit absque lectione et confessione, sicut ceterae horae canonicae inchoantur, licet in regula s. Fructuosi illius ecclesiae episcopi aperta fiat mentio confessionis. Dicendum forsan est, quod canonici Bracharensis ecclesiae, in Lusitania percelebris, in qua et hodie ritus particularis observatur, antiquitus more monachorum officia divina celebrabant.

De lectione completorii agentes nonnulli notant eam fuisse quasi finem lectionis, quae in collatione, seu in refectorio, fiebat, « ante istud Officium conveniunt in unum fratres ad lectionem... et... in isto consumitur esus, potus et collatio », ait Amalarius (*De off. Eccl.* IV, 8). Et quia versus *Adiutorium* finem ponebat

collationi in loco refectorii, postea huiusmodi versus etiam in choro retentus fuit post lectionem brevem: haec enim ut diximus, locum tenebat lectionis in collatione factae.

De oratione dominica, confessione, et sequentibus versibus ad completorium plus minusve memoria exstat in antiquis ritibus monachorum, ut tradit Martène (ib. 8, 9), qui ex antiquissimo *Ordine conversationis monasticae* haec refert inter alia: « Et recepto silentio nocturno cum reverentia intrent oratorium ad completam, orent cum intentione mentis et dent confessiones suas alternatim et incipiant completorium ». Confessio autem apte fit, dicit Gavantus (hoc loco) « ut quidquid in die commisimus diluamus, et alterna confessione mundemur ». Aliquibus in ecclesiis, ait Meratus (hoc loco), ut Parisiis, *Confiteor* ad finem completorii, non vero ad initium, ut in breviario romano, dicebatur. Quoad vero *Converte nos*, recentis esse institutionis, putat Martène (ib. n. 10), et Cistercienses quoque, teste card. Bona, illud omittunt.

Tres tantum psalmos ad completam esse dicendos s. Benedictus praecipit in sua regula, quod et hodie observatur in ritu monastico, et dicuntur absque antiphona. In ritu vero Romano, iam a tempore Amalarii quatuor psalmi ponuntur, numerus psalmorum, qui in nulla hora alia invenitur, nisi ad primam diebus ferialibus et dominicis. Psalmi autem ad completorium sunt Ps. IV *Cum invocarem*; Ps. XXX *In te, Domine*, cuius dicuntur solummodo primi sex versus, omissis aliis, qui 25 sunt, et simul cum primis integre dicuntur ad matutinum feriae II: Ps. XC *Qui habitat*, et Ps. CXXXIII *Ecce nunc benedicite*, et numquam mutantur. In primo, notat Gavantus (hoc loco) « cum Christo quietem poscimus: *in pace in idipsum dormiam et requiescam*; in secundo ad ea verba quae protulit Christus in extremo vitae: *In manus tuas* etc., optamus mori cum eo; in tertio et quarto contra tentationes nocturnas armamur ». Hi quatuor psalmi, in Romano ritu semper dicuntur sub antiphona *Miserere*, quae paschali tempore mutatur, sumendo *Alleluia*, ac numquam duplicatur.

Hic notandum venit quod s. Basilius (*Regul.* c. 37 in Migne, *P. G.* XXXI, cod. 1015) meminit Ps. XC dicendum a fratribus antequam cubitum irent; in qua dispositione citatus P. Pargoire vestigium invenit horae completorii.

134. Post psalmos, repetitaque antiphona, dicitur hymnus ante capitulum, praeter morem. Antiquitus monachi hymnum va-

riabant pro diversitate temporum, ut refert Martène (ib. n. 12), in Romano ritu idem est semper, nempe *Te, lucis ante terminum*, qui s. Ambrosio aliqui tribuunt.

Post hymnum dicitur capitulum, pariter invariabile, quod subsequitur responsorium breve. Inde, proposita antiphona *Salva nos*, quae pariter numquam duplicatur, dicitur canticum evangelicum *Nunc dimittis*, quod in monastico breviario non dicitur, et est quasi peculiaris Romanae Ecclesiae ritus.

Repetita antiphona, in diebus duplicibus et infra octavas, in quibus iuxta solitum omittuntur preces, dicitur oratio, quae semper est eadem; in semiduplicibus vero dicuntur preces, prout notantur.

Oratio *Visita, quaesumus, Domine*, in nullo ordine romano, neque in aliquo ordinario monastico invenitur, notat Meratus (hoc loco), habetur tamen in completorio apud Cartusianos, sed hoc ab iisdem recitatur in cella, non autem in choro. Opinatur Grancolas ab iisdem fuisse acceptam a fratribus minoribus, et in breviario Romano insertam. Dicebatur quidem ista oratio a monachis, cum in dormitorio fiebat aspersio aquae benedictae, quia a Deo petebatur protectio adversus diaboli insidias. Non fuit itaque composita haec oratio ut in choro vel in ecclesia recitaretur, non bene enim quadrat invocatio: *Visita... habitationem istam, et omnes insidias inimici ab ea longe repelle; Angeli tui sancti habitent in ea, qui nos in pace custodiant;* in ecclesia enim non dormitur, ideoque inutile esset invocatio Angelorum, ut per noctis tempus permaneant in ecclesia, ut ibi nos custodiant, ubi non sumus; dicebatur ergo antiquitus haec oratio in ipso dormitorio (1).

Dicta oratione, et post *Benedicamus Domino*, loco ℣ *Fidelium animae*, qui in fine horarum numquam omittitur, dicitur

(1) Hic addere placet duas orationes quae in breviario antiquo Placentino, pluries citato, ponuntur ad completorium ante orationem praedictam, *Visita* etc. quia iuxta Placentinum ritum, non una sed tres orationes dicebantur. Oratio prima: « Deus, qui illuminas noctem, et lucem post tenebras facis; concede nobis famulis tuis: ut hanc noctem sine impedimento sathanae transeamus, atque in matutinis horis ad altare tuum recurrentes tibi Domino gratias referamus » Non minus apta et pia est oratio secunda, nempe: « Deus, qui diem discernis a nocte, actus nostros a tenebrarum distingue caligine; ut semper quae sancta sunt meditantes, in tua iugiter luce vivamus. Per Dominum ».

in fine completorii ℣ *Benedicat et custodiat nos*, a praelato seu hebdomadario invocando auxilium et benedictionem ab augustissima Triade contra hostes, ac statim et auxilium beatae Mariae Virginis imploratur, per unam ex eius antiphonis finalibus. Tandem, dicto ℣ *Divinum auxilium*, secreto dicitur *Pater*, *Ave* et *Credo*, ut iisdem precibus finiatur officium quibus est incoeptum.

Hinc forma completorii officii huiusmodi est: 1. Illico et sine alia prece praemissa, dicitur ℣ *Iube domne benedicere*, pro benedictione. 2. Lectio brevis *Fratres, sobrii estote* cum ℣ *Adiutorium*; 3. *Pater* cum confessione generali. *Misereatur* et *Indulgentiam*; 4. ℣ *Converte* et *Deus in adiutorium* cum inchoatione antiphonae *Miserere*, vel *Alleluia*; 5. Ps. IV, XXX (sex versus), XC et CXXXIII, cum repetitione antiphonae; 6. Hymnus *Te lucis*; 7. Capitulum *Tu autem*. 8; ℟ breve *In manus*, cum inchoatione antiphonae; 9. Canticum *Nunc dimittis* cum repetitione antiphonae; 10. Preces, si dicendae sunt, *Dominus vobiscum*; 11. Oratio *Visita quaesumus*; 12. *Dominus vobiscum* cum *Benedicamus*, et benedictione *Benedicat et custodiat nos*; 13. Antiphona finalis pro tempore; 14. *Divinum auxilium*, cum *Pater*, *Ave* et *Credo*.

CAPUT XXVII.

DE DIVERSITATE RITUUM IN OFFICIO

135. Etsi officium divinum quotidie recitandum, substantialiter idem sit, attamen pro maiori vel minori festorum dignitate et excellentia, solemnis quoque plus minusve est ritus, quo officium ipsum celebratur.

Hoc humani ingenii naturale dictamen est, ut, quod magis nos attinet et delectat, magis quoque eius memoria recolatur, ac de eo saepius et libentius loquamur.

Cum ergo recordamur beneficium acceptum, et personam a qua accepimus, quo maius est beneficium et persona nobilior, gratius etiam illud et hanc cariorem habemus, et data occasione de ipsis laetiorem memoriam agere curamus.

Hinc est quod in antiquo Testamento varias solemnitates a populo Dei celebrandas instituta fuisse legimus; hinc et apud gentiles, diversa ratione rituum festa celebrari comperimus pro diversitate ipsorum excellentiae.

Ita et in Ecclesia Christi, dies qui per anni circulum memoriam nobis exhibent mysteriorum redemptionis nostrae ineffabilis, pro maiori eorum praestantia solemniores habentur. Idem quoque dicendum est de festis diebus Deiparae Virginis et aliorum sanctorum. Etenim iuxta illud apostoli Pauli (I *Cor.* XV, 41), « alia claritas solis, alia claritas lunae, et alia claritas stellarum, stella enim a stella differt in claritate ». Dies ergo Domini qui solis figura hic exprimitur, dies Deiparae, quae lunae specie figuratur, et dies sanctorum, qui stellae sunt in perpetuas aeternitates rutilantes, diverso ritu celebrandi sunt. Ex quo sane profluit multiplici ritu officium divinum canendum vel recitandum esse.

Vox *ritus* tripliciter accipitur apud liturgicos. Dicitur 1° *Ritus graecus*, *Ritus latinus* (cf. supra cap. II), ut intelligatur diversitas rationis et dispositionis partium precum ac sermonis in divinis officiis celebrandis. Dicitur 2° *Ritus missae*, *Ritus vesperarum*, *Ritus pontificalis*, ad exprimendas caeremonias et ordinem quibus seu missa, seu officium celebrari debet. Dicitur 3° *Ritus*

diversus festorum, de quo agimus, pro indicanda maiori vel minori celebrittate quibus festa recoluntur.

Ritus autem officiorum vel est *duplex* vel *semiduplex* vel *simplex*. Si vox *simplex* et *duplex* litteraliter sumatur, iuxta Calepinum, « simplex dicitur quod nullo modo compositum est,... quasi *sine plica*; duplex vero, cuius duae sunt partes, *duo et plico*; idest a duabus plicis ». Sicut ergo simplex ad unitatem refertur, ita et duplex ad dualitatem.

Etiam in moralibus vir sine dolo et malitia dicitur *simplex*, atque in evangelio nobis praecipitur: *Estote simplices sicut columbae* (*Matth.* VI, 32): sicut e contra vir dolosus et subdolus, *duplex* dicitur: *Vae duplici corde et labiis scelestis* (*Eccli.* II, 14); *Vir duplex animo, inconstans est in omnibus viis suis* (*Iac.* I, 8).

Cum autem, ex antiqua Ecclesiae consuetudine, hisce vocibus in liturgia utimur, *simplex* et *duplex* ita sumuntur, ut illa ritus infimus seu ferialis, ista ritus superior seu festivus exprimatur. Apud antiquos officium solemne vocabatur *Officium cantoris, septem candelabrorum, annuale*, et temporis progressu *duplex*. Vox enim huiusmodi duplex, ait Guyetus (l. II, c. 9, q. 2) « non numerantis, sed extollentis est, ad exprimendum videlicet digniorem officii qualitatem ».

Ratio tamen cur voces duplex et simplex in officiorum ritibus denotandis inductae fuere, iuxta diversos auctores diversa traditur.

136. Ioannes Fronto canonicus Parisiensis, in opere quodam suo, quo edidit calendarium vetustissimum saeculi octavi in monasterio s. Genofevae inventum (Parisiis 1652, § 11), ait: « Cum unica Missa atque adeo unicum officium (quae duo se sequuntur) in dicto Calendario notatur, festum dicitur simplex; duplex vero, cum duplex officium et duplex missa praescribitur ». Cui sententiae adstipulatur Grancolas (*Comm. hist. in Brev.*, lib. I, c. 44), et inter recentes Ioannes Fornici (*Instit. liturg.* p. II, c. 7) dicens: « Illa igitur festa, duplicia fuerunt antiquitus nuncupata, quae nempe duplicem missam, duplexque officium habebant », unum scilicet de feria et aliud de sancto; verum cum id adeo frequens evasisset, ut maximo oneri clericis esset, feriale officium praetermissum fuit, satisque habitum est eius commemorationem facere in festi officio, quemadmodum hodiernum fit dominicis, et maioribus feriis, quibus duplex missa celebratur ».

Quae Frontonis, Grancolas et Fornici, nec non et aliorum

minoris notae doctorum sententia, facile erronea comprobatur. Si enim festum duplex appellabatur, quia duo officia eo die recitabantur, de feria nempe et de sancto, quomodo duplicia appellari poterant ex. gr. festa Epiphaniae, Assumptionis B. M. V., s. Laurentii etc, quibus diebus etiam antiquitus unum tantum officium dicebatur?

« Quis hoc sibi persuadeat? » Acriter hic arguens subdit Guyetus (lib. II, c. 9, qu. 2): « Vel ergo (*duplex*) fuit nota maioris seu excellentioris celebritatis, vel non fuit; si fuit, iniquum plane est eam minoribus tribui et maioribus denegari: si non fuit, quomodo ex ea potest erui origo eius instituti, quod perpetua traditione usui fuit in Ecclesia Romana ad indicandam maiorem certorum festorum prae aliis celebritatem? »

Durandus vero (*Ration. div. off.*, lib. VII, c. 1, n. 31) docet: « Dicuntur quaedam (*festa*) duplicia in quibusdam ecclesiis, pro eo quod responsoria et versus a duobus cantantur, et quia omnia incipienda a duobus incipiuntur, et quia antiphonae in matutinis et vesperis duplicantur; dicuntur enim complete ante psalmum et post ». Si hanc ultimam rationem quamquam imperfectissimam, neque adaequatam, uti probabimus infra, non aspernamur, primam et secundam omnino reiicimus. Siquidem consuetudo cantandi versus et responsoria, vel incipiendi psalmos etc. a *duobus* cantoribus, generalis ubique non erat, sicut fatetur et ipse Durandus cum dicit: « dicuntur duplicia in *quibusdam* ecclesiis pro eo quod etc. ». Insuper pluribus in ecclesiis in maioribus solemnitatibus psalmi ac versiculi praeintonantur a quatuor, et alicubi etiam a sex cantoribus; item Introitus pro diversitate festorum intonatur ab uno, vel duobus, aut quatuor. Ergo, ex eo quod alicubi in festis solemnibus a *duobus* cantabantur versiculi vel cantica incipiebantur, nequit legitime inferri *duplicia* appellata fuisse festa illa.

Hinc est quod Gavantus (Sect. III, c. 2, n. 2) ultimam Durandi retionem citat, sub silentio deserens primam et secundam: « Haec vox, *duplex*, inquit, ex eodem Durando significat, antiphonas in officio *duplicari*, hoc est integras recitari ante et post psalmos ».

131. Sed etiam haec causa, a *duplicatione* antiphonarum sumpta, nobis non placet, aut imperfecta saltem videtur. Primo quidem, quia compertum est, pluribus in ecclesiis ante Pium V officia duplicia celebrata fuisse, absque dicta antiphonarum duplicatione (cf. Guyetum, loco cit.), quae consuetudo omnino ablata

fuit in aliquibus Gallicanis ecclesiis, postquam Pius IX Romanam liturgiam feliciter in totam Galliam invexit. Secundo autem quia duplicatio antiphonarum non in toto officio duplici adhibetur, sed in matutino, laudibus et vesperis tantum: quod si officio duplici haec duplicatio antiphonarum principaliter conveniret, in minoribus etiam horis adhiberetur. Tertio quidem quia in antiquis breviariis ut in Placentino, Venetiis edito anno 1530 (Rubr. 8) habetur: « integre autem semper dicuntur antiphonae, tam ante quam post psalmos (sola antiphona ad *Nunc dimittis* dumtaxat ac semper excepta), in omnibus solemnitatibus et festis tam maioribus quam minoribus duplicibus. Item antiphonae quoque duplicantur ad nocturnum et ad *Benedictus* et ad *Magnificat* in utrisque vesperis in festis semiduplicibus ». Ergo, ex eo quod duplicabantur antiphonae, ante Pium V, in festis quoque semiduplicibus, inferri debet quod duplicatio antiphonarum nota specialis non erat officiorum duplicium; ergo causa seu origo huius vocis *duplex* in liturgia, aliunde sumenda est. Quarto tandem quia, si bene consideretur, vox *duplicatio* antiphonarum, effectus est potius quam causa vocis *duplex*. Siquidem iuxta regulas perfecti sermonis, antiphonae cum integre dicuntur ante et post psalmum, duplicari proprie dici nequeunt, sed repeti. Duplicari antiphonae revere diceretur, si duae antiphonae ponerentur ante et post psalmum, et non una tantum; sed tam in duplici quam in simplici officio una dicitur antiphona, cum hac distinctione, quod in duplici recitatur integra ante et post, in simplici vero tantummodo absoluto psalmo. Haec autem non *duplicatio* antiphonae, sed *repetitio* dicenda foret. Ex quo autem in *duplicibus* antiphona bis dicitur integra, *duplicari* antiphonae progressu temporis dictum est. Ergo vox *duplicatio* est potius effectus, quam causa vocis *duplex*.

Antiquitus duo tantum habebantur genera officiorum, *festiva*, et *ferialia*. Festivum officium, ob eius solemnitatem duas vesperas habebat, primas et secundas, iuxta illud (*Lev.* XXII, 32): *A vespera usque ad vesperam celebrabitis sabbata vestra*; feriale unas dumtaxat habebat, nempe secundas. Festivum ergo officium naturaliter appellatum est postea *duplex*, propter duas vesperas, et feriale e converso *simplex* vocatum est propter unas; duplex enim dualitati convenit, et simplex unitati respondet.

Et reapse audiamus in hoc laudatissimum Guyetum (loc. cit.): « Unum addo, ipse ait, duplicis rationem rectius inde deduci, quod duplex duas olim, ut et hodie, haberet vesperas, pridie vi-

delicet et ipso die festi; simplex vero unas dumtaxat nempe primas ». Hunc merito sequitur et Meratus in notis Gavanti (loc. cit.): quapropter causa naturalissimu cur hae voces *duplex* et *simplex* in liturgia inductae fuere, est quia duplex habet duas vesperas, et simplex unas tantum.

137. Nunc autem verbum sit de voce *semiduplex*. Antiquitus duo tantum erant ordines seu ritus officiorum, ut supra innuimus, festivus et ferialis, qui postea duplex et simplex vocati sunt. Quando autem progressu temporum alia festa instituta fuere, necesse fuit alium ordinem inducere medium inter solemnem et ferialem.

Verbum enim *semi* alicui voci praepositum, vel rem dimidiatam significat, ex. gr. semicirculum, semitonum; vel pro *quasi* accipitur, ex. gr. semivivus, quasi vivus, semideus, quasi deus; semiduplex ergo, vel duplex dimidiatum exprimit, et tunc unitatem habemus, sive simplex; vel quasi-duplex, et tunc illud exprimit, quod non in totum sit duplex, sed in aliquo tantum. Hinc est quod Durandus (loc. cit.) ait: « quaedam autem festa dicuntur in totum duplicia »; ergo habebantur et festa non in totum duplicia.

Novus hic ritus aliquid habuit de utroque, et, sicut solemnis *officium cantoris, septem candelabrorum, annuale*, et tandem *duplex* dictus fuit, ita et hic ritus medius *officium succentoris, subcantoris, quinque candelabrorum, semi-annuale, non duplex*, et tandem *semiduplex* vocatus est.

Vox ergo *semiduplex* est omnino ecclesiastica et liturgica, litteraliter enim sumpta, vel nihil significaret, vel simplex exprimeret; significat porro illud officium quod est quasi duplex; habet enim et ipsum duas vesperas, sed antiphonae non dicuntur integrae ante, sed post psalmum; ita ut propter duas vesperas duplici officio assimiletur, et propter antiphonas non duplicatas simplici officio aequiparetur.

Restat ritus *simplex*, qui infimus est, quo officium feriale, et festa minimae solemnitatis celebrantur.

Quamquam autem officium celebretur sub tribus tantum ritibus, *duplici, semiduplici* et *simplici*, nihilominus tres ritus pro minori vel maiori dignitate, in diversas classes ac varios ordines dividuntur; et quamquam hae classes et hi ordines diversos ritus reapse non constituant, attamen diversos gradus significant, quibus ab Ecclesia festa Domini, B. Mariae virginis, sanctorumque concelebrantur.

CAPUT XXVIII.

DE RITU DUPLICI

138. Officium quod ritu duplici persolvitur, habet primas et secundas vesperas, ut diximus, integras; nempe dicuntur quinque psalmi cum antiphonis, capitulum etc.; nam aliquando dicuntur *dimidiatae*. Quum dimidiantur secundae vesperae desinunt ad capitulum exclusive, quum vero dimidiantur primae, a capitulo incipiunt.

Nisi cum alio simili concurrat, ait rubrica, scilicet cum officio eiusdem ritus; duplex minus cum alio duplici minori, duplex maius cum alio duplici maiori; quia duo officia, quae incidunt duobus continuis diebus, et sibi invicem obeunt, dicuntur in vesperis *concurrri* uti suo loco dicemus. Cum enim utrumque ius habeat ad vesperas, scilicet cum officium hodiernum ius habeat ad secundas vesperas, et officium crastinum ad primas, utriusque vesperae sibi obveniunt, seu *concurrunt*.

Officium duplex incipit a primis vesperis, in quibus si psalmi, capitulum etc., dici nequeunt ob digniorem qualitatem antecedentis officii, ad integras secundas vesperas ius habentis, saltem commemoratio de duplici sequenti fieri oportet. Desinit autem ad completorium sequentis diei inclusive. Etsi completorium idem iugiter sit pro omnibus officiis, nihilominus pertinet ad officium diei, de quo dictae sunt vesperae. Aliquando tamen officium duplex desinit ad nonam: et tunc sicuti nil habet de secundis vesperis, ita nec de completorio.

Hoc provenit ex duobus capitibus, vel ob maiorem dignitatem sequentis officii, vel quia sequens officium habet idem obiectum cum praecedenti, et ritu maiori potitur. Ita ex. gr. ex primo capite officium s. Silvestri, die 31 decembris, desinit ad nonam, et vesperae integrae sunt de Circumcisione absque commemoratione s. Silvestri. Ex secundo capite quando ex. gr. die 7 septembris celebramus votivum officium Immaculatae Conceptionis, hoc officium desinit ad nonam, quia vesperae integrae sunt de sequenti Nativitate eiusdem B. M. V. sine ulla praecedentis commemoratione, cum utrumque officium idem obiectum habeat.

Ex adverso, si tam praecedens quam sequens officium idem obiectum habeant, et sint eiusdem ritus, aut praecedens ritu potiori gaudet, officium sequens non accipit principium a primis vesperis, quibus caret in casu, sed a matutino. Item ex privilegio diei Octavae Corporis Christi, a Leone Pp. XIII die 28 iunii 1889 tributo, etsi officium SS. Cordis Iesu ritu duplicis primae classis deinceps colendum sit, nihilominus primis vesperis caret. Simile dicatur de officio in ipsa die Dedicationis Ecclesiae, quod incipit ab hora minori tertia, et propterea officium praecedens desinit ad primam, ut infra videbimus.

Officium autem Defunctorum habet tantum primas vesperas, matutinum et laudes, quia, cum non sit proprie officium diei, non habet horas minores, neque secundas vesperas, neque completorium.

139. In utrisque vesperis, matutino et laudibus tantum, duplicantur antiphonae, id est integrae dicuntur in principio et in fine psalmorum et canticorum, quod est nota seu praerogativa officii duplicis. In aliis horis minoribus antiphonae non duplicantur, sed in principio psalmorum prima verba tantum praedicuntur.

Nullum invenisse fatemur liturgicum doctorem qui huius distinctionis causam adducat; pretium autem operis esse putamus, si hanc causam hic exquirimus.

Insignis cardinalis Thomasius in antiquo antiphonario Vaticano XII saeculi a se edito anno 1686 (*in praefatione*, pag. 27), satis superque probat, antiphonas primitus semper integras ante et post psalmum decantatas fuisse; nullamque inter solemnia et ferialia officia diversitatem intercessisse in decantatione antiphonarum; nam in antiquioribus ecclesiasticis libris nullum elucere argumentum dicit, quo exordium dumtaxat antiphonae ante psalmos pronunciatum fuisse arbitremur.

Saeculo autem XIII et XIV, quum invecta fuerit in ritum festivum et ferialem, duplicem et semiduplicem, distinctio, integra antiphonarum decantatio ante et post psalmos, uti signum solemnitatis accepta et servata fuit; ita ut in solemnioribus officiis, nempe quae ritu duplici colebantur, duplicarentur antiphonae; in minus solemnibus, et ferialibus, nequaquam.

Cum autem horae officii quotidiani ut vidimus, aliae sint *maiores*, ut matutinum cum laudibus et vesperae, et aliae *minores*, scilicet prima, tertia, sexta, nona et completorium, illae maiori hae minori solemnitate semper ab antiquis temporibus

celebratae fuere. Hinc numquam ad has officians ministros habet, aut pluviali induitur, sed suo chorali habitu consueto utitur (*Caerem. Episc.* lib. II, c. 4, n. 4, et c. 7, n. 7); nec in eis organa pulsantur (ibid. lib. I, c. 29, n. 7) excepta tertia, quae canitur ante missam pontificalem. Item psalmi in eis, et *Benedicamus Domino* decantantur tono feriali, etiam in festis duplicibus.

Sicut ergo ritu feriali horae minores celebrantur, et sicut proprium est ferialis ritus antiphonas non duplicari, hinc in eis re vera non duplicantur.

« Ad Matutinum regulariter dicuntur tres nocturni, cum novem psalmis, et totidem lectionibus hoc est, in unoquoque nocturno tres psalmi et tres lectiones, praeterquam in Paschate Resurrectionis et Pentecostes cum duobus sequentibus diebus, in quibus dicitur unum tantum nocturnum cum tribus psalmis, et totidem lectionibus, ut ibidem ponitur ». Hinc officium duplex dicitur officium novem lectionum.

« Preces ad primam et completorium, et suffragia de s. Maria, s. Joseph, Apostolis et Pace, ad vesperae et laudes non dicuntur in officio duplici ».

Hae sunt notae communes ad omnia officia quae ritu duplici persolvuntur. Quia vero pro maiore celebritate, qua recoluntur quaedam festa, officia duplicia in varias classes variosque ordines dividuntur, classes nobiliores nonnulla respuunt, quae in vilioribus admittuntur, ut suis locis videbimus.

CAPUT XXIX.

DE VARIIS CLASSIBUS ET ORDINIBUS RITUS DUPLICIS

140. Ritus duplex dividitur in quatuor classibus nempe: Duplex primae classis, duplex secundae classis, duplex maius, et duplex minus.

Duplicia primae classis, hanc notam habent in rubricis (tit. 9, n. 5); *In quibus nulla fit commemoratio quorumcumque festorum, nisi prout in rubricis.* Scilicet tali solemnitate festa primae classis recolit ecclesia, ut in eis non fiat aliqua commemoratio cuiuslibet officii, nisi agatur de festis, vel octavis aut feriis maioribus, uti videbimus suis locis.

Duplicia autem primae classis in tres ordines subdividuntur.

Duplicia primae classis et primi ordinis sunt viginti, quae ceteris praeferuntur, scilicet: 1. Feria V, in Coena Domini; 2. Feria VI, in Parasceve; 3. Sabbatum Sanctum; 4. Pascha Resurrectionis; 5. Feria II, eiusdem; 6. Feria III, eiusdem; 7. Pentecostes; 8. Feria II, eiusdem; 9. Feria III, eiusdem; 10. Epiphania Domini; 11. Festum Corporis Christi; 12. Nativitas Domini; 13. Ascensio Domini; 14. Annuntiatio B. M. V.; 15. Assumptio B. M. V.; 16. Immaculata Conceptio B. M. V.; 17. Nativitas s. Ioannis Baptistae; 18. Festum s. Ioseph sponsi B. M. V.; 19. Festum Ss. Apostolorum Petri et Pauli; 20. Festum Omnium Sanctorum.

Praedicta solemniora festa sunt primaria, ab universa Ecclesia celebrantur, et numquam transferuntur nisi excipias: 1. Annuntiationem B. M. V. quando occurrit in Dominica Passionis, aut in hebdomada maiori vel paschali; 2. Nativitatem s. Ioannis, quando occurrit in festo Corporis Christi; 3. Festum s. Ioseph, quando occurrit in Dominica Passionis aut in maiori Hebdomada. Ordo autem quo nos hic huiusmodi festa transcripsimus, indicat maiorem uniuscuiusque eorum solemnitatem: quae perpenditur, non tantum ex dignitate intrinseca mysteriorum vel sanctorum, sed etiam ex maiori externa celebritate, qua in ecclesia recoluntur.

Exploratum est enim, *Pascha Resurrectionis*, cum tribus

diebus praecedentibus et duobus sequentibus, tanta gaudere celebritate, ut in martyrologio vocetur: *Solemnitas Solemnitatum.* Sequitur continuo in ordine Festum *Pentecostes*, cum duobus sequentibus diebus, quia, sicut et Pascha, octavam habet ita privilegiatam, ut infra eam neque de aliquo duplici primae classis agi queat (*Rubr.* tit. X, 1); ante omnia ergo ea inscripsimus. Venit decimo loco Epiphania, cuius octava ita est privilegiata, ut infra eam non agatur, nisi de duplici primae classis occurrente, et in eius die octava id quoque prohibeatur (ibid.). Undecimo loco ponitur festum Corporis Christi, cuius octava ita est privilegiata, ut infra eam non fiat de semiduplicibus occurrenti bus, nec de duplicibus translatis, nisi sint I vel II classis; in eius autem die octava non fit, nisi de duplici primae classis (ibid.).

Duodecimo loco venit Nativitas Domini, cuius octava ita privilegiata est, ut licet in ea agatur de semiduplici occurrenti, et de duplici translato, de ea tamen commemoratio fiat etiam in duplicibus primae classis, quod fit et pro octavis Epiphaniae et Corporis Christi (ibid.).

Duplicia primae classis secundi ordinis sunt quae cedunt quidem superius relatis in occurrentia, nec non quibusdam diebus privilegiatis, sed praeferuntur aliis, quae in tertio ordine inscribuntur (*Rubr.* ibid.). Haec sunt tria tantum: 1. Dedicatio propriae Ecclesiae; 2. Patronus loci praecipuus; 3. Titulus propriae Ecclesiae.

Eiusmodi generis haec festa sunt, quod licet sint *particularia*, quia respiciunt locum specialem, sunt tamen quodammodo *generalia*, quia vi rubricarum hoc ritu sunt celebranda in toto orbe; de ipsis, suo loco dicemus.

Duplicia primae classis tertii ordinis. Tertius ordo denique illa duplicia primae classis comprehendit, quae in occursu cedunt duplicibus primi et secundi ordinis, et quatuor sunt:

1. Sacratissimum Cor Iesu, pro universali Ecclesia, quia est festum *secundarium.*

2. Dedicatio alienae ecclesiae (ex gr. cathedralis extra ipsam, aut omnium ecclesiarum dioecesis vel ordinis, in ecclesia non consecrata).

3. Patronus regni, provinciae aut dioecesis, in locis ubi specialis patronus rite habetur, vel sanctus Fundator Religionis.

4. Titularis cathedralis (extra ipsam), nec non cetera duplicia primae classis, si alicubi ex S. Sedis indulto eo ritu celebrentur.

141. *Duplicia secundae classis* hoc nomine vocantur in rubrica ante tabellam occurrentiae; in rubricis vero generalibus (tit. IX, n. 6) dicuntur *Festa secundi ordinis* ibique describuntur. Ea autem sunt, *in quibus de simplicibus fit commemoratio in laudibus tantum; de aliis, ut in rubricis.*

Prima fronte videntur duplicia secundae classis non posse distingui in diversos ordines, sed bene consideranti facile contrarium apparebit. In rubricis enim hoc habemus, quod aliquae ex ipsis, etiam occurrentibus festis primae classis secundi et tertii ordinis, praeferuntur; quaedam vero, si occurrant cum aliis eiusdem ritus duplicis secundae classis, postponuntur; ergo duplicia quoque secundae classis in tres ordines iure distribuuntur.

Duplicia secundae classis primi ordinis, sunt quae nunquam omittuntur, etiamsi occurrat duplex aliquod primae classis. Duo tantum sunt, nempe: 1. Circumcisio Domini; 2. Festum SS. Trinitatis. Huiusmodi praecedentiae privilegio Circumcisio et SS. Trinitas gaudent vi rubricarum (*Rubr.* post tabell. occurr., n. 1).

Duplicia secundae classis secundi ordinis, sunt quae cedunt quidem officiis primae classis, sed ex rubricarum praescriptione, et ex S. R. C. decretis, aliis duplicibus secundae classis et tertii ordinis, praeferri debent. Haec sunt viginti: 1. Nativitas; 2. Purificatio; 3. Visitatio B. M. V.; 4. Dedicatio s. Michaelis Archangeli; 5. Festa s. Andreae Apostoli; 6. S. Iacobi Maioris; 7. S. Ioannis; 8. S. Thomae; 9. S. Bartholomaei; 10. S. Matthaei; 11. S. Mathiae; 12. Ss. Philippi et Iacobi; 13. Ss. Simonis et Iudae; 14. S. Lucae Evang.; 15. S. Marci; 16. S. Stephani Protom.; 17. Ss. Innocentium; 18. S. Laurentii M.; 19 S. Ioachim Patris B. M. V.; 20. S. Annae.

Quibus adiicenda sunt nonnulla festa particularia, quae Apostolicae Sedis indulto alicubi sub ritu duplici secundae classis celebrantur, v. g. festum Angeli Custodis, et similia.

Duplicia secundae classis tertii ordinis sex sunt, videlicet: 1. Festum SS. Nominis Iesu; 2. Inventionis S. Crucis; 3. Pretiosissimi Sanguinis; 4. Solemnitas SS. Rosarii; 5. Festum B. Mariae Perdolentis (mense septembris); 6. Patrocinium s. Ioseph.

Haec festa in universa Ecclesia celebrantur uti *secundaria*. quas proinde, iuxta rubricas, primarii eiusdem classis cedere fas est.

Ad hunc quoque ordinem spectant duplicia illa secundae

classis, quae alicubi celebrari possunt ex S. R. C. venia, si secundaria sint; uti ex. gr. Dedicatio Cathedralis pro Regularibus.

142. *Duplicia maiora*, eadem iura habent sicut duplicia minora, his tamen praeferuntur: distinguuntur in quinque ordines.

Duplicia maiora primi ordinis sunt, quae in quacumque occurrentia, etiam duplicis I. classis, semper praeferuntur: duo tantum habentur, nempe: 1. Dies octava Epiphaniae; 2. Dies octava Paschatis, seu Dominica in Albis (*Rubr.* post tabellam occurrentiae, n. 1).

Duplicia maiora secundi ordinis sunt, quae non omittuntur, nisi occurrente duplici primae classis. Ad hunc ordinem non pertinet nisi unum officium, nempe dies octava Corporis Christi (*Rubr. gen.* tit. X, n. 1).

Duplicia maiora tertii ordinis sunt quae praeferuntur tam in occurrentia quam in concurrentia ceteris ipsis duplicibus maioribus; sunt autem duo: 1. Dies octava Ascensionis; 2. Dies octava Dedicationis propriae ecclesiae (cf. primum inter notanda ad tabellam concurrentiae). Huic ordini accensendi sunt quoque dies octavi cuiuscumque festivitatis Domini, quae sit primaria; uti ex. gr. dies octava Transfigurationis Domini. Suo loco demonstrabimus, cum Gavanto, quod dies octavi festorum Domini sint vere duplicia maiora.

Duplicia maiora quarti ordinis, sunt quae praeferuntur in occurrentia aliis duplicibus maioribus secundi ordinis; hodie undecim habentur in Breviario romano: 1. Transfiguratio D. N. I. C.; 2. Dedicatio Archibasilicae SS. Salvatoris; 3. Dedicatio Basilicarum SS. Ap. Petri et Pauli; 4. Festum S. Mariae ad nives; 5. Angelorum custodum; 6. S. Barnabae apostoli; 7. S. Benedicti abbatis; 8. S. Dominici conf.; 9. S. Francisci Assisiensis conf.; 10. S. Francisci Xaverii; 11. S. Patroni minus principalis.

Aliqua festa natalitia Sanctorum, quae alicubi ritu duplici maiori celebrantur, v. gr. Ss. Gabrielis et Raphaelis Archangelorum, huic ordini accensentur.

Duplicia maiora quinti ordinis, sunt illa quae praefatis primariis postponuntur, et sunt quindecim: 1. Exaltatio s. Crucis; 2. Festum SS. Nominis B. M. V.; 3. Apparitio B. M. Immaculatae de Lourdes; 4. Festum B. M. V. de Monte Carmelo; 5. Septem Dolorum B. M. V. (in Quadrag.); 6. B. M. V. de Mercede; 7. Praesentatio B. M. V.; 8. Apparitio S. Michaelis Arch.; 9. Decollatio s. Ioannis Bapt.; 10. Cathedra Romana s. Petri; 11. Eadem An-

tiochena; 12. Festum s. Petri ad Vincula; 13. Conversio s. Pauli; 14. Commemoratio eiusdem; 15. S. Ioannis ante Portam Latinam, sunt enim festa *secundaria*.

Adde cetera festa Domini, B. Mariae V. et sanctorum quae primaria non sunt, et aliquibus locis ex S. Sedis indulto celebrantur hoc ritu duplici maiori, ex. gr. SS. Redemptoris, et Patrocinium B. M. V. et similia.

143. *Duplicia minora*, ea sunt quae in breviario indicantur cum verbo *duplex*, ullo sine addito; vocantur autem minora ne cum maioribus unquam confundantur.

Si diligenter rubricas perscrutemur, facile comperiemus duplicia minora distingui posse in quatuor ordines, pro varia dignitate ipsorum.

Duplicia minora primi ordinis. Ad hunc ordinem pertinet quaecumque alia *Dies Octava* cuiuslibet festi, tam universalis quam particularis ecclesiae, cuius officium in occurrentiae praefertur omnibus aliis duplicibus maioribus et minoribus; et occurrentibus festis duplicibus secundae, seu etiam primae classis, fit de illo commemoratio (Tab. occurr., n. 3).

Huiusmodi duplicia duodecim habentur in breviario Romano, scilicet: 1. Dies octava Immaculatae Conceptionis B. M. V.; 2. Dies octava Nativitatis B. M. V.; 3. Dies octava Assumptionis B. M. V.; 4. Dies octava s. Ioannis Baptistae; 5. Dies octava Ss. Apost. Petri et Pauli; 6. Dies octava s. Ioannis Ev.; 7. Dies octava Omnium Sanctorum; 8. Dies octava s. Stephani Protom.; 9. Dies octava s. Laurentii M.; 10. Dies octava Ss. Innocentium.

Quibus adiicendae sunt duo quoad locum particularia nempe: 11. Dies octava Titularis Ecclesiae (dummodo non sit festum Domini, quia tunc est *duplex maius* ut supra); 12. Dies octava Patroni praecipui, et aliae, si quae ex indulto Apostolicae Sedis alicubi celebrentur.

Duplicia minora secundi ordinis. Hic ordo comprehendit officia *Doctorum Ecclesiae*, quae post rubricarum reformationem, iuxta breve *Nullo unquam* 28 iulii 1882, etsi nulla gaudeant praecedentia supra cetera duplicia minora per annum, neque in occursu neque in concursu, habent tamen privilegium translationis in casu impedimenti accidentalis.

Haec duplicia minora secundi ordinis sunt hodie viginti duo, quae in rubricis reformatis missalis Romani (tit. XI) describuntur, ubi nomina Doctorum ecclesiae recensentur.

Duplicia minora tertii ordinis sunt, quae per annum

celebrantur in honorem aliquorum sanctorum, martyrum, confessorum, virginum et non virginum, et in casu impedimenti accidentalis non amplius transferuntur, sed eo anno tantum commemorantur, vel penitus omittuntur, ut suo loco explicabimus; quum autem sunt perpetuo impedita, fixe alia die reponenda sunt. Haec duplicia minora primaria iuxta rubricas praevalent aliis festis eiusdem ritus, sed secundariis. In calendario universalis Ecclesiae pro singulis mensibus ita enumeratur: mense ianuarii, n. 7; februarii, n. 8; martii, n. 3; aprilis, n. 7; maii, n. 13; iunii, n. 9; iulii, n. 9; augusti, n. 8; septembris, n. 6; octobris, n. 6; novembris, n. 12; decembris, n. 4; et sunt in totum, n. 92 et omnia *Primaria*.

Duplicia minora quarti ordinis. Ad hunc ordinem unum in calendario universali, festum pertinet, nempe Impressio sacrorum stigmatum s. Francisci quod est *Secundarium*. Huic quarto ordini accensenda sunt quoque cetera festa et translatio Ss., secundaria, ex. gr., Inventio quae alicubi sub ritu duplici recoluntur (1).

(1) En ergo syllabus officiorum duplicium, quae vi rubricarum generalium celebrari possunt per annum:

DUPLICIA	I Classis	1i	Ordinis	N. 20
		2i	»	» 3
		3i	»	» 4
	II Classis	1i	Ordinis	N. 2
		2i	»	» 20
		3i	»	» 6
	Maiora	1i	Ordinis	N. 2
		2i	»	» 1
		3i	»	» 2
		4i	»	» 11
		5i	»	» 15
	Minora	1i	Ordinis	N. 12
		2i	»	» 22
		3i	»	» 92
		4i	»	» 1
			Officia duplicia in totum	N. 213

CAPUT XXX.

DE RITU SEMIDUPLICI EIUSQUE DIVISIONIBUS

144. Officium quod ritu semiduplici persolvitur, habet integrum officium sicut duplex, scilicet, incipit a primis suis vesperis, et desinit ad completorium sequentis diei. Quando vero in primis aut secundis vesperis concurrit cum officio duplici, tunc ut suis locis dicendum est, integras vesperas deperdit.

In officio semiduplici tamen non duplicantur antiphonae, nempe ad matutinum, ad laudes et ad vesperas initium antiphonae tantum dicitur ante psalmos et cantica, sicut fit in ritu simplici.

« Ad matutinum dicuntur tres nocturni praeterquam infra octavas Paschae et Pentecostes, in quibus dicitur unum nocturnum cum tribus psalmis, et totidem lectionibus. Et regulariter quando dicuntur tres nocturni, dicuntur novem psalmi et totidem lectiones; exceptis iis dominicis in quibus fit officium ut in psalterio, quae habent decem et octo psalmos ».

Ad vesperas et laudibus dicuntur suffragia sanctorum, et preces ad primam et ad completorium, ideoque in his, sicut et in non duplicando antiphonas, convenit cum ritu simplici; quia vero semiduplex habet utrasque vesperas et tres nocturnos cum novem lectionibus (proinde venit et ipsum sub nomine *novem lectionum*) convenit cum officio duplici; scilicet, ut diximus, est *quasi-duplex.*

Quoniam ex officiis, quae ritu semiduplici celebrantur, quaedam nunquam omittuntur, alia aliis praeferuntur; vi rubricarum in septem ordines dividenda veniunt.

145. *Semiduplicia primi ordinis*, sunt quae etiam in occurrentia cum duplicibus primae classis, omitti nequeunt.

Haec autem tredecim sunt, nempe: 1. Dominica I Adventus; 2. I Quadragesimae; 3. Passionis; 4. Palmarum; 5. Feria IV; 6. Feria V; 7. Feria VI; 8. Sabbatum, infra octavam Paschatis; 9. Vigilia Pentecostes; 10. Feria IV; 11. Feria V; 12. Feria VI; 13. Sabbatum, infra octavam Pentecostes.

Semiduplicia secundi ordinis, sunt quae in occurrentia

non cedunt, nisi duplicibus primae classis, et sunt quindecim, videlicet:

Dominicae II, III et IV Adventus	N. 3
Dies infra octavam Epiphaniae	» 6
Dominicae Septuagesimae, Sexagesimae et Quinquagesimae	» 3
Dominicae II, III et IV Quadragesimae	» 3
In totum . . .	N. 15

Huic ordini adscribendi sunt etiam dies infra octavam Corporis Christi iis in locis, ubi ex apostolico indulto huiusmodi octava celebratur ad instar octavae Epiphaniae.

Semiduplicia tertii ordinis, sunt quae aliis eiusdem ritus praeferri debent, sed cedunt duplicibus quibuscumque etiam minoribus; sunt autem quadraginta, videlicet:

Dominica infra octavam Nativitatis Domini	N. 1
Vigilia Epiphaniae	» 1
Dominicae II, III, IV, V et VI post Epiphaniam. . . .	» 5
Dominicae II, III, IV et V post Pascha	» 4
Dominica infra octavam Ascensionis	» 1
Dies infra octavam Corporis Christi	» 6
Dominicae omnes post Pentecosten a III usque ad XXIV.	» 22
In totum . . .	N. 40

Semiduplicia quarti ordinis, sunt festa sanctorum, quae per annum ritu simiduplici excoluntur, et aliis eiusdem ritus quinti et sexti ordinis praeferuntur, quia sunt *Primaria*. In calendario universalis Ecclesiae pro singulis mensibus sic numerantur:

Mense ianuarii, n. 4; februarii, n. 0; martii, n. 3; aprilis, n. 4; maii, n. 4; iunii, n. 2; iulii, n. 7; augusti, n. 2; septembris, n. 6; octobris, n. 4; novembris, n. 3; decembris, n. 3. In totum, n. 42.

Semiduplicia quinti ordinis. Ad hunc ordinem pertinet tantum festum Inventionis s. Stephani Protomartyris, quod semiduplex secundarium est: et per consequens aliis festis eiusdem ritus, sed primariis, supra recensitis, postponendum sit. Huic ordini accensenda sunt festa inventionis, translationis sanctorum alicubi ritu semiduplici celebrata, quia sunt *Secundaria*.

Semiduplicia sexti ordinis, sunt dies infra octavas communes quae semiduplicibus supra descriptis cedunt; sunt autem in breviario viginti et octo, videlicet:

Dies 30 decembris infra octavam Nativitatis Domini . .	N.	1
Dies infra octavam Ascensionis (excepta dominica) et feria VI post ipsam	»	6
Dies infra octavas s. Ioannis Bapt., Ss. App. Petri et Pauli, s. Laurentii, Assumptionis, Nativitatis et Immaculatae Conceptionis B. M. V. et omnium Sanctorum, quae vacuae sunt in calendario Romano	»	21
In totum . . .	N.	28

Huic ordini accensendi sunt dies infra octavas Dedicationis ac Titularis ecclesiae, et Patroni loci, nec non dies infra quamlibet octavam particularis festi tam I, quam II classis.

Semiduplicia septimi ordinis, sunt semiduplicia *ad libitum* celebranda, quae omnino cedunt in occurrentia omnibus officiis tam duplicibus quam semiduplicibus supra enumeratis. Hodie duo sunt in breviario Romano, nempe:

1. Festus s. Canuti regis; 2. S. Remigi Ep. C., quibus adiicenda sunt sex alia, nempe: Officia votiva Ss. Angelorum, Apostolorum, s. Ioseph, SS. Sacramenti, Passionis Domini, Immaculatae Conceptionis, in totum sunt octo. Item alia officia votiva, quae alicubi recitari possunt ex apostolica concessione (1).

(1) En ergo syllabus omnium semiduplicium, quae in Ecclesia universali celebrari possunt.

Semiduplicia.

1^{i}	Ordinis	N.	13
2^{i}	»	»	15
3^{i}	»	»	40
4^{i}	»	»	42
5^{i}	»	»	1
6^{i}	»	»	27
7^{i}	»	»	8
	In totum . . .	N.	146

CAPUT XXXI.

DE RITU SIMPLICI EIUSQUE DIVISIONIBUS

146. Officium quod ritu simplici persolvitur, primas tantum vesperas habet, si agatur de festis sanctorum simplicibus; secundas tantum, si agatur de feriis, ideoque ob huiusmodi unitatem vesperarum appellatur officium simplex.

In vesperis festi simplicis dicuntur psalmi feriales. Primo obtutu videretur, quod psalmi et antiphonae in primis vesperis festi simplicis, de eodem festo esse deberent: sed officium feriale non habet primas vesperas, ut diximus: quando ergo concurrit officium feriale cum festo simplici, cum sint eiusdem ritus, psalmi et antiphonae vesperarum de feria occurrenti sumuntur, et a capitulo fit de festo simplici sequenti.

Porro eius officium terminatur ad nonam, et nihil amplius fit de eo, nec commemoratio. Siquidem commemoratio simplicis locum habet, cum impeditur eius officium, in vesperis aut in laudibus; atqui cum simplex festum secundis careat vesperis, et revera eius officium ad nonam terminet, liquido sequitur neque commemorationi eius amplius esse locum.

« Ad matutinum post invitatorium et hymnum de festo dicitur unum tantum nocturnum cum duodecim psalmis, ut in psalterio, secundum feriam quae occurrit », scilicet, quando officium simplex fit de aliquo sancto, vel de s. Maria, ad matutinum habentur tantum proprii invitatorium, hymnus ac versus; psalmi vero et antiphonae sumuntur in psalterio iuxta feriam occurrentem, et tres lectiones leguntur, quod item est nota officii simplicis. Lectiones autem in officio feriali omnes sunt de feria: in festo sanctorum vero prima et secunda ut plurimum de feria, ac tertia de sancto; et aliquando prima de feria, secunda ac tertia de sancto. Officium simplex habet preces ad primam et completorium, aliquando etiam ad laudes et ad vesperas, nec non suffragia sanctorum.

Etiam officia simplicia dividenda veniunt in varios ordines; quaedam enim ex eis ita privilegiata existunt, ut in occurrentia cuiuscumque festi, etiam primae classis, praeferantur; quaedam autem semper commemoranda sint; quaedam denique aliis pri-

vilegiis minoris notae in rubricis decorantur. Porro in octo ordines simplicia distribuuntur.

147. *Simplicia primi ordinis*, sunt quae praeferuntur in occurrentia cuicumque festo etiam primae classis. Sunt autem quinque; nempe: 1. Vigilia Navitatis Domini; 2. Feria IV Cinerum; 3. Feria II Maioris Hebdomadae; 4. Feria III; 5. Feria IV.

Vigiliam Nativitatis Domini hoc loco inscribimus, etiamsi laudes eiusdem ritu duplici agantur, siquidem huiusmodi laudum ritus, hanc vigiliam inter duplicia constituere non valet, cum duas vesperas nec habeat, nec habere queat.

Simplicia secundi ordinis, sunt quae in occurentia cedunt omnibus duplicibus, etiam translatis, et semiduplicibus occurrentibus, in quibus tamen semper commemorantur; duplicibus autem tertii ordinis, semiduplicibus sexti et septimi ordini, praeferuntur, quia octavae inceptae, his simplicibus advenientibus, intermittuntur, atque officia *ad libitum* fieri in eis nequeunt. Sunt autem duodecim, nempe:

Officia ferialia Hebdomadae Passionis . . . . . N. 6
Officia feralia com maioribus antiphonis *O*..... a die 17 ad 23 decembris . . . . . » 6

In totum . . . N. 12

Simplicia tertii ordinis, sunt quae respuunt quidem duplicia tertii ordinis et semiduplicia sexti ordinis, nempe dies infra octavas; admittunt tamen semiduplicia septimi ordinis, nempe officia votiva; et in occurentia qualiscumque officii, etiam primae classis, semper commemorantur.

Hae sunt feriae omnes Quadragesimae, quae recurrunt a die Cinerum usque ad sabbatum *Sitientes*, n. 27.

Simplicia quarti ordinis, sunt quae etsi cedant cuicumque officio duplici, etiam translato, et semiduplici cuiusque ordinis (admittunt enim octavas et officia votiva), nihilominus ita sunt privilegiata, ut de eis fiat commemoratio in quocumque festo etiam primae classis. Haec sunt viginti et unum:

Feriae Adventus, usque ad diem 17 decembris, quae esse possunt . . . . . N. 17
Feria II Rogationum . . . . . » 1
Feriae *Temporum* septembris. . . . . » 3

In totum . . . N. 21

Consulto omisimus ferias Temporum Quadragesimae, quippe quae ordine quarto iam inscriptae: Temporum Pentecostes, cum inter semiduplicia primi ordinis comprehendantur; et Temporum Adventus, quia, si ante diem 17 decembris occurrant, tunc in quarto hoc ordine simplicium iam comprehenduntur; si post, tunc inter simplicia secundi ordinis, ut facile apparet, adnumerantur.

Simplicia quinti ordinis, sunt quae in occurrentia cum duplicibus primae classis penitus omittuntur, si vero cum quibuscumque aliis occurrant, tunc commemorantur, atque in occurrentia cum die dominica, anticipantur in sabbato. Haec sunt omnes vigiliae communes, quae sunt undecim, scilicet:

1. Vigilia S. Mathiae Ap.; 2. S. Ioannis Bap.; 3. Ss. App. Petri et Pauli; 4. S. Iacobi Ap.; 5. Laurentii M.; 6. Assumptionis B. M. V.; 7. Bartholomaei Ap.; 8. S. Matthaei Ap.: 9. Ss. Simonis et Iudae App.; 10. Omnium Sanctorum; 11. S. Andreae Apostoli.

De vigiliis Immaculatae Conceptionis B. M. V. et s. Thomae ap., non loquimur, quia de eis nil fit nisi in missa, occurrunt enim necessario in Adventu.

Item tacuimus de aliis vigiliis privilegiatis, quas supra propriis locis pro cuiusque dignitate inscripsimus. Si autem alicubi vigiliae celebrentur aliquorum principalium festorum, ipsae huic ordini adscribendae sunt.

Simplicia sexti ordinis, sunt quae in occurrentia cuiuscumque duplicis vel semiduplicis, aut etiam simplicis ex ordinibus supra expressis, penitus omittuntur, sed praeferuntur simplicibus sanctorum, de quibus in ordine sequenti. Ad hunc ordinem pertinet officium tantum s. Mariae in sabbato.

Simplicia septimi ordinis, sunt quae cedunt quidem omnibus officiis supra enumeratis, sed de eis fit commemoratio in quocumque officio occurrente, excepto duplici primae classis.

Haec in calendario universalis Ecclesiae pro singulis mensibus ita enumerantur:

Mense ianuarii n. 8; februarii n. 6; martii n. 2; aprilis n. 3; maii n. 9; iunii n. 8; iulii n. 12; augusti n. 14; septembris n. 9; octobris n. 6; novembris n. 10; decembris n. 3. In totum n. 90.

Simplicia octavi ordinis. Ad hunc ordinem denique spectant omnia officia feralia per annum, quae in superioribus ordinibus non comprehenduntur, atque in qualiscumque officii occurrentia penitus omittuntur, absque commemoratione. Haec in calendario

universalis Ecclesiae plura vel pauciora, pro mutabilitate Quadragesimae, esse possunt sexaginta et sex (1).

(1) En itaque summa omnium officiorum simplicium, quae fieri possunt per annum:

Simplicia.

1i	Ordinis	N. 5
2i	»	» 12
3i	»	» 27
4i	»	» 21
5i	»	» 11
6i	»	» 35
7i	»	» 90
8i	»	» 66
	In totum . . .	N. 267

Quapropter summa omnium officiorum breviarii haec est:

Duplicia	N. 213
Semiduplicia	» 146
Simplicia	» 267
In totum . . .	N. 626

CAPUT XXXII.

DE FESTIS PRIMARIIS ET SECUNDARIIS

148. Per distinctionem inter festa primaria et secundaria a recentissimo iure liturgico inductam, quodammodo ortum habuit nova classis inter varios ritus, scilicet, nova subdivisio inter festa eiusdem ritus et classis. Hinc in hoc capite, quasi praecedentis continuatione, de huiusmodi festorum qualitate nobis nunc est agendum.

Ex festorum multiplicatione, maxime mobilium, quae saeculis XVIII et XIX nimis perecrebuerunt (1), facilius et frequentius conflictus habetur in calendariis praesertim particularibus, inter festa eiusdem ritus et classis, eadem die occurrentibus. Hinc quaevis radix praelationis perscrutata fuit, ut ratio haberetur pro celebratione unius prae alio ex duobus festis; hinc inventa distinctio inter festa primaria et secundaria.

(1) Vide ex. gr. Calendarium fratrum Minorum, et dioecesanum Bononiense, in quo quatuor tantummodo habentur dies vacui!!!

In subiecta tabella damus numerum festorum, quae in tota Ecclesia celebrabantur et celebrantur, a tempore s. Pii V usque ad nos. Inter semiduplicia non adnumeratae sunt dominicae.

FESTA	Sub Pio V 1568	Sub Clemente X 1672	Sub Pio VII 1800	Sub Pio X 1908
Duplicia I Classis	20	20	20	24
» II Classis	19	21	24	28
» Maiora	—	18	24	30
» Minora	56	55	103	124
Semiduplicia	58	92	96	90
In totum . . .	153	206	267	296

Ex quo patet festa duplicata fuisse.

Haec distinctio etiam apud antiquos ignota non fuit; legas Guyetum, qui obiit anno 1664, et Meratum, qui decessit anno 1744. Primus (*Heortologia*, lib. I, c. 8), ait: « Quoniam praeter *primarium* (patronorum) festum, contingit non raro, alia festa de iisdem sanctis celebrari,.... iuvat de festis illis *secundariis* pertractare ».

Alter vero (*Rubr. Brev.* sect. III, c. 9, n. 3) scribit: « Si sermo sit de festis *secundariis* concurrentibus vel occurrentibus cum festis *primariis* » etc.

Progressu vero temporum scriptores liturgici, hisce vocibus pluries usi sunt; sint pro omnibus A. Carpo (P. II, c. 10, n. 2), et de Herdt (P. IV, n. 267, 4 Reg.).

Sed et S. R. C. pluribus in decretis suis has voces usurpavit, ex. gr. in decretis 11 maii 1743, n. 4143, et 26 ianuarii 1793, n. 4448, nec non 3 aprilis 1821, n. 4579, antiquae collectionis. In hoc postremo respondit: *Primaria* festa s. Ioannis Baptistae et Ss. App. Petri et Pauli praeferri festo SS. Cordis Iesu, ubi ritu I classis celebratur, utpote *festum Domini secundarium* (1).

Neque dicas haec omnia citata decreta in nuperrima editione expuncta fuisse, quia leguntur in antiqua, ubi stant ad probandum a S. R. C. vocum *primarii* et *secundarii* usum fuisse acceptum.

Sed et martyrologium romanum validissimum argumentum nobis exhibet, quia, ut vidimus supra n. 111, festa secundaria Domini, B. Mariae et sanctorum, ultimo loco in eo inscribuntur.

149. Cum autem, iis non obstantibus, inter liturgicos scriptores, adhuc quaestio agitaretur, num scilicet primaria festa sanctorum praecedentiam haberent supra festa secundaria Domini et B. M. V. in paritate ritus, eadem S. R. C. in hac doctorum dissidentia, die 10 maii 1878: « Nullam in casu dandam esse responsionem – censuit – antequam generalis quaestio super occurrentiam et concurrentiam festorum omni ex parte definiatur ».

Post decennium, scilicet anno 1888, votum, uti dicitur, ex officio, ad S. R. C. delatum fuit, in quo probare contendebat con-

(1) Si lubet videnda sunt etiam decreta 1 septembris 1838, n. 4862 ad 4; 3 augusti 1839, n. 4859 ad 12; 22 maii 1841, n. 4921 ad 1; 16 aprilis 1853, n. 5183, dub. 2 et alia plurima, ex quibus probe evincitur S. R. C. iam ab anno 1743 suam fecisse distinctionem inter primaria et secundaria festa.

sultor, non esse accipiendam distinctionem inter primaria et secundaria festa. Nos autem, tunc Romam petiti, ad obsequium filiale praestandum Pontifici Leoni XIII, in suo iubilaeo, audivimus de illo voto, et contra illud dissertationem confecimus, quae in *Ephemeridibus Liturgicis* illius anni (vol. II, p. 593–614), prodivit. In ea multis argumentis comprobare sategimus doctrinam, quae tenet: Festa primaria sanctorum, praecedentiam habere super festa secundaria Domini et B. Mariae Virginis in paritate ritus.

Quamquam votum nostrum a S. R. C. exquisitum non fuisset, illi tamen oblatum est, uti asserit cl. Caprara in suo suffragio super decreto generali n. 3808 (vide vol. IV Decretor. p. 377). Quapropter tertium votum S. R. C. exquisivit, ab alio liturgico viro, qui sententiam nobis contrariam tuendam aggressus est.

Quae cum ita res essent, ex voluntate ipsius Pontificis, praelaudatus Augustinus Caprara, praedictum suum suffragium emisit (1) nostram sententiam defendens, ex quo tandem S. R. C. celebre suum edidit decretum, d. d. 17 iunii 1893, n. 3808; et die 22 sequentis augusti catalogus prodiit festorum, quae uti primaria et secundaria retinenda sunt, sicque causa finita est.

Quid autem sibi velint hae voces *Primarium* et *Secundarium*, uti adiecta alicui festo, nunc est nobis declarandum.

150. Sancta mater Ecclesia, dum per anni circulum memoriam mysteriorum ineffabilis Redemptionis nostrae nobis exhibet recolendam, aut gloriam Virginis Deiparae, aliorumve sanctorum celebrandam, pro diversitate excellentiae singulorum mysterium et dignitatis sanctorum, festa quoque maioris vel minoris solemnitatis constituit.

Certe prolixiores essemus si testimonia Patrum heic referre vellemus, quibus primaevae Ecclesiae usus comprobatur festivitates celebrandi diverso ritu ac solemnitate. Sufficiat meminisse homilias et sermones, qui in breviario leguntur, in quibus luculentissime id demonstratur (cf. Guyetum, lib. I, quaest. 12).

Nihilominus usque ad saeculum decimum quintum festa, quoad ritum, dividebantur in duplicia, semiduplicia et simplicia.

(1) Antequam suum suffragium vulgaret eximius et modestissimus vir, illud nobis humanissime misit, ut melius nostra sententia inibi confirmaretur. Historiam huiusce disputationis vide in *Ephemerid. Liturg.*, anno 1893, p. 461-467, nec non in Solans, *Prontuar. liturg.*, 1897, p. 73.

In emendatione s. Pii V accepta fuit distinctio duplicium primae classis, secundae classis, et duplicia per annum. Sub Clemente VIII inductus est novus ordo duplicium maiorum, qui in recognitione Urbani VIII retentus fuit (cf. Gavantum, sect. III, c. 2, n. 3).

Sicut enim dignitas alicuius personae perpenditur a gradu honoris quo gaudet in societate; ita et in liturgia, dignitas festorum desumitur ab excellentia et praestantia personarum quae honorantur.

Hinc exoritur ordo festorum iuxta dignitatem personarum, in Rubrica (tit XI, n. 2) et a S. R. C. (22 augusti 1711, n. 3841, ant. coll.) exhibitus, qui sequens est: 1. Festa Domini; 2. B. Virginis Mariae; 3. Angelorum; 4. S. Ioannis Baptistae; 5. S. Ioseph, B. M. sponsi; 6. Apostolorum et Evangelistarum; 7. Ceterorum sanctorum atque sanctarum.

Haec vero dignitas dicitur *intrinseca;* oritur enim ex intrinseca excellentia mysteriorum, aut personarum, qua aliae aliis praeponuntur; ita ut, ex hac prima dignitate intrinseca, festa Domini semper festis B. Mariae praeferenda sint; festa Virginis, festis Angelorum, et sic de ceteris iuxta ordinem.

151. Attamen habetur quoque alia dignitas, quae non perpenditur ex meritis, seu excellentia obiectiva personarum, sed ex quadam alia praestantia *extrinseca*, quae ad nos magis attinet. Est velut alius ordo hierarchicus nobis proximus, quo fit, ut persona aliqua, dignitate *intrinseca* inferior, ob peculiares loci vel civitatis attinentias dignitate *extrinseca* aliis evadat superior. Sit exemplum: Patronus loci, quamquam unus sit ex sanctis in ordine hierarchico inferioribus, nihilominus, ratione patronatus, illo in loco magis honoratur et colitur, quam digniores dignitate *intrinseca*, quando haec non sint ex privilegiatis, prout explicabimus.

Quando ergo eodem die occurrat festum Domini secundarium, ex gr. SS. Redemptoris, quod potius in choro recolitur quam a populo, et festum sancti Patroni minus principalis, quod a christiana plebe festivius celebratur (ad hoc enim ab ecclesia patroni locis conceduntur), non capitur quomodo festum illud Domini valde secundarium, celebrari debeat, et festum patroni, quia eiusdem ritus, transferri. Siquidem, ut sapienter nobis vir eminentissimus dicebat, hoc videretur quasi populorum deceptio; ipsi enim templum petunt patronum proprium rogaturi eiusque imaginem, vel forsan reliquias, veneraturi, dum revera in templo aliud agitur officium.

Idem dicendum venit de sanctis, quorum sacrae reliquiae in ecclesiis conduntur, testante enim beato Ambrosio (Serm. 77): « Cuncti martyres devotissime percolendi sunt; sed ii a nobis praecipue venerandi, quorum reliquias possidemus ». Isti sunt ergo sancti, qui pro nobis advocati constituuntur in caelis, ac proinde ob eorum gratum patrocinium nobis cariores et honorabiliores fiunt.

Mens enim est matris Ecclesiae ut sancti, qui tamquam proprii et particulares alicubi excoluntur, aliis praeferantur. Hi sunt iuxta clar. Cavalerium (tom. II, decr. 221 n. 3): « qui vel ortu, vel occubitu, insigni commoratione, advectione reliquiarum, invectione fidei, doctrina, miraculis, aut gratia aliqua inibi fuerunt illustres, habentur prae ceteris ut patroni particulares, particularemque ad respectiva loca quamdam habent attinentiam et cultum, connaturalem solemnitatem et celebritatem sibi inibi vindicant, vi cuius specialem populi requirunt affectum ».

Quod hisce in casibus praeferatur festum Domini celeberrimum in tota Ecclesia, ideoque dignius dignitate *intrinseca* et *extrinseca*, hoc facile intelligitur; quod vero id quoque agatur in casu, quando festum Domini secundarium omnino est, et festum sancti primarium et magis in loco solemne, prorsus non videmus, cur a propria die sanctus ille amovendus sit.

De cetero, animadvertendum est, cultum sanctorum ad Deum uti finem ultimum referri, ideoque in solemnitatum disparitate nihil officit, ut festum Domini cedat festo unius sancti.

Huius *extrinsecae* nobilitatis duae species habentur; prima est diversitas ritus, nempe, duplex primae et secundae classis, duplex maius et minus, ac semiduplex. Ex hac prima specie extrinsecae nobilitatis, nonnulla sanctorum festa, festis Virginis Deiparae, imo et Christi Domini, praeferuntur. Ita ex gr. solemnitas Ss. Petri et Pauli ritu duplici primae classis celebratur Transfiguratio vero D. N. I. C. ritu tantum duplici maiori recolitur. Item festum s. Annae ritu duplici secundae classis decoratur dum quamplurina festa eius Filiae Immaculatae, ritu duplici maiori excoluntur. Quare hoc? Quia dictae sanctorum festivitates, etsi dignitate *intrinseca* inferiores censeantur, attamen nobilitate *extrinseca* superiores sunt ex rubricarum et S. R. C. dispositionibus.

Secunda species huius *extrinsecae* nobilitatis est illud privilegium, quo aliquae potiuntur festivitates, adeo ut in quacumque occurentia nunquam omittantur. Ex hac secunda extrin-

secae nobilitatis specie ex. gr. provenit, quod festum s. Ioannis Baptistae, occurrens simul cum festo SS. Cordis Iesu eiusdem ritus, huic praeferatur.

Quapropter evidentissime demonstratur, quod in perpendenda duorum festorum excellentia, non tantum dignitas *intrinseca*, sed et *extrinseca* nobilitas computari debeat.

Attamen, ratione huiusce extrinsecae nobilitatis factum est ut plurima sanctorum festa, non tantum in disparitate, sed etiam in paritate ritus, festis Dominis et B. Mariae Virginis praeferantur. Siquidem in onorem Domini nostri I. C. et Matris suae plurima per annum festa instituta sunt ab universa Ecclesia celebranda, et plurima alia aliquibus locis concessa; sed cum omnes istas festivitates non eodem honore prosequamur, ex illis aliquae dicuntur *primariae*, aliquae *secundariae*.

152. Primaria dicuntur festa Domini et B. Mariae Virginis quae pro obiecto habent aliquod mysterium eorum vitae, quod non continetur in alio ipsorum festo. Ita ex. gr. Nativitas, Epiphania, Ascensio, Transfiguratio D. N. I. C., Immaculata Conceptio, Annunciatio, Assumptio, Purificatio, Nativitas B. M. V., talia sunt mysteria inter se distincta, ut revera festivitates in eorum honore constitutae nil habeant commune cum aliis, nisi obiectum principale, scilicet personam Christi, vel Deiparae.

Ex adverso festa SS. Nominis et Pretiosissimi Sanguinis Iesu, S. Nominis Mariae eiusque Praesentationis, Maternitatis, Puritatis etc., mysterium exhibent excolendum, non undequaque distinctum, sed in aliis iam comprehensum, et ceteroquin multo minus celebre quam alia principaliora. Illa ergo festa dicta sunt *primaria*, haec *secundaria*, quia etiam a populo, uti patet, illa celebriora et magis honoranda existimantur, haec vero nonnisi secundi ordinis et minoris excellentiae reputantur.

Hinc est quod festa secundaria non habentur nisi de personis, quae duo vel plura habent festa per annum, scilicet D. N. Iesus Christus, Maria SS., s. Michäel, s. Ioannes (1) s. Ioseph, Ss. Petrus et Paulus apostoli, s. Stephanus Protomartyr, et s. Franciscus Assisiensis; de aliis enim sanctis unum tantum festum habentibus, festum ipsum primarium, ex natura rei, dicitur, et est.

(1) Decollatio s. Ioannis Baptistae inter festa secundaria recensetur in catalogo festorum; nihilominus bene poterat inter primaria retineri eo quod martyrium eius sit revera distinctum obiectum in Nativitate non comprehensum.

Curnam autem hanc praecedentiam talibus sanctorum festis tribuit Ecclesia? Quia, prout suo loco dicemus, dies natalis vel quasi natalis solemnior iudicatur, ita ut, eo transacto, ordinarie solemnitas quoque evanescit, ac proinde tam in concurrentia, quam in ordine translationis plurium officiorum translatorum, sola dignitas intrinseca computatur.

P. A. Carpo (*Bibl. lit.* P. II, c. X, n. 2) hac super re optime docet: « In festis secundariis etiam insigni (*intrinseca*) dignitate praeditis, si simul occurrant, quamquam praeferatur dignius, tamen si occurrant cum festis *primariis*, istis cedunt officium utcumque sint inferioris dignitatis obiectivae ». Et perpulchram rationem affert dicens: « Quia festa primaria et secundaria non sunt eiusdem classis, sed illa spectant ad classem superiorem.. Quocirca, sicut non attenditur dignitas quando festa non sunt eiusdem ritus, ita nec perpendi debet cum festa non sunt eiusdem classis ». Nova quidem est ista locutio, sed spiritui Rubricarum ac menti S. R. C. apprime consona.

153. Quibus ex causis S. R. C., omnibus mature perpensis rationibus tum a D. Foppiano O. S. B. et P. Schober Ss. R. ex una parte, tum ab archipr. P. Piacenza, et Promotore Fidei ex alia, adductis, rescribendum censuit: « Festa primaria, utpote solemniora, aliis secundariis in casu praeferenda esse tam in occursu quam in concursu; et fiat catalogus festorum, quae uti primaria vel secundaria retinenda sunt die 27 iunii 1893 ».

Catalogus autem confectus statim fuit, et decreto 22 augusti eiusdem anni comprobatus (1).

Opportune in huiumodi catalogo inter primaria festa recensentur: « dies natalitia, vel quasi natalitia uniuscuiusque sancti »; et inter secundaria: « Alia quaecumque festa sive Domini sive B. M. V. sub aliquo peculiari titulo sive sanctorum, praeter eorumdem natalem diem, uti inventionis corporum, translationis, receptionis, patrocinii et hisce similia ».

Notandum tamen est, quod aliquod festum ex natura sua *secundarium*, per accidens *primarium* fieri potest. Ex gr. festum SS. Nominis Iesu, vel SS. Rosarii B. V. est secundarium, attamen in ecclesiis, quae illis dicatae sunt, festum evadit primarium, utpote titulus ecclesiae.

(1) Ne prolixiores simus quam decet, festa, quae supra retulimus, iuxta diversitatem ritus, classis et ordinis iam indicantur quae sint primaria et quae secundaria, quin catalogum hic exhibeamus.

Ex adverso festum per se primarium, fieri potest secundarium, quando scilicet festivius et solemnius celebretur alicuius sancti dies quasi-natalitia, et minus solemniter dies natalis. Casus habetur apud Presbiteros Congregationis Missionis, qui festum solemne s. Vincentii a Paulo fundatoris celebrant die sua quasi natalitia 19 iulii, dum in die obitus 27 septembris, scilicet in natalitia die, aliud festum celebrant eiusdem fundatoris, ex indulto S. Sedis, sub ritu duplici maiore. Hoc aliud festum, licet natalitium, per accidens uti secundarium haberi debet.

CAPUT XXXIII.

DE FESTIS LOCALIBUS, AC PRIMUM DE DEDICATIONE ECCLESIAE

154. Inter duplicia I classis iam posuimus in ordine secundo localia festa, nempe dedicatio ecclesiae, patronus loci, et titulus ecclesiae. De his tamen singillatim est nobis disserendum, quia legibus peculiaribus eorum festa et officia recoluntur. Sit ergo primum de dedicatione ecclesiae.

Ad rem scribit Martène (*Ant. rit.*, l. II, c. 13, n. 1): « Inter solemnes Ecclesiae coeremonias, quae fidelium fovendae pietati institutae sunt, vix ulla unquam basilicarum dedicatione extitit illustrior. Nam sive rei ipsius naturam spectes, sive multiplicem rituum apparatum, sive ministrorum dignitatem, omnia nescio quid sanctum ac religione christiana dignum spirant, quo mens a rebus terrenis abstracta ad coelestia miro prorsus modo rapiatur... Ad cuius dedicationis solemnitatem illud accedit, quod non nisi in communi episcoporum concilio perageretur. Nam etsi unius dumtaxat episcopi mentionem faciant libri rituales et pontificales tam vetustissimi, quam recentiores, certum est nihilominus plures olim ad basilicarum dedicationem, praesertim insigniorum, pontifices convocatos fuisse, id quod infinitis prope exemplis comprobari facile posset ».

Nostra aetate percelebris fuit dedicatio basilicae Ostiensis s. Pauli, quam pontifex Pius IX die 10 decembris 1854 solemnissime peregit, magna patrum cardinalium et episcoporum corona circumdatus.

Teste Eusebio (*Vita Constantini*, c. 43), cum imperator Constantinus magnificentissimam construxisset ecclesiam Hierosolymis, episcopos in concilio Tyrensi ab omnibus provinciis congregatos eo advocavit, ut eam solemni ritu dedicarent. Huiusmodi consuetudo dedicandi ecclesias cum magno episcoporum numero, viguit semper et in occidentali ecclesia, ut facile probatur ex historicis monumentis, citatis ab eodem Martène, qui etiam notat: « episcopos qui ad ecclesiarum dedicationes convo-

cabantur, non solum testes, sed etiam consecrationis adiutores extitisse, quamquam unus ex illis principalis consecrator semper extiterit ».

Ritus autem ad dedicationem sacri templi, qui hodiedum in Pontificali Romano invenitur, antiquissimus est; ex. gr. de vigiliis mentio habetur in epistola 22 s. Ambrosii ad sororem Marcellinam, et apud Gregorium Turonensem (*Glor. Mart.*, c. 34), itemque de reliquiis sanctorum recondendis in altari. Imo aliquando viguit etiam consuetudo includendi cum reliquiis aliquas particulas Corporis Christi.

Item circa alphabetum quod consecrator in pavimento ecclesiae, cinere consperso describit cum baculo pastorali, notat Menardus olim non solum latine et graece, sed etiam hebraice delineatum fuisse (cf. Martène, ib. n. XI et XIII).

Festum ergo ipsius diei dedicationis ecclesiae inter solemnissima semper habitum fuit; patres enim nostri ab incunabulis Ecclesiae ritum hunc celeberrimum ex vetere sumpserunt Testamento, exemplum secuti Iacob (*Gen.* XXVIII, 18), Moysis (*Levit.* VIII, 10), Salomonis (III *Reg.* III, 63), Esdrae (I *Esdr.* VI, 16) ac Iudae Machabaei (I *Mac.* IV, 48) et maxime SS. Redemptoris nostri (*Io.* X, 22). Attamen, in rubricis non minori solemnitate recolitur dies anniversaria dedicationis, quae singulis annis celebranda est. Omnium enim ecclesiarum, quae ab episcopo reapse consecratae fuere (non benedictae tantum), festum dedicationis, sive in die ipsamet, sive in anniversaria, omnino celebrari debet, iuxta s. Felicis Pp. IV praeceptum, quod refertur in canone *De Consecratione* (dist. 1, C. *Solemnitates*).

155. Ecclesia autem *propria*, ad effectum eius dedicationis officium recitandi, bifarie accipi potest. Primo modo vox *propria* accipitur in sensu stricto et naturali, videlicet, ea dicitur ecclesia propria, quae particulare ligamen nobiscum habet, sive ratione beneficii, sive ratione servitii. Hinc pro cardinali ex. gr. ecclesia propria est titulus eius vel diaconia: pro episcopo sua cathedralis: pro parocho sua parochialis: pro canonico sua ecclesia choralis: pro beneficiato quocumque, ecclesia in qua beneficium possidet.

Ratione autem servitii, pro regulari vel moniali, ecclesia *propria* est ecclesia sui conventus: pro oeconomo, vice-parocho, capellano, aut custode, qui eo munere ita funguntur ex deputatione episcopi, ut ipsis non sit liberum propria voluntate illud deserere, ecclesia propria dicitur illa, in qua etsi verum bene-

ficium non obtineant, eiusmodi tamen concreditum sibi ministerium exercent (S. R. C. decr. 110, 2369 et 4025).

Ecclesiae autem *propriae*, hoc primo sensu acceptae, dedicatio, ab omnibus celebratur sub ritu duplici primae classis cum octava; atque huiusmodi festum pertinet ad secundum ordinem duplicium primae classis, prout supra demonstravimus.

Secundo modo vox *propriae* lato sensu accipitur, scilicet, propria dicitur etiam ea ecclesia, quae ligamen minus proximum nobiscum habet, non ratione beneficii aut ministerii, sed ratione subiectionis.

Ex hoc capite ecclesia cathedralis, vel quasi cathedralis in sensu canonico cum territorio exempto, sive *Nullius*, dicitur *propria* pro quocumque de clero civitatis et dioecesis.

Recte Cavalerius (loc. cit., decr. 6, n. 1) ait: « Bifariam ecclesia cathedralis spectari potest, vel ut loci et dioecesis caput est, ac reliquarum ecclesiarum subditarum parens, vel ut singularis ecclesia est. Festa, quae ad eam spectant primo modo inspectam, ad universum iurisdictionis locum, atque adeo ad subditas omnes eccesias mox extenduntur; huiusmodi enim festa hoc ipso locum ipsum, subditasque ecclesias attingunt, unde et ab omnibus loci subditisque ecclesiis aequum est celebrari ».

Iisdem fere verbis loquitur etiam Guyetus (lib. I, c. 1, quaest. 9). Omnes ergo de clero saeculari dioecesano, sive beneficiati sive non, tenentur recitare officium dedicationis cathedralis, sub ritu duplici primae classis, cum hac distinctione, quod in civitate et suburbiis agitur cum octava, extra vero absque octava (S. R. C. decr. n. 2409 et 3863 ad 4).

Regulares autem, quamquam ab episcopi iurisdisdictione sint exempti, in nonnullis tamen episcopo loci subiiciuntur, ideoque in huiusce subiectionis obsequium, si in civitate vel suburbiis degunt, dedicationis festum agere debent ex praecepto, sub ritu tamen duplicis secundae classis (1) et sine octava; qui vero extra civitatem commorantur, nulla obligatione tenentur (S. R. C. decr. 3863).

Diximus si in civitate vel in suburbiis degunt, eo quod suburbia sicut pro patrono loci, item et pro dedicatione cathedralis habentur pro civitate (cf. Cavalieri t. I, c. 1, decr. 7, n. 8).

(1) Nescimus qua ratione regulares Dedicationem cathedralis celebrare debeat ritu duplici 2 classis, et Titularem (vel Titulares) eiusdem, sub ritu duplici 1 classis. Etenim, subiectionis ratio eadem est, ideoque idem esse deberet modus, utrumque festum celebrandi.

Porro, cum cathedralis dedicatio, extra ipsam, festum sit proprium, non stricto sensu, sed lato, ideo pro clero saeculari est duplex primae classis tertii ordinis, pro regulari vero, secundae classis item tertii ordinis.

Alio decreto n. 3881, S. R. C. declaravit anniversarium dedicationis ecclesiae non propriae *uti secundarium* habendum esse; non tamen statuit esse vere secundarium. Et sane dedicationes basilicae SS. Salvatoris et Ss. Petri et Pauli, inter primaria festa descripsit, pro toto orbe. Quia enim de una eadem ecclesia unica dedicatio celebratur, haec non nisi primaria esse potest. Sensus ergo illius decreti est, quod dedicatio alienae ecclesiae ut minus proprium festum haberi debet.

156. Ultimis hisce temporibus opportune Sedes Apostolica pluribus dioecesibus et ordinibus concedit ut una die celebretur anniversarium omnium ecclesiarum diecesis seu ordinis. Hinc officium istud recitari debet ritu duplici primae classis cum octava, ab illis etiam clericis nulli ecclesiae adscriptis, vel quorum propria ecclesia reipsa non sit consecrata; quia mens est S. Sedis in hac concessione, *ut uniformitas in toto respectivo Clero obtineatur* (S. R. C. decr. 2784 ad II).

Ad quod omnium dioecesis ecclesiarum dedicationis officium celebrandum, sub ritu duplici secundae classis sine octava, tenentur quoque regulares in civitate vel suburbiis degentes. Ratio est, quia inter dictas ecclesias, etiam cathedralis computatur (S. R. C. decr. 3157), nisi in aliqua dioecesi separatim celebretur, quod vix accidere potest.

Si ex hypothesi parum possibili, in aliqua dioecesi, in qua adesset indultum omnium Ecclesiarum Dedicationem una die celebrandi, cathedralis ecclesia non esset revera consecrata, nihilominus tam ab episcopo, quam a clero cathedralis, dictum officium ob uniformitatem recitandum esset (cf. S. R. C. decr. 2784); clerus autem regularis non teneretur omnino.

Ex dictis colliges: si hodie nova aliqua ecclesia cathedralis consecratur, in ipsa die consecrationis officium dedicationis, cum oratione *Deus qui invisibiliter*, celebrandum esset ab omnibus de clero saeculari civitatis et dioecesis, et de regulari in civitate commorante. Ritus vero esset primae classis cum octava pro civitate, sine octava pro dioecesi, et secundae classis pro regularibus.

Hoc autem in casu episcopus monitum aliquibus diebus antea promulgare deberet, ut omnibus, ad quos attinet, patefieret dies ipsa consecrationis, ac proinde in tali die, post matutinum cum

laudibus ut in calendario recitatis, ab hora tertia et deinceps officium de dedicatione celebrare possint et debeant. Eodem in monito significandum quoque esset, missas post dedicationem peractam, in locis ubi id cognitum fieri possit, de eadem dedicatione celebrandas esse.

157. Dedicatio vero propriae ecclesiae celebratur sub ritu duplici I classis propter duo: 1. Quia ut Guyetus (lib. I, sect. 2, c. 3) scribit: « *Dedicatio* veluti natale est ecclesiae, inquit s. Leo (serm. *de Machab.*), adeoque omnium festorum, quae ipsius ecclesiae propria sunt, radix et origo primaria. 2. Quia dedicatio ecclesiae festum Domini est, ut plures iam docebant, et nunc declaratum est a S. R. C. (decr. 3881); etenim in huiusmodi festivitate cultus directe ad Deum extollitur, non mediate ut accidit in festis sanctorum.

Quapropter, cum titulus, patronus et dedicatio propriae ecclesiae, eiusdem ritus, classis et ordinis sint, illud festum praeponendum venit, quod dignius est: ergo dedicatio *propriae ecclesiae* dignior est patrono loci praecipuo, et titulari iisque per se praeferenda, et eodem decreto statuit S. R. C. « permittitur tamen ut patroni festum, ratione feriationis, anniversario dedicationis praeferatur ».

Aliter dicendum est de dedicatione ecclesiae *non propriae*, scilicet cathedralis extra ipsam, ut iam innuimus, huiusmodi enim festum, etsi quidem dignius dignitate *intrinseca* quia festum Domini, ad tertium ordinem pertinet duplicium primae classis, ideoque cedit titulari et patrono, qui digniores sunt dignitate *extrinseca*.

In actu consecrationis potest quidem episcopus aliam diem designare, pro celebratione anniversarii, postea vero id nequit, inconsulta S. Sede (S. R. C. decr. 2719). Siquidem « dies ipse, quisquis sit - scribit adnotator ad citatum decretum - quo ecclesia consecratur, verus et proprius est dedicationis dies; et ipse dies, qui ab illius dedicatione primitus peracta singulis quibusque annis recurrit, proprius est et verus pariter dies anniversarius eiusdem dedicationis, eodem plane modo, quo dies sancti alicuius natale dicitur. Unde sicut dies natalis sancti alicuius *ordinarie* non mutatur, ita nec dedicationis ecclesiae proprius et verus dies in alium mutari nequit... Itaque extra ipsam consecrationem mutari dies dictus non potest inconsulta Sede Apostolica, quae quidem *difficillime*, et nonnisi gravissimis mota rationibus ad id concedendum inducitur ».

Secundum autem doctrinam Gavanti (sect. VIII. c. 5, n. 4), Guyeti (lib. II, c. 1, quaest. 3) et Cavalerii (T. 1, c. 1, d. 1, nn. 18–23), non tantum potest, sed *debet* episcopus aliam diem assignare, quando dedicationis anniversarium occurreret in diebus privilegiatis a rubrica numeratis: « Cum enim – ait Cavalerius – hi dies repellant quodcumque festum, amotio festis dedicationis in aliquo eorumdem incidentis, non tam congrua, quam necessaria redditur... Ne igitur officium dedicationis semper vage, et seiunctim ab eiusdem dedicationis celebritate recolatur, et ne mutuo duo occurrentia festa se impediant, satius est dedicationis festum in alterum mutare diem, in qua et solemnitas et officium, absque ullo incommodo alterius solemnitatis, celebrari queant ».

158. Insuper citati auctores docent, convenire, ut episcopus mutet diem dedicationis, etiam cum ecclesia dedicatur diebus Purificationis, Annunciationis et Nativitatis B. M. V. propter mysteria in eis celebranda, quae propterea non sunt omittenda: diebus 2 et 3 novembris, propter officium defunctorum, quod in eis celebrandum venit; item diebus, quae occurrunt a 10 mensis decembris usque ad octavam Epiphaniae, et a mense februario usque ad ferme totum iunium, propter impedimenta plurima accidentalia hisce temporibus possibilia, et quia ut plurimum absque octava anniversarium celebrandum foret.

Ultimam causam adiicendam esse censemus pro iis dioecesibus, vel religionibus, quae speciali S. R. C. concessione gaudent, omnium ecclesiarum dedicationem una die celebrandi. Hoc enim in casu consecrator omnino in dicta die assignare *debet* anniversarium dedicationis; quinimo etiamsi id non faciat ad mentem S. R. C. ob decretum citatum 2784, quod tale indultum concedit, ut uniformitas obtineatur in tota religione vel dioecesi, anniversarium ipsum celebrandum foret simul cum omnibus aliis ecclesiis.

Episcopus ergo consecrator in actu dedicationis diem liberam statuat pro celebratione anniversarii dedicationis; et in electione ita se gerat, ut dies assignata non incidat in illis anni temporibus, in quibus facile festa mobilia et solemniora occurrunt, quae proinde anniversarii celebrationem non permitterent.

Advertendum tamen venit, quod fixa dies assignari debet, non mobilis; excepto casu, quo dedicatio facta fuerit die dominica, et consecrator talem dominicam, puta primam vel secundam etc. talis mensis, pro anniversario celebrando assignet: sic Cavalerius (loc. cit. nn. 26 et 27). Ideoque si dedicatio facta fuerit

die feriali, consecrator pro anniversario eius celebrando nequit assignare diem dominicam, nisi tamen in illa religione vel dioecesi peculiaris facultas habeatur celebrandi certa dominica die anniversarium omnium ecclesiarum, de quo supra innuimus (S. R. C. decr. n. 920 et 2815).

Stricto iure, nihil prohibet, quominus episcopus illos dies seligat pro consecratione ecclesiarum, nam Pontificale Romanum aperte dicit: *Omni die de iure potest fieri ecclesiarum consecratio.* Attamen nonnulla animadvertenda veniunt.

Primo quidem, sunt infra annum dies tali honore vel mysterio decorati, ut in ipsis certe non deceret christianam plebem ritu dedicationis distrahere; quinimo ritus ipse incompatibilis quoque foret cum celebratione solemnium rituum, qui eiusmodi diebus occurrunt, verbi gratia: Nativitas Domini, propter tres missas celebrandas, feria IV Cinerum, dominica Palmarum, Triduum mortis Domini, et dominica Paschatis.

Secundo, quia omnino decet, ut peracta consecratione, eius missa celebretur, ideoque non sunt seligendi dies a rubrica excepti, in quibus missa de die dicenda est.

Tertio, quamquam aliquibus in diebus supra enumeratis una missa solemnis de dedicatione celebrari liceat, nihilo tamen minus neque dies illi seligendi sunt, quia mens est Ecclesiae, ut anniversarium dedicationis propria die quantum fieri potest celebretur (S. R. C. 3 decr. 2815 et 2986). Si ergo dies privilegiati seliguntur pro dedicatione, necessario anniversarium alia die celebrandum est.

Quarto, dedecet quoque hos dies seligere quoniam solemnitas dedicationis valde congruit ut sua die celebretur, non tantum cum missa, sed etiam cum proprio officio et cum octava, quod fieri nequit talibus diebus, et fortasse dedicatio sua quoque privaretur octava.

Propter quod episcopi dedicationes ecclesiarum peragant dominicis diebus, *sicuti decentius* esse monet Pontificale Romanum, non tamen impeditis. At diebus primae classis, et aliis in rubrica exceptis, et temporibus Adventus ac Quadragesimae, se abstineant.

159. Officium in die ipsa consecrationis ecclesiae, ut diximus, incipit ab hora tertia, nam primae vesperae, matutinum et laudes, nec non hora prima dicuntur de occurrenti festo in calendario. Postquam autem episcopus ritum expleverit consecrationis, se parat ad missam celebrandam pontificaliter, et cantatur tertia

de ipsa consecratione, ac deinceps, omnes missae privatae, si quae dicendae supersunt, omneque officium persolvitur de dedicatione, prorsus neglecto officio diei. Haec rei ipsa natura suadet, sicque declaravit S. R. C. (decr. 2868).

In quo officio diei consecrationis, commemorationes fieri debent quae admittuntur in ceteris duplicibus I classis, ex. gr. de occurrenti dominica, de octava privilegiata, vel feria maiori; numquam vero de officio diei, quod ut diximus desinit ad primam inclusive (S. R. C. decr. 3605).

Quod si consecratio fiat in die, quae expellit etiam duplicia I classis I ordinis, est distinguendum; vel expellit etiam missam unicam cantatam, ut dicitur in rubrica VI Missalis romani, ex. gr. in dominica Trinitatis et tunc in missa de die fit commemoratio, sub unica conclusione de dedicatione; vel admittit, et tunc unica missa canitur de ipso die dedicationis, ulla sine commemoratione, uti solemnis votiva festiva.

Per octavam et in die octavo fit de dedicatione, vel non, iuxta rubricas.

In fine breviarii, post *Communia Sanctorum*, habetur officium recitandum tam in die quam in anniversario consecrationis ecclesiae, quod inscribitur: *Commune dedicationis ecclesiae*. Gavantus (sect. VIII, in princip.) notat: « Commune continet ea, quae ad horas canonicas sunt necessaria, quando in festis non habentur *propria* . . . », quod cohaeret cum rubrica generali (tit. XII, n. 3) dicente: « Recurrendum est semper ad commune... ubi pro qualitate festi ... omnia ordinata ponuntur, illis exceptis quae *propria* suis locis habentur ». Et alibi (tit. XXVI, n. 2): « In secundo nocturno tres lectiones . . . si non adsint *propriae*, leguntur de communi ».

Lex ista applicatur frequentissime, imo quasi semper, pro sanctorum festis, sed nil vetat quod applicetur quoque pro anniversario dedicationis ecclesiae alicuius: imo id valde decet et convenit; quia si in natalitiis sanctorum legitur historia eorum, quando agitur de aliqua insigni ecclesia, quae memoranda habeat scitu digna, valde interest ut haec legantur in anniversario dedicationis eius.

In breviario exempla non desunt; habemus enim historias in dedicatione basilicarum Urbis, Lateranensis, Vaticanae, Liberianae, Ostiensis; sicut et in proprio ecclesiarum S. Mariae *in Cosmedin*, S. Mariae *trans Tiberim*, S. Marci, et aliarum forsan. Insuper nova non est concessio lectionum historicarum secundi

nocturni pro anniversario dedicationis alicuius cathedralis, nam S. R. C. eas concessit, uti constat ex eius decretis (1).

Huiusmodi lectionum concessio, velut *consona* spiritui Ecclesiae, *convenientissima* et minime *nova*, a S. R. C. non negatur, quando memoriae sacrae scitu dignae non desint, et quando ecclesiae dedicatae excellentia aut dignitas id consulat. Quot illustrium ecclesiarum deperdita est memoria originis, et dedicationis, quae certo non esset perempta, si in eius anniversario lectiones historicae habitae fuissent.

(1) Sit pro omnibus decretum d. d. 2 decembris 1902, a Leone XIII ratum habitum die 16 eiusdem mensis et anni quo approbavit lectiones historicas adhibendas in anniversario dedicationis cathedralis Placentinae. Quae concessio facilius obtenta fuit, cum nos ipsi uti exempla protulimus lectiones a S. R. C. concessas pro cathedralibus Mutinensi, Vercellensi, Vesuntionensi, Coloniensi, Assisiensi. Praenestina, nec non recentius pro Neapolitana et Casinensi, sicut et pro basilicis S. Mariae Angelorum et S. Francisci Assisii, ac pro vetustissima ecclesia, *Turre* dicta S. Benedicti, in Montecasino.

CAPUT XXXIV.

DE TITULARI ECCLESIAE

160. Titulus vox est in latino idiomate quae multipliciter accipitur; usurpatur enim pro monumento, et hoc sensu Absalon ex. gr. erexit sibi titulum in monumentum nominis sui (II *Reg.* XVIII, 18); sumitur et pro altari, et ideo legimus quod *Iacob surgens mane tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo, et erexit in titulum fundens oleum desuper* (*Gen.* XXVIII, 18), quod in ritu ac in officio dedicationis ecclesiae pluries decantatur. In iure autem titulus accipitur pro causa qua quis sibi vindicet rem aliquam ut suam; et pro beneficio ecclesiastico, et etiam aliquando pro ipsa ecclesia. Hinc antiquitus ecclesiae et basilicae non tantum Romae, sed alibi etiam, nomen desumebant a fundatore, vel a consecratore, vel a donatore domus quae in sacrum templum dicabatur; unde orti sunt tituli Pudentis, Equitii, Fasciolae, Eudoxiae, Pamachii; sicut et basilicae sub titulo Calisti, Liberii, Iulii, Damasi, sicut et Constantini et Helenae.

Similiter in libro pontificali legimus s. Evaristum titulos in urbe divisisse presbiteris, et s. Marcellum vigintiquatuor titulos constituisse. Huiusmodi autem sensu, nunc tantummodo vocandae sunt ecclesiae cardinalium ex ordine presbiterali, iuxta Sixti V constitutionem (d. d. 13 mai. 1587).

Quod autem attinet ad rem nostram, *Titulus* (et saepius ac clarius *Titularis*) ecclesiae, is dicitur sub cuius nomine et invocatione ecclesia fundata, ac benedicta, aut consecrata fuit. Quamquam non raro antiqui et recentiores de re liturgica scriptores Titularis cum Patrono confundant, nihilominus, re poenitius inspecta, diversi ac distincti iure meritoque in locutione teneri debent, ut et rubricae melius declarentur, et aequivocationes arceantur.

In rubricis generalibus Breviarii invenimus pluries mentionem fieri Patroni et Tituli, videlicet:

I. In titulo I n. 1 in quo dicitur fieri officium duplex... *in festo Patroni unius vel plurium alicuis loci vel Titularis ecclesiae.*

II. In titulo IV n. 1 ubi decernitur, transferri duplex in dominica occurrens... *nisi illud festum sit de principali Titulo vel Patrono alicuis ecclesiae vel loci.*

III. In titulo VII n. 1 in quo praecipitur agi octava... *in festo principalis Patroni et Titularis loci, vel ecclesiae.*

IV. In eodem titulo n. 3, quando declaratur, infra octavas Paschatis et Pentecostes non fieri posse de aliquo festo, *etiam principali Patrono vel Titularis ecclesiae*; et adhuc bis, et tertio distinguit patronum et titularem per particulam *vel.*

V. In titulo IX n. 3 ubi legitur:... *nisi factum fuerit Patroni, vel Tituli vel Dedicationis ipsius ecclesiae.*

VI. Iterum eodem titulo et numero, ubi dicitur: de principali festo *fit tantum in eo loco vel ecclesia ubi est Patronus vel Titulus.*

VII. In titulo XXXV n. 1 decernitur inter suffragia, ut adiungatur: *commemoratio de Patrono vel Titulo ecclesiae.*

VIII. In duabus tabellis ex rubricis generalibus excerptis, recensetur inter duplicia I classis *Patronus vel Titulus ecclesiae.*

IX. In notandis post tabellam occurrentiae bis invenimus loqui *de Patrono et Titulo.*

X. In tabella concurrentiae legitur inter cetera officia, *Patronus seu Titulus ecclesiae.*

Si hae locutiones invicem conferantur, clarissime apparebit, rubricas loqui voluisse semper de iisdem duobus festis inter se bene distinctis, nempe de *Patrono loci* et de *Titulari ecclesiae*, de quibus ipsae luculentissime erant locutae in loco citato a nobis sub n. 1 cum dixerant: *officium fit duplex... in festo Patroni loci, vel Titularis ecclesiae.*

In relatis ergo locis, in quibus rubricae utuntur particula *vel*, et non ponunt vocem *loci*, post verbum *Patroni*, non sunt intelligendae nisi iuxta sensum supra prima vice clare expressum, scilicet de *Patrono loci et Titulo ecclesiae.*

Similiter tribus locis rubricarum a nobis citatis sub nn. II, III et IV licet legatur: *Titulus vel Patronus alicuius ecclesiae vel loci*, et *Patronus vel Titularis loci vel Ecclesiae*, omnis ratio suadet, vocem *Patronus* referendam esse ad vocem *loci*, et vocem *Titularis* ad vocem *Ecclesiae.*

Ita res clarissima apparet, et dubium quodcumque cessat omnino, neque datur questioni aut confusioni locus; iuxta enim sensum rubricarum, et mentem Ecclesiae, patronus respicit lo-

cum, super quem patrocinium gerit, titularis autem respicit ecclesiam cui nomen imponit.

Aliis verbis, quotiescumque rubrica loquitur de patrono, semper intelligendus est patronus loci, non ecclesiae; et quotiescumque loquitur de titulo, vel de titulari, intelligendus est titularis ecclesiae, et non aliter.

161. Gavantus doctor liturgicus eximius, qui interfuit congregationibus sub Clemente VIII et sub Urbano VIII pro corrigendis rubricis, atque ideo genuinus sensus earum ei non aufugit, numquam confundit patronum cum titulari; scilicet, patronum vocat patronum loci, et nunquam patronum ecclesiae, et in suo celeberrimo commentario rubricarum, caput XII sectionis III intitulat: *De Patrono loci et Titulo Ecclesiae.*

Non sic alii liturgici doctores, alioquin praeclari, Meratus, Guyetus et Cavalerius, ut taceamus de modernis qui illius nimis faciles pedissequi fuerunt. Meratus, in notis ad Gavantum (sect. III, c. 12), statim confundit patronum et titulum; et dum Gavantus docuerat luculentissime: « Patronum esse quem episcopus cum populo sibi patronum elegit, titulum vero a quo denominatur ecclesia » ipse commentator, suo magistro doctrinam tribuit, quam nullibi docuit. Et revera ait Meratus: « Procedit Gavantus ad assignandum discrimen, quod intervenit inter patronum loci, et patronum seu titularem ecclesiae »; ecce confusio, de patrono loci locutus est Gavantus et de titulo ecclesiae, sed de patrono ecclesiae nunquam.

Similiter Guyetus in libro I, caput IV inscribit: *de Patrono seu Titulo ecclesiae*; caput V: *de Patrono seorsim a Titulo*; caput VI: *de Titulo seorsim a Patrono*; et caput VII: *de Patrono seu Titulo loci.* In quibus, uti omnibus apparet, confunditur patronus cum titulo, ita ut iuxta Guyetum dentur patroni loci et ecclesiae, sicut dantur Titulares ecclesiae et loci.

Cavalerius in primo tomo sui operis habet caput II sic inscriptum: *de Patrono vel Titulo ecclesiae*; et caput III: *de Patrono locorum.* Iuxta enim Cavalerium, vox patroni usurpatur tam pro locis quam pro ecclesiis, ita ut, iuxta ipsum, recte dicatur s. Petrus patronus esse basilicae Vaticanae. Hanc locutionem adhibuerunt alii doctores ut De-Herdt, et A. Carpo, ut taceamus de minoribus, sed id certo non sine inutilitate et magna confusione. Id autem adeo verum est, ut quando citati auctores, Gavanto excepto, de ecclesiarum patronis loquuntur, necessario distinguere debeant, inter sanctos, angelos, Deiparam,

et Deum, dicentes: quando ecclesia dicata est alicui sancto, angelo vel Deiparae, tunc hi vocantur *Patroni vel Titulares ecclesiae*; quando vero ecclesia dicata est SS. Salvatori, Corpori Christi, Spiritui Sancto, SS. Trinitati, tunc hae invocationes dicuntur *Tituli*. Nos vero rubricis firmius innitentes, et doctrinae Gavanti, non cognoscimus nisi *Patronum loci et Titularem ecclesiae*; et patronum ecclesiae, vel titularem loci, prorsus respuimus: 1° quia inutiles voces, non enim necessarium est ad illas recurrere iure tam facili. 2° Quia confusionem gignunt, et nisi multae explicationes proferantur, res, ex se tam clara, non parum obscura evadit. 3° Quia non habet radicem in rubricis.

Et sane in locis supra citatis sub nn. IV, V, VII, VIII, IX et X, in quibus loquitur rubrica *de Patrono vel Titulo ecclesiae*, vel loqui voluit de patrono loci, et titulari ecclesiae, in sensu disiuncto, vel de patrono et titulo ecclesiae, in sensu explicativo et coniuncto, nempe de patrono ecclesiae, quasi synonimo de titulari ecclesiae. Si primum, res perbelle et rectissime currit, et rubrica iis locis decrevit, uti par est, quid sit agendum tam de patrono loci, quam de titulari ecclesiae, et sic nullus datur locus dubio, ac lex perfecte explicatur. Si secundum, nempe si Rubrica iis in locis loqui voluit de *Patrono vel Titulo ecclesiae* in sensu coniuncto et explicativo, quasi diceret de patrono ecclesiae seu de titulo ecclesiae, tunc rubrica munus suum non explevisset; et cum decernit, quid sit agendum de patrono ecclesiae, nihil dixisset de patrono loci. Necessario ergo omnibus iis in locis rubrica loqui voluit de *Patrono* vel *Titulo ecclesiae*, in sensu disiunctivo, scilicet de patrono per antonomasiam dicto, nempe de loci patrono nec non de titulo ecclesiae, et sic lex integra profertur.

Praecandi ergo sunt rei liturgicae scriptores ut deinceps, ad mentem rubricarum, et eius commentatoris praeclarissimi, qui est Gavantus, cum loquuntur de patrono, iugiter hac voce utantur pro patroni loci, et numquam pro titulari ecclesiae, et viceversa. Neque dicas in nonnullis S. R. C. decretis non semel vox *patroni* accipi pro patrono ecclesiae, quia ad hoc respondemus: 1° Hac confusione magis usos fuisse in suis quaesitis postulatores, quam S. R. C. 2° Quod si aliquando ipsa S. R. C. tali locutione usa fuit, hoc fecit iuxta petitiones. 3° Denique si hanc confusionem invenimus in decretis saeculi XVIII, et saeculi XIX, in praecedentibus vero, quando scilicet doctores non adhuc illam produxerant, nunquam invenimus.

Quod adeo verum est, ut S. R. C., quae, licet loca supra citata rubricarum immutata reliquerit, aliis tamen locis, in quibus aliquam emendationem induxit, bene mentem suam hac de re declaravit. Sit pro omnibus rubrica 8 post tabellam occurrentiae. Sub Urbano VIII in ea sic legebatur: *Si occurrat ut Patronus vel Titularis ecclesiae descriptus sit* etc.; quae locutio eadem remansit in reformatione prima rubricarum anno 1883 peracta. In ultima ac correctiori emendatione anni 1897, clarius et exactissime sic legitur: *Si accidat ut Patronus loci, vel Titulus ecclesiae descriptus sit* etc. Probavit ergo S. R. C. hanc nostram sententiam, quam iam docuimus anno 1888 (cf. *Ephemerides Liturgicae*, an. II, p. 593). In hac quaestione plurimum est laudandus clarum Van der Stappen (*Sacra liturg.*, tom. I, p. 293) qui distinctionem, de qua agimus, apprime ponit et illustrat (1).

162. Notandum est, quod licet *Titulus*, vel *Titularis*, recte dicatur sanctus vel mysterium quibus dedicatur altare, nihilominus iura et privilegia titularis gaudet tantummodo titularis ecclesiae, dicente rubrica (IX, 3) festum fieri tituli ecclesiae, *non autem alicuius cappellae vel altaris eiusdem ecclesiae.* Quibus verbis restringitur privilegium soli titulari ecclesiae, et negatur, titulari cappellarum vel altarium eiusdem ecclesiae; sive pro cappellis intelligantur, iuxta Guyetum (lib. I, c. 16, q. 1 et 2) et Cavalerium (t. I, dec. 3, n. 16 et 17), ecclesiae parvae cum uno tantum altari, seu oratoria privata; sive pro cappellis intelligantur, more romano, cellae in basilicis, quae non tantum habent altare, sed et chorum anteriorem. De huiusmodi enim titularibus nefas est agi officium, nisi alio titulo iam inveniatur in calendario illius ecclesiae, et multo minus sub ritu primae classis. Si autem agatur de oratorio, seu cappella aut parva ecclesia, apud quam habitat sacerdos qui in ea beneficium possidet, tunc iuxta citatos auctores, beneficiatus de titulari agere debet festum sicut dicitur pro titularibus ecclesiae; uti hodie praescribit S. R. C. per generale decretum n. 4025, de celebranda saltem missa titularis oratorii semipublicis quando sit vel benedictum solemniter, vel consecratum.

(1) Dolendum vero est, quam maxime quia in ultima, seu decima editione (1902) operis praeclari De Herdt, *S. Liturgiae praxis*, quae emendata prodiit iuxta nova decreta et reformatas rubricas, hac de re confusio grandis permanserit.

Pro nostro ergo instituto agendum nobis est de veris et legitimis titularibus ecclesiarum, sub quarum nomine veniunt et oratorii publici. Ecclesiae autem nuncupari possunt a SS. Trinitate, vel a D. N. Iesu Christo, resurgente, ascendente in caelum, a SS. Redemptore, eius Corpore, vel Corde, vel Sanguine sacratissimo, Cruce, Clavibus, etc.; aut a B. Maria Virgine sub multiplici invocatione, ab angelis et sanctis canonizatis, nunquam vero a beatis (S. R. C. decr. 2353).

Quia in Ecclesia occidentali non recoluntur sancti antiqui Testamenti, nisi cumulatim in festivitate Omnium Sanctorum, aut de quibus habeatur reliquia insignis, uti de Ss. Machabaeis, quorum corpora in ecclesia Ss. Petri in vinculis saeculo v translata fuere, hinc sine speciali indulto S. Sedis, nec ipsa altaria dicari possunt, ideoque multo minus ecclesiae (S. R. C. decr. 1978).

Quando titularis ecclesiae celebretur in breviario vel in proprio dioecesis eodem die cum aliis sanctis sociis, eius officium a sociis separandum erit, prout suo loco dicemus.

Titularis eligitur in benedictione primarii lapidis pro aedificanda ecclesia; cum autem ecclesia a sacerdote benedicitur, sive ab episcopo consecratur, titularis reapse constituitur, nec amplius immutari potest nisi ex indulto apostolico (S. R. C. decr. 2853).

163. Quamquam in hoc decreto dicatur titularis posse immutari a S. Sede, nihilominus cum grano salis accipienda est huiusmodi locutio; nam omnibus perpensis dicendum est, immutatio titularis ex natura rei, unquam fieri posse, usque dum templum ipsum materiale subsistit; quod enim factum est, infectum esse non potest; atqui talis ecclesia fundata et consecrata fuit invocato nomine talis sancti, quod revera constituit radicem omnium iurium, quibus gaudent titulares, ergo impossibilis est huius constitutionis destructio.

Dicendum porro est, quod nativo titulari, post peractam consecrationem, alium superaddere episcopum non posse, nisi obtenta auctoritate S. Sedis; sed novi titularis additio, omnino differt a titularis immutatione (1).

(1) De Herdt, qui titulares principales et secundarios admittit, docet etiam (p. 3, n. 123) variari posse titulares et antiquos supprimere, et ad hoc citat decretum cardinalis a latere Caprara 9 aprilis 1802, a Pio VII approbatum, quo nova facta fuit circumscriptio dioeceseon in Gallia. Hoc tamen decretum ad alia applicari nequit.

Festum titularis propriae ecclesiae agitur ritu duplici primae classis cum octava a clero illius ecclesiae, prout supra innuimus de officio dedicationis propriae ecclesiae, non autem cum feriatione, nisi feriatio titulari competat ex alia ratione, veluti si etiam esset loci patronus, vel ab ecclesia universali cum feriatione recoleretur. Quod si aliqua ecclesia non habeat clerum, et non sit parochialis, etiamsi inibi aliqui sacerdotes quotidie celebrent, eius titularis celebrari olim nequibat sub ritu duplici I classis, sed ritu, quo gaudet in calendario, si in hoc contineatur, alioquin nihil (S. R. C. decr. 5183 antiquae collectionis). Hodie vero ex generalibus decretis 9 iulii 1895, n. 3863, et 5 iulii 1899, n. 4025 celebrari debet a rectore ecclesiae, vel publici oratorii: si vero clerus et ipse rector non habeatur, tunc titularis recolitur per solas missas celebratas in eis. Quod si agatur de oratoriis semipublicis, quae sint consecrata, vel saltem solemniter benedicta, tunc pariter celebrandum erit festum titularis cum officio et missa (cf. id. decr. 4025).

Si ecclesia in honorem plurium sanctorum dedicata sit, vel progressu temporis alter titularis adiunctus sit ex apostolico indulto, quorum dies natalitia sit diversa, v. gr. s. Martino Ep. et s. Pantaleoni M., ambo titulares propriis diebus, nempe 11 novembris et 27 iulii, recolendi sunt ritu duplici I classis cum octava. Hoc antiquitus nefas erat, hodie licet (S. R. C. decr. 3417).

Titularis cathedralis celebratur per totam dioecesim ritu I classis cum octava, a regularibus vero sub eodem ritu, sed absque octava (S. R. C. decr. 3863). Item si cathedralis duos habeat titulares, de utroque in dioecesi universa celebrandum est a clero saeculari et regulari, prout supra diximus (S. R. C. decr. 3289).

164. Sunt qui tenent dari posse titulares principales et minus principales seu secundarii, prout dicitur de patronis locorum, ac proinde ritu duplici maiore celebrari; quod est error pergrandis.

Scimus haberi in collectione decretorum S. R. C. nonnullas responsiones, quae huiusmodi titularium distinctioni favent; ut ex. gr. quae inscribuntur n. 3041, et 3417, quibus declaratum est fieri debere festum sub ritu duplici I classis, duorum titularium, *dummodo sint aeque principales*; itaque, arguunt aliqui scriptores, existunt et titulares non aeque principales, scilicet secundarii.

Hoc fortasse, quodammodo eveniri potuit iis in locis in

quibus antiquissimi titularis alicuius ecclesiae cultus solemnis deperditus est, ob popularem devotionem ad alium sanctum, cuius nomine progressu temporum eadem ecclesia vocata fuit.

Id accidit in civitate Ferentini in Hernicis, in qua vetus ecclesia s. Sebastiani, data fuit fratribus minoribus, saeculo XVI, ac proinde nuncupata fuit ecclesia s. Francisci.

Quidquid sit, ex notione titularis plane evincitur, quod si aliqua ecclesia pluribus sanctis dicata fuerit, hi omnes iuribus gaudent titularium neque dici potest ipsam ecclesiam magis esse dicatam uni, quam alteri.

Episcopus enim in actu consecrationis, nomen titularis, vel nomina titularium, in litaniis sanctorum invocat, et in precibus sequentibus, ac in unctionibus utriusque nomen invocat pluries; quapropter concipi nequit aliquam ecclesiam habere plures titulares cum iuribus diversis. Esto quod populus unum ex titularibus, quasi esset patronus, maiori externa festivitate concelebrat, ac proinde videatur alium titularem esse secundarium; sed aliud est consideratio populi, ex qua pluries sancti, qui ritu duplici minori aut maiori decorantur in officio, solemnius recoluntur, quam alii qui ritu gaudent duplici I classis; aliud est dispositio liturgica, de qua nos agimus, cuius vi titulares, si vere sunt titulares, ritu suo sunt recolendi.

Uti diximus titularis ecclesiae eligi nequit, nisi eius nomen inter sanctos descriptum sit in martyrologio romano, attamen sunt alii sancti quorum nomina, licet non sint inscripta in corpore ipsius martyrologii, sunt autem in appendice quae habent pro dioecesi, vel pro ordine religioso, de quibus egimus supra n. 110. Si ergo episcopus ecclesiam dedicat alicui sancto (non beato) in appendice dioecesana martyrologii inscripto uti declaravit S. R. C. (decr. 876).

CAPUT XXXV.

DE PATRONO LOCI

165. Inter festa quae ex populorum devotione instituta sunt, praecipuum locum tenent festa patronorum. Licet ante saeculum septimum de festis alicuius patroni ut hodie sumuntur claram mentionem non inveniamus, nihilominus, antiqua satis dicenda sunt.

Eusebius emissenus, ut notat Guyetus (lib. I, c. 7, q. 1) loquens de s. Genesio, illum vocat proprium suffragatorem. S. Vitricius in suo libello *De laude sanctorum* (Migne, *P. L.* XX, 443–458), loquens de nonnullis sanctis, ait: « Curat Ephesi Ioannes evangelista, curat Bononiae Proculus, curat Placentiae Antoninus », quibus verbis innuitur patrocinium quod sancti illi in locis praestabant iam a saeculo v.

Ad pagum qui vocatur Florentiola placentinae dioecesis anno 1066 translatae fuerunt insignes reliquiae s. Florentii episcopii Arausicani, qui tunc in loci patronum electus fuit, uti constat ex actis ipsius translationis in archivo illius ecclesiae collegiatae. Imo anno 1376, communitas ipsius pagi, in solemni consilio declaravit se non teneri ad oblationes faciendas in festo patroni civitatis episcopalis, eo quod cum solemnitate oblationes facit in festo sui patroni s. Florentii quotannis die 17 octobris. Porro a saeculis XII, XIII et XIV, pluries inveniuntur testimonia quod quaelibet civitas suum recolebat peculiarem patronum.

Patronus ille vocatur, qui alicui in periculis succurrit, in necessitatibus fert opem, quasi pater, seu loco patris (Calepinus hac voce): in re iudiciali patronus dicitur, qui agit causam rei; unde defensor seu advocatus accusatum patrocinari dicitur.

In sensu ergo liturgico, sanctus ille, qui ab aliquo pago vel civitate, provincia aut regno eligitur, ut christianae plebi in periculis succurrat, in necessitatibus opem ferat, et apud Deum reorum causam gerat, dicitur loci patronus.

Ex quo manifeste patet, patronum loci eligi non posse nisi beatam Mariam, Angelum vel sanctum. In notione enim patroni, aliquid medium intelligitur inter Deum et homines, inter iudi-

cem et reos. Quamvis ergo ecclesiam aliquam dicare optime possimus SS. Trinitati, Spiritui sancto, aut ipsi Christo, sub variis invocationibus; illi tamen in locorum patronos nullatenus eligi possunt.

Etsi omnes Angelos ac sanctos caelites, ac praesertim b. Mariam V. omnes patronos nostros vocamus, attamen ut sanctus aliquis ius habeat ut colatur officio duplici, reapse patronus in sensu liturgico esse debet: scilicet, ut talis explicite honoratus et acceptus ab antiquis temporibus, aut ut talis electus sit iuxta Urbani VIII decretum 23 martii 1630.

Per quod decretum generale haec in electionem patronorum servari iubentur:

« 1. Quod eligi possint in patronos ii solum, qui ab Ecclesia universali titulo sanctorum coluntur, non autem beatificati dumtaxat.

« 2. Quod de patrono civitatis electio fieri debeat per secreta suffragia a populo, mediante consilio generali illius civitatis vel loci; non autem ab officialibus solum, et quod accedere debeat consensus episcopi et cleri illius loci. Idemque servari debeat in patrono regni, qui pariter eligi debeat per secreta suffragia a populo singularium civitatum provinciae, et quod repraesentantibus regnum, civitatem, provinciam nulla competat facultas eligendi patronos, nisi ad hoc habeant speciale mandatum, et ulterius interveniat consensus episcopi et cleri dictarum civitatum.

« 3. Quod causae electionis novorum patronorum debeant in S. Congregatione (Rituum) deduci, et ab ea examinari, ac demum, causa cognita, ab eadem congregatione approbari et confirmari ».

166. Ratio primae conditionis huius decreti, ait Gavantus, qui tunc temporis S. R. C. consultor erat (sect. III, c. 12, n. 2), « est, quia beatificati nondum possunt esse titulares ecclesiarum, quarum aedificatio conceditur in honorem canonizatorum tantum, in bulla canonizationis; non ergo patroni esse debent, quorum gradus nobilior est, quam titularium ».

Hoc non placet cl. Guyeto (lib. I, c. 7, quaes. 1) qui ait: « Haud tamen assentior Gavanto, inde arguenti a fortiori non posse nisi canonizatos in patronos eligi; quod gradus – inquit – patronorum nobilior sit quam titularium; haud, inquam, assentior huic rationi, quam dubiam esse nec a falso procul alienam alibi demonstrabo ». Cum omni tamen reverentia, erga doctorem

tantum in re liturgica, Gavanti sententiam certam esse omnino putamus, hac freti ratione, quam si Guyetus perpendisset, aliter procul dubio scripsisset.

Equidem dedicatio et titulus Ecclesiae, ac loci patronus duplicia sunt primae classis secundi ordinis; ergo cum sint eiusdem ordinis et classis, ratio praecedentiae inter eas festivitates sumenda est a maiori dignitate intrinseca uniuscuiusque. Scilicet dedicatio, utpote festum Domini, dignior est quam titularis et patronus: titulus autem si Dominus sit, vel B. M. V., vel Angelus, aut s. Ioannes Baptista, s. Ioseph, vel s. Apostolus, et patronus sit alius sanctus hierarchico ordine inferior, hic illis certo certius inferior censendus est. Quando vero titulus sit ex. gr. sanctus martyr, et patronus alius sanctus, quoniam dignitate extrinseca sunt aequales, rituque pari recoluntur, ad praecedentiam investigandam recurri oportet ad dignitatem extrinsecam quam patronus loci supra titulum ecclesiae habet; nempe ad festum utriusque praecepti, quo colitur patronus. Ergo in paritate gradus hierarchici patronus nobilior est quam titularis ecclesiae. Quam ob rem bene arguit Gavantus dicens: cum beatus nondum canonizatus, ecclesiae titulus esse nequeat, eo minus patronus loci esse poterit. Compertum est enim beatos, inter coelites necessario recensendos esse, qui speciali ordine hierarchico non gaudent; ideoque, si in paritate ritus et ordinis patronus titulari praefertur, recta ratione evincitur, quod ille qui titularis esse non potest, quod est minus, neque patronus esse poterit, quod est maius.

« Alterius conditionis ratio est sequitur Gavantus: quia primo populus debet eligere ob beneficia a sancto accepta: deinde clerus debet consentire, ut postea recolatur cum officio et missa.

« Tertiae conditionis est ratio, quia saepe numero sine causa, arbitrio principum vel arte aliorum, minus legitima extorquentur vota consiliariorum et episcoporum; Romae vero censura est liberior, et ob auctoritatem Sedis Apostolicae secuet sanctior ».

Quam ob rem, post citati decreti promulgationem, quod confirmatum fuit per aliud, 13 ianuarii 1631, in initio breviarii positum, patroni locorum, sive primarii, sive minus principales, eligi et constitui non possunt nisi ex beneplacito Sanctae Sedis.

De aliis, qui honore et ritu patronali gaudent ab antiquis temporibus, ante scilicet Urbanum VIII, etiamsi non constet de eorum electione, nil innovandum, et in eorum possessione

relinquendi sunt (Gavantus cum Merato, sect. III, c. 12, n. 2, Guyetus lib. II, c. 11, q. 1; Cavalerius tom. I, decr. 30 et 31).

167. Iuxta rubricas (tit. IX, n. 3), patronus praecipuus loci ritu duplici primae classis recolitur, et quidem cum octava (tit. VII, n. 1), patronus vero minus principalis (tabell. occur.) ritu *duplici maiori* Patronus principalis agitur etiam cum festo de praecepto in loco, ubi revera datus est patronus.

Diximus: patronus principalis in sensu maioris excellentiae; siquidem iis in locis, ubi plures habentur patroni principales, omnesque recoluntur ritu duplici primae classis cum octava, nonnisi de uno tantum, nempe de principaliore agitur festum cum duplici praecepto iuxta decretum Urbani VIII de reductione festorum (d. d. 13 sept. 1642, n. 812).

Rubricae loquuntur de patrono loci; sub nomine autem loci veniunt: regnum, natio aut provincia, dioecesis, civitas, oppidum vel pagus insignis, cum vel sine territorio externo. De patrono totius regni seu provinciae, agitur sub ritu duplici primae classis cum octava, et feriatione ab universo clero illius regni vel provinciae; de patrono dioecesis agitur in tota dioecesi eodem ritu et feriatione, excepta civitate, oppido, vel pago qui peculiarem patronum habeat; de hoc enim iis in locis agitur ritu duplici primae classis cum octava et feriatione, et de patrono dioecesis vel nihil agendum, vel ritu tantum duplici minori, vel etiam duplici maiori; ac etiam primae classis cum octava, si adsit legitima consuetudo, numquam vero cum feriatione (S. R. C. decr. 1095, 2682 ad 28; 3028, 3353 et 3493).

Ad regulares autem quod attinet, hoc dicendum venit, quod ipsi agere debent sub ritu primae classis, sine tamen octava, de patrono totius regni, ac de patrono particulari loci in quo domicilium habent. Quod si civitas, oppidum vel pagus in quo degunt, particularem patronum non possideat, tunc de patrono dioecesis festum sine octava celebrare tenentur (S. R. C. decr. 3147 et 4025). Ideo iuxta Benedictum XIV clerus quoque regularis audiendus est, quando electio novi patroni agenda sit.

Quod si in regno, provincia, vel dioecesi, aut in civitate vel pago clerus saecularis officium proprium de patrono, idem dicito de titulari Ecclesiae, idem officium proprium recitare debent (S. R. C. decr. 1708).

Item pro regularibus, sub nomine patroni, veniunt eorum sancti fundatores, quorum ideo festa concelebrant ritu primae classis cum octava.

CAPUT XXXVI.

DE FESTO SANCTORUM RATIONE RELIQUIAE

168. Rubricarum breviarii primus titulus, perspicue nos docet quae officia ritu duplici sint celebranda. Sunt autem: *a*) Officia, quae in breviario et in eius calendario, eo ritu inscribuntur; *b*) Dedicationis propriae Ecclesiae; *c*) Patronorum principalium et minus principalium; *d*) Titularium Ecclesiarum; *e*) Officia quae ex legitima consuetudine solemniter celebrantur.

Haec omnia officia praeceptive ritu duplici recitanda sunt vi rubricarum; alia officia institui, aut e ritu inferiori ad duplicem elevari nequeunt, nisi ex Apostolicae Sedis indulto. Nihilominus absque novo huiuscemodi beneplacito institui possunt, vel e ritu inferiori ad duplicem elevari, officia sanctorum, quorum reliquiae in ecclesiis asservantur, iuxta S. R. C. decreta generalia duo, initio breviarii edita, 13 ian. 1631 et 11 aug. 1691.

Et sane sancti ratione corporis, veluti patroni accipiuntur ex sensu ecclesiae, testante enim s. Ioanne Chrysostomo (*Laud. Mart. Aegypti*, tom. II, pag. 699): « Sanctorum corpora adamantino et inexpugnabili muro tutius nobis urbem muniunt, et tamquam excelsi quidam scopuli... hostium impetus propulsant... omnesque diaboli fraudes subvertunt ». Similiter iuxta s. Ambrosium (*De Viduis*, c. 9, n. 55, vol. 4, pag. 258, edit. 1879): « Martyres obsecrandi sunt, quorum videmur nobis quodam corporis pignore patrocinium vindicare. Possunt pro peccatis rogare nostris... isti enim sunt nostri praesules, speculatores vitae actuumque nostrorum ».

Quapropter in concilio Turonensi VII anno 858 (Mansi, *Suppl.* tom. 1, col. 341, c. 61) statuitur: « Sanctorum quorum corpora in ecclesiis possidentur, festivitates agendas esse ». Recte ergo cl. Guyetus (lib. 1, c. 9) scribit: « Patronis, seu sanctis ecclesiarum titularibus proximi sunt ii, quorum pignora seu reliquiae in singulis ecclesiis asservantur ».

Itaque quemadmodum de patronis et titularibus festa peragere debemus, absque speciali indulto, etiamsi patronus vel ti-

tularis de novo eligatur, ita sine decreto specialiter emanando officia sanctorum, quorum possidemus reliquias, recitare oportet, dummodo aliquae praesto sint conditiones, quarum, etsi una tantum deficiat, officium absque Apostolicae Sedis indulto recitari nequit.

169. In primis autem videamus quid intelligatur nomine *Reliquiae* in casu nostro. Reliquiae in numero plurali (nam in singulari utitur tantum lingua liturgica) indicant pauca illa quae quacumque ex re relicta fuere. In sensu autem ecclesiastico quidquid ex aliquo sancto superest, sive ex eius sacro corpore, sive ex rebus, quae ad eum pertinuerunt, reliquiae vocantur, atque a fidelibus iugiter veneratae sunt. Quatuor ergo sunt species reliquiarum: 1° Strictius propriae; 2° minus propriae; 3° proximae sanctificatae; 4° remotius sanctificatae.

Reliquia strictius propria dicitur quaelibet corporis pars, licet minima, uti ossium frustula, et cineres, dentes, ungues, capilli, sanguis et similia. Imo, in sensu theologico, totum quoque corpus bene vocatur reliquia, eo quod, cum nobilior hominis pars anima existat, corpus humanum, licet integrum, humi remanet et reliquitur (cf. Cavalerium t. I, c. 4, n. 5).

Minus propria reliquia dicitur illud, quod reliquiis propriis affine esse videtur; et licet pars corporis vere non sit, nec ullam cum illo, dum vivebat, coniunctionem habuerit, ad corpus tamem aliqualiter attinet, quod ex eo emanat et effluit. Huiusmodi est sanguis, qui plurimis post annis beatae mortis ex ossibus s. Triphylii episc. Leucosiae, s. Modoaldi episc. Trevirensis, s. Eligii, et s. Nicolai de Tolentino effluxit, sicut testatur Benedictus XIV (*De serv. can.* lib. IV, p. 1, c. 31, n. 8, vol. 4, pag. 358, edit. Prati 1841), ut de aliis pluribus taceamus. Huc spectant liquores miraculosi, qui aliquando e corporibus vel sepulchris sanctorum emanant; uti aqua ex sepulcro s. Iulittae, effluens, teste s. Basilio (homil. *in S. Iulittam*, tom. 2, pag. 35), manna salutaris e sepulcro s. Ioannis evangelistae, oleum ex sepulcro s. Andreae, alia manna s. Nicolai Bariensis, unguentum s. Glyceriae, liquor medicus s. Laurentii presbyteri et martyris. Item alii liquores quibus madefiebant linteola ex ossibus tum s. Teresiae, tum s. Mariae Magdalenae de Pazzis (cf. Benedictum XIV, loc. cit. pag. 363).

Hi liquores aliquo modo reliquiae dicuntur sanctorum, et a fidelibus recte honorantur, quia vere miraculosi censentur et per eos pluries Deus omnipotens nonnullas sanationes operatus est.

Reliquiae proxime sanctificatae dicuntur res omnes, quibus dum viverent, utebantur sancti, uti vestes, linteola, baculi, libri chartae propria sancti manu conscriptae: quae omnia reapse sanctificata fuisse censentur atque veneratione digna. Huiusmodi erant, Eliae pallium quod Eliseo cecidit (IV *Reg.* II, 14), ac semicinctia et sudaria Pauli apostoli, quorum tactu languores recedebant, et spiritus nequam egrediebantur (*Act.* 19, 12).

Huiusmodi et sunt instrumenta passionis Ss. Martyrum, ut catenae s. Petri, sagittae s. Sebastiani et similia.

Huc spectant quoque cellae, speluncae, etc. quas sancti incoluere et ubi mortui sunt, uti cubicula s. Philippi Neri, s. Ignatii, s. Aloisii et s. Stanislai, quae Romae incolae et advenae devota veneratione prosequuntur.

Reliquiae denique remotius sanctificatae dicuntur linteola, vestes, velamina, flores aliaque id genus cadaveribus sanctorum admota; ex contactu enim vim aliquam recepisse visa sunt. Item et vela et linteola quae sepulchris sanctorum applicantur, ac *Brandea* vocabantur (Honoratus a S. M. *Critices*, tom. V, dissert. 6, p. 1, art. 9). Item et claves e confessione s. Petri sumptae, pulvis sepulchrorum, et similia.

Hic consulto nihil diximus de reliquiis Domini, uti sunt particulae SS. Crucis, spinae, lanceae etc., et B. Mariae V. uti velum, Domus, etc., quae licet tertiae sint speciei, nihilominus ob excellentiam personarum insignes censentur, et summa veneratione ab Ecclesia coluntur. De his ergo tacemus, quia ut videbimus infra, ratione reliquiae officium agi potest, si tamen de persona cuius sunt reliquiae, iam non habeatur aliud festum eiusdem. Cum itaque plurima adsint festa D. N. I. C. et B. M. V., de ipsis ratione reliquiae novum nequit officium institui inconsulta S. Sede. Ad hoc non animadverterunt varii liturgici doctores.

170. Porro ut officium ratione reliquiae recitari possit, oportet omnino ut de prima specie sit, nempe reliquia strictius propria idest ex corpore.

Sed et reliquiae propriae tripliciter distingui possunt, iuxta Cavalerium (tom. I, c. 4, decr. 5, n. 11), videlicet in insignes, notabiles, et minutas.

Insignes vocantur corporis partes maiores et excellentiores, ut caput, brachium, crus (S. R. C. decr. 555). Hodie vero post decretum 27 iun. 1899, n. 4041, ut insignes reliquiae censendae sunt quoque pars anterior brachii vel cruris, vel ipsius pars superior, et cor, lingua, manus si intactae conserventur.

Notabiles, quae tantae quantitatis, ac illae quidem non sunt, sed nec modicae, ut manus, pes, tybia, radius, maxilla, spina et similia.

Minutae autem, aut exiguae reliquiae dicuntur, quae sunt parvae quantitatis ut dens, digitus, auricula, frustulum ossis, crines, unguis, etc.

His praelibatis, videamus quae sint conditiones necessariae, ut ratione reliquiae officium recitari possit.

Hae conditiones sex sunt, nempe: 1° ut Reliquia sit insignis; 2° ut sit integra; 3° ut sit approbata; 4° ut appareat authentice eius identitas; 5° ut reliquia reapse asservetur in propria ecclesia; 6° ut sit alicuius ex sanctis in *Martyrologio romano* descriptis.

Prima conditio. Requiritur ut reliquia sit insignis nempe, uti supra diximus, ac magis totum corpus, aut magna pars eius. Imo iuxta Benedictum XIV (loco cit. lib. IV, p. 2, c. 6, n. 3, pag. 464) adhuc censetur insignis reliquia, si totum corpus, aut eius maior pars, in pulverem redactum, faciat quasi acervum.

Item licet non habeatur caput, brachium vel crus, sufficit ut corporis non desint plures aliae notabiles partes, quae magnam partem corporis efficiant: ita intelligit S. R. C. cum dicit: *aut magna pars corporis* (cf. Cavalerium loc. cit. c. 5, n. 6), quod congruit cum Benedicto XIV (loco citato).

Quod si reliquia sit alicuius martyris, tunc a S. R. C. reputatur insignis etiam pars illa in qua passus est martyr, dummodo sit integra et non parva seu notabilis (S. R. C. decr. n. 460). Quod privilegium viget tantum pro martyribus, uti patet, ad honorem partae victoriae in confessione fidei; ita ut defectus quantitatis physicae suppleatur excellentia qualitatis, seu passionis circumstantia.

Citatum autem decretum exigit, ut pars illa in qua martyr passus est, *sit integra et non parva.* Reliquiae ergo minutae, ut dentes s. Apolloniae seorsim sumpti, non sufficiunt ut officium instituatur. Hinc Placentiae Patres Cappuccini, qui, ut traditur, habent integram maxillam huius s. Martyris, quae in dentibus passa est, haec reliquia utpote integra et notabilis, recolitur ut insignis, et officium s. Apolloniae ritu duplici persolvunt. Hoc non placet Cavalerio, qui (loc. cit. n. 36) eo quod s. Apollonia ex dentium contusione non occubuit, putat maxillam partem corporis, in qua passa est, non esse; sed cl. doctor non advertit decretum dixisse *in qua passus est martyr,* non *in qua mor-*

tem oppetiit. Etsi ergo ista s. Martyr post dentium contusionem non occubuerit, in eis tamen fortiter passa est, et postea, in eodem morali martyrio in ignem insiliit. Item ex. gr. ubi habeatur pars cranii s. Petri martyris, in quo ipse caesus fuit, ut reliquia insignis recte habenda esset.

Bene autem hic arguit Cavalerius (loc. cit. n. 19): « Dum audis *et non parva* volo ut id intelligas per se et per accidens; adeoque, si puer recenter natus in odium Christi aut fidei in pede aut manu tortus occumberet, etsi ille pes aut manus parvi forent, adhuc si uter ex illis haberetur, officium fieri quiret, quia praefatae corporis partes per accidens parvae sunt, et ex se natae ad debitam magnitudinem pervenire, et non inter partes minutas et exiguas sed notabiles per se computantur ».

171. *Secunda conditio.* Requiritur ut reliquia sit *integra*; quae autem integritas sufficit ut sit moralis, non physica, ita ut si quid parvum deficiat, minime obsit, ait Cavalerius (l. c. n. 12). Quam ob rem si ex. gr. in capite dentes deficiant, vel etiam maxilla inferior, nihilominus caput moraliter esset adhuc integrum; et revera, cum maxilla inferior a capite seiuncta sit, facile deperdi potest; ideoque nimis essent rara sanctorum capita cum iure ad officium, si cum maxilla aut cum dentibus existere deberent.

Neque hic valet opponere id quod decrevit S. R. C., fieri nempe non posse officium, quando insignis reliquia est mutilata, et *partes demptae non adsunt ut conglutinari possint*; primo quidem, quia ibi loquitur decretum de parte notabili deficiente, ita ut insignis reliquia moraliter integra dici nequeat; secundo vero, quia si partes demptae a reliquia insigni habeantur, cum illa conglutinari optime possunt, et ideo adhuc moraliter reliquia insignis reputatur.

Propter quod, haec sententia, quam Meratus (sect. I, c. 5, tit. II, n. 4) ex Quarti et Lonher hausit, bene confirmatur a citato S. R. C. decreto, in quo, si conglutinatio partium reliquiarum non placuisset, eadem Congregatio aliter respondisset.

Quid autem dicendum si progressu temporum aut ex madore sepulchri, reliquiae insignes in pulverem redigantur? Cessat ne ius ad officium in casu?

Ante omnia iuxta Guyetum (lib. I, c. 9, quaes. 2) et supra citatum Benedictum XIV, pulvis corporis unius sancti, vel etiam pulvis maioris corporis partis, si acervum quodammodo faciunt, adhuc ut insignis reliquia reputantur. Si autem agatur de pulvere

solius capitis, vel brachii, aut cruris, tum cum hae reliquiae desinant esse integrae, Cavalerius (loc. cit., n. 17) docet cessare quoque privilegium officii. Hoc tamen nobis parum arridet; siquidem, quando in calendario particulari unius ecclesiae iam ab antiquis temporibus officium sancti cuiusdam, ratione insignis reliquiae inscriptum fuerit, imo cum in populo devotio erga sanctum illum coepta est, et servata fuerit, non videtur cur cessante *insignitate* reliquiae, ob cessationem *integritatis physicae*, cessare quoque debeat officii recitatio. Quod si reliquia in ecclesiam invecta fuerit centum annis ante bullam Pianam, tunc dato, et non concesso, quod cessante *insignitate* cessare deberet officium, hoc continuandum esset ratione consuetudinis. Hoc autem docet explicite, etiamsi ageretur de reliquia post bullam Pianam invecta, cl. Guyetus (loc. cit., quaest. 7), non tantum in casu quo in pulverem redigantur reliquiae insignes, sed etiam si incendio absumptae, aut furto, casuve alio deperditae fuerint; et citat caeremoniale monasticum ubi de festis patronorum, legitur: « De sanctis, quorum habebantur reliquiae, sed iniuria temporum, vel malitia haereticorum perierunt, fiet officium, sicut solebat alias fieri dum extabant eorum reliquiae ». Itaque eo magis valet ratiocinium si reliquiae adhuc extant, licet in pulverem redactae.

172. *Tertia conditio.* Requiritur ut reliquia sit *approbata;* in citato enim decreto legitur:... *Et legitime ab Ordinariis approbata.*

Quae approbatio requiritur, quando noviter in aliqua ecclesia reliquia inducitur; ut habetur in Tridentina Synodo (Sess. 25, *de invoc. vener. Ss.*) «... statuit sancta Synodus, nemini licere ullo in loco, vel ecclesia, etiam quomodolibet exempta... *novas* reliquias recipiendas (*esse*), nisi recognoscente et approbante Episcopo ». Reliquiae ergo, cuiuscumque generis, quae ab immemorabili tempore, vel saltem ab annis sexaginta, quod tempus a Rota Romana (*Coram Coccin.* decr. 1045, n. 2) antiquum reputatur, in pacifica sunt publici cultus possessione, nova approbatione non indigent, ut officium pro ipsis instituatur.

Quae communis doctorum sententia ita est intelligenda, ut si quaedam ecclesia a tempore antiquo veneratur reliquiam insignem, de qua tamen officium nunquam, vel ex inadvertentia, vel ex legis ignorantia persolutum est; dummodo aliae praesto sint conditiones, officium statim recitari potest, imo debet, absque nova Ordinarii approbatione.

Nomine autem ordinarii, in casu nostro, venit tantummodo episcopus loci, ubi reliquia existit. Audiamus Cavalerium (t. I, c. 4, dec. 9, n. 14): « Sunt qui contendunt sufficere approbationem cuiuscumque episcopi; tu autem pro certo cum communiori sententia tene, requiri approbationem episcopi loci, in quo reliquiae sunt exponendae ». Quod non tantum satis comprobatur ex Concilio Tridentino (loc. cit.) ubi loquitur de episcopo approbante reliquias in qualibet ecclesia etiam exempta, ex quo sane colligitur, Superiores regulares, quomodolibet exemptos, nullam hac super re auctoritatem habere; sed magis, imo absolute, evincitur ex citato decreto n. 1853, in quo aperte legitur: ... *Quibus tamen ab ordinariis locorum approbatis.*

Hinc, si ex. gr. a diruta ecclesia regularium civitatis A, transferatur aliqua insignis reliquia ad aliam ecclesiam eorumdem regularium, in civitatem B sub diverso episcopo, talis reliquia nova indiget approbatione ordinarii loci, non tantum ut de ipsa officium instituatur, sed etiam ut ei cultus publicus tribuatur.

Bene autem hic notat Sanchez (lib. II, c. 43, n. 18): « Opus non esse, quod episcopus dioecesis approbet reliquias iam approbatas, cuiusmodi sunt quae Roma afferuntur cum bulla apostolica, aut aliunde, cum testimonio episcopi loci, a quo in aliam transferuntur, sed sat esse quod examinet an instrumentum et bulla sint in forma probante »; scilicet, an reliquiae illae sint revera, quae testimonio Cardinalis vicarii Urbis, aut episcopi legitime approbatae fuerunt.

Extra hunc casum, et quando agitur de reliquia noviter inventa, aut invecta, spectat ad loci episcopum illius approbatio. Haec porro approbatio sufficit ut moralibus innitatur indiciis, dummodo concludentibus; teste Benedicto XIV hac in re magistro irrefragrabili, qui (*De Canoniz. Ss.*, lib. IV, p. 2, c. 24, n. 7) docet: « Hodie sive agatur de identitate corporum et reliquiarum coram ordinario, sive coram S. Rit. Congregatione, constare debet de corporum et reliquiarum identitate, per probationes firmas, et, si non metaphysica vel physica, saltem morali evidentia certas ».

Haec tertia conditio, nempe *approbatio*, non sufficit si versetur tantum supra identitatem eiusdem, de qua infra, sed et versari debet supra qualitatem *insignis*. Episcopus ergo reliquiam non debet approbare quocumque modo, ut ipsi cultus exhibeatur, sed principaliter, quod revera sit illa *insignis*. Hoc autem intelligendum est, in casu, quando reliquia declaranda

sit insignis, eo quod illa sit pars corporis in qua passus est martyr; quia quando agitur de capite, crure, brachio, et multo magis de magna parte corporis, tunc sufficit quod episcopus has reliquias declaret esse talis sancti, nam *insignitas* earum, oculis omnium apparet.

Unde colliges, quod si tu habes in tua ecclesia manum alicuius sancti martyris, qui manibus praecisus occubuit, de illo sancto, ratione huius insignis reliquiae, officium instituere non potes, nisi episcopus eam approbet, et recognoscat illam manum esse revera, in qua passus est martyr; scilicet, ait Cavalerius (loc. cit., decr. 9, n. 34): « An martyr in ea speciali modo passus sit, an sit integra et non parva ».

In hoc casu aliud est approbatio cultus alicuius reliquiae, aliud approbatio qualitatis *insignis* ad effectum officii pro ea instituendi.

Quid autem esset agendum, si progressu temporis episcopus in visitatione, aliqua de causa sibi cognita, reliquiam insignem a cultu suspenderet? Numquid statim ab officio cessandum foret?

Affirmant Cavalerius (loc. cit., n. 36), et Aloisius A Carpo (p. II, c. 14, n. 185); nos autem, tacentibus de hac quaestione aliis doctoribus, cum distinctione respondemus. Vel agitur de reliquia, quae uti insignis et authentica habita fuit, et officium, ratione illius ab antiquis temporibus recitatum est, et tunc, etsi hodie reliquia a cultu suspendatur, officium adhuc recitandum esse putamus; maxime si fideles erga sanctum illum, cuius reliquiae fuisse hucusque creditae sunt, cultum exhibuerunt; nam licet cesset causa *occasionalis* recitationis officii, nempe reliquia approbata, non cessat tamen causa *finalis*, nempe cultus illius sancti, eiusque patrocinium, quod adhuc perseverat. In hoc casu idem dicendum esse censemus quod supra retulimus ex cl. Guyeto, quando reliquia incendio absumitur, vel furto, casuve alio deperditur.

Quod si paucis abhinc annis reliquia in ecclesia invecta fuerit, vel si antiqua, vix a paucis annis insignis declarata fuerit, ac exinde officium institutum; tunc hoc prorsus cessare simul cum cultu arbitramur.

Et revera, etiamsi officium concedatur intuitu reliquiae, officium tamen existere potest absque reliquia; nam quot sanctorum officia recitantur, quorum reliquias non possidemus? Quando ergo episcopus a cultu removet reliquiam, quae insignis

et certa habita fuit, saltem ratione consuetudinis, officium continuari potest absque reliquiae expositione.

Quod si episcopus reliquiam non suspendat quoad cultum eius, sed tantum *insignem* non esse declaret; cum officium concedatur ratione qualitatis insignis, non cessante cultu huiusmodi reliquiae, officium cessabit, vel non, iuxta distinctionem a nobis propositam.

173. *Quarta conditio.* Ut *identitas* reliquiae authentice appareat quarto requiritur. Dubiae enim, aut incertae reliquiae esse non debent, ut officium persolvatur.

« Duplex, – scribit Guyetus (lib. I, c. 9, q. 3) – circa reliquias potest esse dubium: Alterum an vere sint sancti alicuius; alterum cuiusnam sancti. In primo si haeretur, cavendum est ne reliquiae ullae ad venerationem publice exponantur, adeoque multo amplius ne de iis divinum celebretur officium, quin prius vindicatae, ac legitimo testimonio probatae fuerint. In secundo si cuiusnam sint incertum habeatur, quantumcumque eae ad venerationem exponantur, prorsus tamen ab officio abstinendum censeo, cum quale faciendum sit minime constet ».

Hinc S. R. C. stricte requirit, ut reliquiae identitas omnino comprobata sit legitimis instrumentis; nempe esse illam praecise talis sancti, de quo eo die fit mentio in martyrologio Romano, et non alterius eiusdem nominis; insignem esse, et revera in tali ecclesia existere.

Hic tamen inquirendum esse operae pretium ducimus, utrum reliquiarum identitas deficiat, si progressu temporis cum aliis ita permisceantur, ut discerni amplius nequeant; et ideo an ab officii recitatione cessandum sit.

In primis notandum est cum Guyeto (loc. cit., q. 5): « Quando plurium sanctorum ossa, quia vix distingui possunt, promiscue simul omnia in unam capsam seu thecam recondita serventur, ut contingere solet in iis martyribus, qui plures simul passi fuere, quales sunt Ss. Innocentes, s. Mauritius eiusque socii, s. Ursula item cum sociabus, quadraginta Martyres Sebastenses, aliique permulti, nam, cum et notabiles sint et sancti ipsi, quorum sunt, collectivo saltem nomine dignoscantur, omnino de iis fieri officium convenit, itaque fert communis usus ecclesiarum in quibus habentur eiusmodi reliquiae ».

Ad casum tamen nostrum luculentius loquitur Cavalerius (loc. cit., n. 27): « Quid vero si de reliquiarum identitate quidem constet, sed postea ita mixtae sint incertis, ut nequeant discerni?

Officium posse recitari tenet Gobat (tract. III, n. 696), citans Brunon. aliosque; habentur enim in hoc casu reliquiae insignes sancti adprobati et de earumdem identitate constat, adeoque nihil desideratur quominus fieri possit, quod cum dirigatur ad veras reliquias, nec locus est venerationi reliquiarum apocrypharum ».

174. *Quinta conditio.* Requiritur ut reliquia asservetur in *propria ecclesia.* Quod ita intelligendum est, ut ratione reliquiae, tu nequeas officium recitare nisi reliquia ipsa in tua ecclesia adservetur. Aperte habetur in pluribus S. R. C. decretis, ac praesertim in citato n. 555, in quo legitur: Celebrari non potest per totam civitatem vel dioecesim, etiam de cuiuscumque ordinarii auctoritate, festum cum officio, eo quod in loco adsit aliqua reliquia, sed tantum ubi asservatur corpus, aut insignis reliquia, et non alibi. Haec ulla non indigunt illustratione, cum aperte pateat, S. R. C. voluisse, ut ratione reliquiae insignis officium persolvatur in ea tantum ecclesia, ubi asservatur, nempe a clero illi ecclesiae adscripto.

Quo sensu autem accipienda sit *ecclesia propria*, iam supra exposuimus, ubi egimus de titulari ecclesiae.

Unde colliges, quod etiamsi officia tituli et dedicationis cathedralis, in universa dioecesi persolvantur, officium tamen sancti, cuius reliquia in cathedrali conditur, extra ipsam recitari nequit, nisi officium illius sancti alio titulo, et non praecise ratione reliquiae recitandum sit. Ratio est quia officia tituli et dedicationis cathedralis, in obsequium matricitatis, sunt officia totius dioecesis, officium autem reliquiae insignis, quae habetur in cathedrali, est officium, stricto sensu, ipsius cathedralis.

Hoc eo magis dicendum est de ecclesia matrici alicuius oppidi, in quo, si adsunt aliae ecclesiae parochiales aut regularium, hae de reliquia matricis officium recitare neque debent, neque possunt.

Hinc quicumque, sive ratione beneficii sive servitii, alicui ecclesiae adscribitur, ita ut *propria* ecclesia dici possit, prout supra explicavimus, de reliquia, quae in ipsa ecclesia recolitur, offficium recitare debet (S. R. C. decr. 2872).

Hinc etiamsi causa itineris vel morbi beneficiatus vel capellanus in sua ecclesia non sit, die quo occurrit huiusmodi officium ratione reliquiae, nihilominus illud persolvere debet, utpote quod in calendario suae ecclesiae inscribitur. Sola differentia in hoc extat, quod in missa dicitur *Credo*, ab illis tantum sacerdotibus, qui revera celebrant in tali ecclesia (S. R. C. decr. 1890).

Adnotare iuvat, quod cum dicitur reliquiam insignem in aliqua ecclesia adservari, necesse non est ut praecise in ipsa ecclesia condatur, sed sufficit etiam quod in eius sacristia, vel aliquo monasterii loco custodiatur. Cf. Cavalerium (loc. cit., decr. 3, n. 1), qui Gobat et Salmaticenses citat. Hoc autem intelligendum est tamen, non de monasterio sanctimonialium, quia S. R. C. (decreto 18 aprilis 1660) praescribit reliquias in harum monasteriis non adservari, sed retinendas in ecclesia earum exteriori.

Neque necesse est ut reliquia exponatur, sed sufficit quod in crypta aut sacrario condatur; nam adservationem, non expositionem decreta citata requirunt; si vero expositio facile fieri queat, summopere congruit, uti fert generalis consuetudo.

Neque oportet quod reliquia sit iuris ecclesiae in qua adservatur; etsi enim existat ad modum depositi vel commodati, officium recitari debet, ut cum Gobat Cavalerius docet (loc. cit., n. 13).

Et sane nos addimus, quacumque in ecclesia sanctorum reliquiae existant, ac qualibet de causa, cultum duliae merentur; hic vero cultus explicatur, luminum accensione, thuris crematione, honorabili in theca et loco adservatione publicis precibus privatisque; cum autem agatur de reliquia insigni, cultus eius maiorum institutione exigit quoque, ut officio ac missa in propria die celebretur. Licet ergo tua ecclesia nullam revera insignem reliquiam possideat, quando, etsi ad breve tempus, aliqua reliquia huiusmodi in ipsam invehatur, totum debitum cultum illi praestare teneris; ideoque, adveniente die festo illius sancti, cuius est reliquia, officium quoque, ut eius cultus legitimus compleatur, recitabis.

Hinc sacerdos, qui suo in sacello domestico aliquam tenet insignem reliquiam, de ea officium recitare nequit; non enim sacellum confundi potest cum ecclesia; quod si in die festo illius sancti, cuius est reliquia haec ad ecclesiam quotannis transferatur, ac pro ipsa festum agatur, iuxta nostram sententiam, officium quoque a clero illius ecclesiae recitandum est.

175. *Sexta conditio.* Requiritur tandem ut reliquia sit alicuius ex sanctis in martyrologio Romano descriptis, aut a Sede Apostolica solemniter canonizatis. Expresse eruitur ex pluries S. R. C. citato decreto n. 1890, in quo tria praecipiuntur ratione reliquiae recitandum nempe esse officium solummodo: 1° de sanctis; 2° de sanctis approbatis; 3° de sanctis in martyrologio positis.

Dicitur 1° *de sanctis*: de beatis ergo, licet constet de formali beatificatione, officium recitari nequit, nisi consulta Apostolica Sede; imo, etiamsi nomen eius in martyrologio inscriptum sit, quia iuxta Alexandri VII decretum (27 septembris 1659, n. 1730 ad 5) super cultu beatorum, officium recitari nequit de ipsis, sive publice, sive private, *nisi quoad illos, quibus Sedes Apostolica de hoc indulserit.*

Dicitur 2° *de sanctis approbatis*, nempe vel de formaliter canonizatis, iuxta hodiernum morem; vel de illis, qui secundum antiquam disciplinam cultum sanctorum, consentiente Apostolica Sede, adepti sunt et uti tales accepti.

Dicitur 3° *de sanctis in martyrologio positis*: bene tamen notat A Carpo (part. II, c. 14, n. 185), hoc non requiri, cum agitur de sanctis qui nondum, evulgata ultima martyrologii editione, in eo inscribi potuerunt. Si tamen nomen sancti, cuius habetur reliquia, inscriptum est in appendice dioecesana martyrologii, procul dubio sufficit ut de eo recitetur officium. Ratio est, quia, dicari potest ecclesia sancto illo, cuius nomen vel in martyrologio vel in appendice dioecesana inscribitur ut declaravit S. R. C. (decr. 3876, 5) eadem de causa de eo officium recitandum erit ratione reliquiae; appendix enim in casu ipso martyrologio aequiparatur.

176. Quam ob rem, nisi sex recensitae conditiones existant, officium ratione reliquiae institui non potest, ne simplici quidem sub ritu, imo neque ritus ampliari, si de sancto alia ex causa officium peragatur, sub poena non satisfaciendi.

Quando autem hae conditiones praesto sunt, officium quidem celebrari debet, sed in die tantum natalitia illius sancti, cuius est reliquia; ita ut si in mea ecclesia ex. gr. insignis reliquia s. Agnetis V. et M. inveniatur, non duo officia ego instituere possum, unum sua die 21 ianuarii, ut in calendario universali, et aliud alia die ratione reliquiae, sed officium in natalitia tantum die recitabo (S. R. C. 15 februarii 1659).

Cum autem ex hoc et aliis decretis, officium ratione et iure reliquiae ritu duplici persolvi oporteat, si reliquia de sancto sit, cuius officium in calendario inscribitur sub ritu simplici, aut semiduplici, absque novo indulto sub ritu duplici idem officium persolvitur. Ex quo inferes non posse celebrari officium in natalitia die, et aliud in die translationis, nisi ex indulto S. Sedis.

Quod si celebretur officium omnium reliquiarum quae in ecclesia adservantur, nihilominus licet in propria die officium

persolvere de sancto, cuius habetur insignis reliquia. Festum enim omnium reliquiarum, non officit festo speciali, cum illud ad omnes reliquias cumulative honorandas institutum sit, istud vero specialiter ad sanctum celebrandum in sua die praescribatur.

Supra diximus officium duplex persolvi oportere in *natalitia* die; haec autem sumenda est vel in natalitia die proprie dicta, nempe in die obitus; vel etiam in *quasi-natalitia*, in illa scilicet, in qua S. Sedes festum illius sancti agendum esse decrevit, et in martyrologio inscribendum.

Iuxta recens decretum 4037, si sanctus cuius habetur reliquia insignis descriptus sit in calendario una cum aliis sociis, nulla tamen inter eos necessaria consanguinitatis intercesserit ratio, officium de sancto, cuius reliquia servatur, separatim ab aliis agendum est.

CAPUT XXXVII.

DE FESTIS EX CONSUETUDINE

177. Rubrica breviarii (tit. I, n. 1, et tit. II, n. 1) celebrare permittit festa sanctorum, *qui apud quasdam ecclesias, religiones vel congregationes consueverunt celebrari.* Licet hic rubrica de *festis sanctorum* tantum loquatur, attamen intelligenda quoque sunt festa B. Mariae V. et etiam Domini (nec non beatorum, qui nondum fuerint canonizati), quae in breviario Romano non continentur. Apud quasdam *ecclesias*, quae vox accipi sine dubio potest tam pro una ecclesia particulari, ex. gr. collegiata aut parochiali, quam pro dioecesi uti patet: aliis vero verbis *religiones* vel *congregationes*, innuuntur ordines regulares. Rubrica ergo non reiicit officia illa, quae etsi a s. Pio V admissa non fuere in suo novo breviario, attamen alicubi consueverant celebrari iam ante publicationem bullae ipsius Pontificis *Quod a nobis*, scilicet ante annum 1568.

Requiritur tamen, ait Guyetus (lib. I, c. 13. q. 4), ut festum huiusmodi sit de sancto canonizato, aut de mysterio ab Ecclesia recepto et approbato. Quod si talis consuetudo introducta sit post annum 1568, inconsulta Sancta Sede, etiamsi per centum et ultra annos perduraverit, sustineri ac servari non potest (S. R. C. decr. n. 3365; Guyetus, ib.; Cavalerius, t. II, c. 44, d. 1, n. 7).

Quoad vero officia de non canonizatis, distinguendum est inter beatificatos *formaliter* aut *aequipollenter*, et servos Dei de quorum cultu Apostolica Sedes nondum iudicium protulit. Beatificatio *formalis* dicitur actus ille Summi Pontificis, quo confirmatis processibus super virtutes et prodigia alicuius servi Dei, cultus eius alicubi permittitur cum officio et missa; beatificatio vero *aequipollens*, actus ille est Apostolicae Sedis, quo recognita fama virtutum aut martyrii et miraculorum alicuius servi Dei, cultus publicus iam praestitus approbatur (Benedictus XIV, *De Canoniz. Ss.*, lib. I, c, 42. n. 8).

Si agatur de *formaliter* beatificatis, cum pro beatis antea probandum sit de *non cultu* illis exhibito, patet per se quod

consuetudo celebrandi eorum officium nequit existere; si vero agatur de beatificatis *aequipollenter*, consuetudo celebrandi eorum officia invecta esse debet saltem centum annis ante decretum Alexandri Pp. VII, 27 septembris 1659 (in collect. n. 1130), scilicet ante annum 1559. Cum enim hoc decreto S. R. C. non intellexit « cultum beatis per communem Ecclesiae consensum, vel per immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum virorumque sanctorum scripta, vel temporis centum annorum metam excedentis, scientia ac tolerantia Sedis Apostolicae aut ordinariorum hactenus praestitum ac certis modo et forma ab eo tempore eis exhibitum », ideoque si quis servus Dei titulo beati vel etiam sancti alicubi honorari coepit etiam cum officio, ante annum 1559, hoc ex rubrica continuari licet. « Verum – concludit decretum – si a centum annis citra cultus huiusmodi aliqua ex parte constiterit auctus et extensus, eo casu sacra eadem Congregatio eumdem in pristinum reduci iubet ». Si tandem agatur de aliquo servo Dei, super cuius sanctitatem et cultum nullum Sedes Apostolica iudicium protulerit, consuetudo eius officii celebrandi ut legitima a rubrica sustinetur, dummodo anterior sit anno 1534.

Etenim Urbanus Pp. VIII suo decreto celebri, 13 martii 1625, inter alia de iis qui fama sanctitatis defuncti sunt, declarat: « quod... praeiudicare in aliquo non vult neque intendit iis, qui aut per communem Ecclesiae consensum, vel longissimi temporis scientia ac tolerantia Sedis Apostolicae vel Ordinarii coluntur »: huiusmodi autem *longissimum tempus* et immemorabilem cursum, declaravit esse tempus *centum annorum* metam excedens (Urbanus VIII, Constit. *Coelesti Hierusalem*). Itaque cum haec constitutio emanata fuerit anno 1634, hinc, ut optime arguit Benedictus XIV (*De Canoniz. Ss.*, lib. II, c. 22. n. 4), consuetudo celebrandi officia servorum Dei de quorum cultu nullum iudicium protulit S. Sedes, bene retineri potest, si anterior centum annis illo decreto, nempe 1534.

Pro sanctis ergo canonizatis sufficit ut consuetudo non interrupta recitandi eorum officia anterior sit anno 1568, pro beatis anno 1559, et pro non canonizatis anno 1534 (cf. *Quaestiones Academiae Liturgicae Romanae*, anno 1855-56, quaestio III).

178. Quoad ritus autem pro celebrandis huiusmodi festis, addit rubrica: *Consueverunt solemniter celebrari.* Haec vox *solemniter* (sicut et *solemnius*, quam legimus in sequenti ti-

tulo II, n. 1, ubi agitur de officio semiduplici), non eodem sensu accepta est a rubricarum expositoribus.

Gavantus (sect. II, c. 2, n. 27) aperte docet, illa tantum festa et officia ratione consuetudinis retineri posse, quae *solemniter* apud quasdam ecclesias celebrantur, nempe solemnitate extrinseca, seu externo apparatu; non vero alias.

Guyetus (lib. I, c. 13, quaest. 3) gravibus argumentis Gavanto contradicit; cui adstipulantur Meratus (in Gavanto, loc. cit.) et Cavalerius (tom. II, c. 43, dec. 2, nn. 1, 2, 3).

Et revera, s. Pius V in sua bulla *Quod a nobis* abrogavit quidem « omnes et quascumque apostolicas, et alias permissiones ac consuetudines, statuta, privilegia, licentias, et indulta precandi et psallendi more et ritu breviariorum sic suppressorum », sed aliud est abrogare ritum seu formam officii alicuius festi, et aliud abrogare festum ipsum. Itaque, ratione consuetudinis, dummodo sit legitima, prout supra docuimus, omnia officia retinere licet, etiamsi absque externa solemnitate celebrentur.

Quid ergo sibi vult haec vox *solemniter*? Fatendum est, neminem ex citatis auctoribus adaequatum dedisse responsum. Guyetus quidem vocem illam etymologice declarat, optimamque notionem eius praebet (loc. cit.): « Solemnitas, inquit s. Augustinus, serm. 186 *de Tempore*, ab eo quod soleat in anno, nomen accepit; quomodo perennitas fluminis dicitur, quia non siccatur aestate, sed per totum annum fluit, ideo *perenne* id est *per annum*; sic et *solemne*, quod *solet in anno* celebrari... Quia vero quod semel in anno fit, aut stato quodam tempore vel die, id ordinarie fit cum aliquo apparatu, hinc usu venit ut apparatus ille *solemnitas* vulgo appelletur... ».

« ... Primo modo *solemne* dicitur festum id omne, quod stato die solet in anno celebrari, sic ut numquam omittatur... ».

« Altero vero modo *solemnitas* dicitur apparatus ille sumptuosior altaris, chori, et caeremoniarum in quibusdam festis, prae aliis adhiberi solitus, a quo et ipsa festa *solemnia* dicuntur, et *solemniora*, quibus amplior adhibetur ».

Ad rem tamen nostram quod attinet, parum interest. Cavalerius (loc. cit., n. 6) aliquid dicit, quod pro nobis faceret, sed et ipse imperfecte.

Ad modernos Liturgiae doctores quod spectat, non excluso cl. De Herdt, quos consuluimus, altum hac super re silentium servasse facile cuique apparebit.

Unum tantum auctorem invenimus, qui ad nostram quae-

stionem adaequatum responsum dedit. Eximius Ioseph Marchesi presbyter congregationis missionis atque S. R. C. olim acceptissimus consultor, in suis quaestionibus, in romana liturgica Academia solutis anno 1855 (fasc. I, quaest. 3. nn. 28, 29, 30, 31) haec habet, quae in latinam ex italica lingua vertimus:

« Quoniam non raro rubrica verbo utitur *solemnitas* et suis derivatis, ut ritum seu classem festorum significet (tit. XI, n. 2, et tit. VII, n. 3), ideo magno fundamento dici posset, adverbia *solemniter* et *solemnius* nihil aliud exprimere, nisi *ritu solemni* et *ritu solemniori*. Itaque sensus rubricae utriusque sequens esset: *Officium fit duplex... in festis sanctorum, qui apud quasdam ecclesias* etc. ... *consueverunt solemniter* (*idest* ritu solemni) *celebrari*. — *Officium fit semiduplex... in festis propriis quorundam locorum seu Congregationum, quae solemnius* (*idest* ritu solemniori) *apud illas, quam simplicia consueverunt celebrari*. Nos vero putamus hunc proprie sensum esse harum rubricarum.

« Ut autem hoc intelligatur, recordari oportet breviarium s. Pii V non unice destinatum fuisse ad ecclesias, quae tempore promulgationis eiusdem, ritum romanum intactum servaverant, sed etiam ad ceteras quae olim romano utentes ritu, postea plus minusve ab eo recesserant, et quando vulgata fuit bulla *Quod a Nobis*, non utebantur diverso breviario, saltem a duobus saeculis. Item opus est animadvertere illas ecclesias, quae a romana liturgia recesserant, omnes non servasse, aut induxisse in eorum libros liturgicos, ad diversos ritus quod attinet, eamdem dominationem librorum romanorum; propterquod dum pervetusta in his invenitur divisio ritus in *duplex*, *semiduplex* et *simplex*, nec non distinctio in *duplex maius* aut *per totum* et *duplex minus* aut *simpliciter*, uti videri est apud Durandum saeculi XIII scriptorem (*Rationale div. offic.*, lib. VII, c. 1, n. 31); e contra in pluribus eorum distinguebantur ritus nominibus diversis valde, scilicet *annuale* et *semi-annuale* – *annuale maius* et *annuale minus* – solemne, *totum solemne*, *omnino solemne*, *solemnissimum*, etc.

« Quibus positis, s. Pius V, uti demonstratum est, volens diversis ecclesiis permittere officia in eis iam inducta ex consuetudine, necesse erat, sicuti cuique apparet, ut eis quamdam normam praeberet, ut ritum eorumdem officiorum ad gradationem et denominationem breviarii romani reducerent. Quoniam autem longum et difficile fuisset, ut non dicam aliquatenus in-

decorum pro Ecclesia Romana, ad minutias descendere ut singulatim ad varias denominationes ritus, quae in multis ecclesiis invaluerant; ut ritus adsignaretur ritui romano respondens, melius putavit sanctus pontifex, generica forma uti, omnibus intelligibili, ordinando ut ritus duplex adsignaretur pro illis festis, quae in diversis ecclesiis eousque ritu eminentiori et solemni potiebantur, et semiduplex ceteris, quae eousque celebrabantur ritu inferiori, et quae ad ritum simplicem breviarii romani redacta, ritum habuissent minus exacte respondentem illi, quo eousque donata fuerant ».

« Super quod animadvertendum quoque est, rubricam generalem tit. I diversas classes duplicium non distinguere, sed omnia officia, sub generica denominatione *duplicis* amplecti, quae hoc ritu gaudent, sive sit primae vel secundae classis, sive maius sive minus. Ex quo consequitur manifeste, quod eadem rubrica tit. I ritum *duplicem* tribuens illis festivitatibus, quae *apud quasdam ecclesias etc. consueverunt solemniter celebrari*, illis aliquam classem specialem ritus duplicis adsignare non intellexit, sed illam classem duplicis eisdem adsignare permisit, quae ritui magis responderet, quo eousque celebratae erant ». Quae clar. Marchesi sententia nobis summopere arridet, et rubricam nostram apprime illustrat ».

Ex quibus colliges, hunc locum rubricarum ita esse intelligendum, quod scilicet officia non descripta in calendario universali, et quae ex consuetudine legitima recitabantur in aliquibus locis, *ritu solemni*, quomodocumque vocatus fuisset hic ritus, post acceptionem breviarii piani celebrari debent ritu *duplici*.

179. Non solum permisit Pius V celebrationem festorum ex consuetudine, sed etiam *cum officiis propriis*. Adiectivum *Proprium* in hoc casu est contrarium *Communi*. Sicut ergo in sermone liturgico illud dicitur *commune* officium, quod convenit pluribus, ita *Proprium* dicitur, quod uni tantum convenit. Itaque hoc loco rubrica loquitur de illis officiis, quae partim vel in toto, ita alicuius festi sunt propria, ut alii festo non conveniant.

Diximus *partim vel in toto*, nonnulla enim officia, omnes partes, quibus constant, scilicet psalmos, antiphomas, lectiones, responsoria, versiculos, orationes, etc., habent propria, alia autem habent tantum lectiones historicas et orationem; ideoque partes illae alicuius officii, quae propriae non habentur, e communi sumuntur. Hinc usu quoque venit quod *Proprium* alicuius ec-

clesiae, vel religionis vel dioecesis vocetur liber, qui continet officia propria sanctorum illius ecclesiae, religionis, et dioecesis.

Haec autem officia propria esse debent a Sede Apostolica approbata, aut eiusdem Sedis auctoritate recepta vel recipienda. Nemo enim, neque episcopus pro sua dioecesi, aliquid potest in re liturgica decernere, post Pianam bullam; hic ergo rubrica adprobationem officiorum particularium exigit, et a quo habenda sit exponit, nempe ab Apostolica Sede.

Item sicut officia approbata pro una ecclesia, congregatione vel dioecesi, recitari nequeunt in alia ecclesia, nisi ex indulto apostolico; ita non sufficit officium aliquod esse approbatum a Sede Apostolica, ut ego illud recitem, sed opus est quoque ut ad meam ecclesiam idem extendatur, ab eaque recipiatur ex apostolico indulto. Id constat ex pluribus S. R. C. decretis, ac praesertim ex pluries citato n. 555.

Vult tamen rubrica quod in huiusmodi officiis *servata* sit forma breviarii. Pro forma intelligitur dispositio, ordo et numerus psalmorum, lectionum, versiculorum, etc. quae dicuntur in officio nocturno et diurno, et inveniuntur in breviario romano. Cum enim s. Pius V cetera breviaria abstulit, quae ducentis annis antiquiora non essent, voluit etiam ut officia particularia ecclesiarum reducerentur ad formam sui breviarii, ac ita, et non aliter, approbarentur et recitarentur. Hinc est quod ecclesiae particulares, quae proprium sanctorum retinere voluerunt post s. Pium V, ut proprium ipsum ad formam breviarii romani reduceretur curarunt, sicuti bene innuit Gavantus (sect. II, c. 2, n. 29), et postea S. Sedis approbationem expostularunt.

Quod si officium *proprium* non habeatur, vel iuxta formam breviarii piani reduci nequeat, officium sumi debet, ait rubrica *de communi*, scilicet, si alicubi festum celebraretur, cuius officium proprium ab Apostolica Sede approbatum non esset, vel solummodo approbatum pro alia ecclesia extaret, festum ipsum celebrandum foret cum officio integre sumpto de communi, iuxta qualitatem sancti, prout habetur in fine Breviarii etiamsi praedicta festa in calendario non sint descripta. Haec verba respiciunt festa patronorum et titularium de quibus supra, nec non festa ex consuetudine, de quibus hucusque disseruimus, quae in calendario, quod habetur in principio breviari romani, non continentur.

CAPUT XXXVIII.

DE DOMINICA

180. Inter officia in honorem Dei celebrata, praecipuum locum obtinuit semper ac constanter officium diei Dominici, quod *festum* per anthonomasiam vocatum est; de eo igitur nunc est nobis agendum. Dominica substantive sumpta, vox est omnino sacra christianorum; cum enim *dies Domini* sit, in eius honorem ac servitium consecrata, *dies Dominica* dicta est, vel simpliciter *Dominica.*

Consuetudo fuit paganorum ab astris et diis suis hebdomadae dies nuncupandi, et primam, *diem Solis* vocaverunt; quam consuetudinem in rebus civilibus retinuere christiani, prima die excepta, quam *dominicam* dixerunt, dum alios dies infra hebdomadam *ferias* in rebus sacris appellaverunt, usque a temporibus apostolorum. Sicut s. Ioannes testatur (*Apoc.* I, 9-10), primam suam visionem die dominica habuit: *Ego Ioannes frater vester... fui in spiritu in Dominica die, et audivi...* Dies autem Domini dicta est, in substitutionem sabbati hebraeorum: « Observantia enim diei Dominicae, ait s. Thomas (2, 2, qu. 122, ad 4) in nova lege succedit observantiae sabbati, ex constitutione Ecclesiae et consuetudine populi christiani ». Hinc Augustinus (*Serm.* 151 *de Temp.*) ait: « Dominicum ergo diem apostoli et apostolici viri, ideo religiosa solemnitate habendum sanxerunt, quia in eodem Redemptor noster a mortuis resurrexit... Ac ideo sancti doctores Ecclesiae decreverunt omnem gloriam iudaici sabbatismi in illum transferre, ut quod ipsi in figura, nos celebremus in veritate; quia tunc erit requies nostra vera, quando resurrectio fuit perpetrata ».

D. Cabrol (*Le livre de la prière antique*, 1900, p. 231) sententiam D. Cagin acceptans, docet Dominicam a christianis sabbato suffectam fuisse, quia usus hebraicos deserere cupiebant, ut plane nosceretur christianam religionem novam esse legem propriam et perfectam, non vero ipsum iudaismum quasi temperatum. Dominica erat etiam dies resurrectionis Domini, prima dies in hebdomada; cum autem conventus liturgicus christia-

norum sero in sabbato habebatur, et liturgia nonnisi in aurora explebatur, hinc dominica evasit dies liturgicus per excellentiam.

De quo in Scriptura praeclarum habetur testimonium. ubi (*Act.* XX, 7) legimus, quod *una sabbati,* prima nempe hebdomandae die, *conveniebant ad frangendum panem*; et sane in libro *Didachè* (cap. 14) legitur: « Die dominica autem convenientes frangite panem et gratias agite ». (Cf. Bäumer, I, p. 60). De qua consuetudine die dominica ad Ecclesiam conveniendi, ut sacris interessent mysteriis Christiani, loquitur s. Iustinus (Apologia II): « Die qui solis dicitur, omnes qui in oppidis vel agris morantur, unum in locum conveniunt » ubi animadvertendum est diem solis, non dominicam, hic vocasse Iustinum, eo quod paganis loquebatur. In his conventibus sacrificium offerebatur, sermonibus fideles instruebantur, sacramentis firmabantur, atque hymnis et canticis spiritualibus recreabantur.

Attamen non tantum Resurrectionis et Creationis mysteria, die dominica commemorantur, ut innuitur in hymno ad matutinum dominicae:

Primo die quo Trinitas
Beata mundum condidit,
Vel quo resurgens Conditor
Nos morte victa liberat,
Pulsis procul torporibus
Surgamus omnes...;

sed prout scribit card. Bona (*De div. psalm.* c. 16, § 18), ex Patrum traditione habetur, quod *die dominica,* populus electus mare Rubrum sicco transivit vestigio, atque in deserto mannam de caelo, omne delectamentum in se habentem accepit. Die dominico Christus de Virgine natus est, et baptismo a Ioanne ablutus; atque in Cana primum signum fecit aquam convertens in vinum; ac deinde quinque panibus multiplicatis, quinque millia hominum satiavit. Hac die, non solum a mortuis surrexit, sed et Apostolis ianuis clausis apparens, potestatem dedit remittendi peccata; et Spiritus Sanctus die dominica super eos descendit.

181. Dominicae celebrationem non more paganorum, qui festorum initium a noctis dimidio sumebant, sed more hebraeorum, inierunt christiani, scilicet a vespere sabbati. Officium ergo dominicae persolvebatur, a clero et populo cum psalmodia vespertina in sabbato, deinde cum nocturnis et laudibus,

postea cum sacra synaxi, demum cum laudibus vespertinis, nemo autem ex fidelibus, nisi ex iusta causa, abesse poterat.

Incertus auctor, qui sub nomine s. Augustini venit (serm. 231) loquens de officio dominicae ait: « Nullus se a missarum maiorum celebratione separet, neve quis domi remaneat, ceteris ad ecclesiam pergentibus ». Eiusmodi porro fuit primis saeculis indoles in cultu diei dominicae.

At sensim sine sensu, huc et illuc, fervor laicorum tepescere coepit, ita ut clerici tantummodo celebrabant officium dominicae a vespere ad vesperam, atque laici mane dumtaxat sacris aderant. Quod si alicubi sacrum quoque deserere coepissent laici, multae Synodus hanc negligentiam sub poenis damnaverunt, tam in occidentali quam in orientali Ecclesia. Sit pro omnibus synodus Agathensis (an. 506, can. 47) quae habet: « Missas die dominico a saecularibus totas teneri speciali ordinatione praecipimus, ita ut ante benedictionem sacerdotis populus egredi non praesumat. Qui si fecerint, ab episcopo publice confundantur » (cf. quoque Conc. Sardicen. 347, can. 2, Quinis ext. 691, can. 80, et I, Aurelian. 511, can. 26).

Martène (lib. I, c. 3, art. 9, n. 3-6) multa testimonia exhibet, de universali consuetudine medii aevi, qua fideles cunctis diebus dominicis missae, quae in propria paroecia cantu celebrabatur; et nonnulla extant statuta conciliorum, quibus declarabatur praecepto missae minime satisfieri ab iis, qui missam audiebant vel in cappellis, vel in ecclesiis monachorum. Lex tandem, a dioecesanis synodis, ante et post Tridentinum concilium, statuta est quod fideles missae quidem sub gravi festis diebus audire debeant, in quacumque tamen ecclesia.

Nihil hic dicimus de abstinentia ab operibus servilibus, quae pendet ex praecepto divino; omitti tamen a nobis non debet lex etiam civilis qua vetebantur dominicis diebus, publici ludi et histrionum spectacula. Zeno enim imperator edixit: « Nec huius tam religiosi diei otia relaxantes, ab obscoenis quemquam non patimur voluptatibus detineri; nihil enim eodem die sibi vindicent scena theatralis, aut circense certamen, aut ferarum lacrymosa spectacula ».

Martène (ib.) refert quoque statuta varia quibus vetebantur apertae tabernae, diebus dominicis, multo magis quia, *ieiuno stomacho missae debent audiri*, uti iubetur in statutis Andegavensibus, ideoque *ante horam Primae vinum vendere* vetitum erat.

Denique aliquid dicendum restat, de ritu *non genuflectendi* diebus dominicis. Tertullianus (*De coron. mil.*, c. 3) de eo mentionem facit, quia, antiquum fuerat christianis die dominico *de geniculis minime adorare*, in memoriam resurrectionis Domini; et ait: « eadem immunitate non genuflectendi gaudere christianos, a die Paschatis usque ad Pentecosten ». Apud graecos huiusmodi ritus adhuc restat, in Ecclesia autem latina usu desiit, vestigium tamen remansit in recitandis antiphonis finalibus, quibus explicit officium divinum.

Itaque apud christianos solemnis et observandissima dominica iugiter habita est, ita ut cum divinis ministeriis et Deo praecipue esset sacra, tanto honore colebatur dies Dominica, ut in ea nullius sancti festivitas celebraretur. Micrologus (c. 62) ad rem habet: « luxta romanam consuetudinem in omni dominica ecclesiastico conventui, cum officio dominicae satisfacimus, nisi aliqua multo celebrior occurrat festivitas ». Intellige aliquam Domini solemnitatem.

Tempore autem Rodulphi Tungrensis (saec. XIV) iam mos invaluerat Romae celebrandi nonnulla festa etiam sanctorum, scribit enim (prop. 13): « Romanus usus ceteris, post ambrosianum, melius se habet, in quo, praeter quaedam, festa novem lectionum cedunt dominicae ». Et revera adhuc in ambrosiano ritu dominica summo honore recolitur, in cuius breviario haec leguntur (*Rubr. gen.* § 3): « Si igitur cum dominica concurrit (intellige iuxta romani ritus locutionem occurrit) aliquando officium de aliquo festo vel B. Mariae Virginis, vel alicuius apostolorum, vel sancti patroni, etiam sancti Ambrosii, fit de dominica, translato officio de sancto qui in dominica inciderit. Si vero, ut supra, aliqua solemnitas Domini in dominicam incidit, fit de illa solemnitate cum commemoratione dominicae ». Quae praescriptio fundamentum habet in hoc, quod dominica dies Domini est, ut supra notavimus; ideoque, sicut sole emicante sidera cuncta obscurantur, ita dominica adveniente, officia servorum in obsequium Domini cedere debent.

Opportune Fornici (*Instit. liturg.*, p. 839) ad rem citat s. Augustinum (*Serm.* 362) qui rationem reddens cur ullam de s. Leontio mentionem faceret, quamquam in eiusdem basilica sermonem haberet in suo natalitio die, qui eo anno in festo Ascensionis Christi occurrebat, ait: « Hodiernum diem Ascensionis ipsius Christi celebramus, occurrit autem huic ecclesiae alia vernacula solemnitas. Conditoris ecclesiae huius sancti Leon-

tii hodie depositio est, sed dignetur obscurari stella a sole; ergo de Domino potius loquamur; gaudet bonus servus, quando laudatur Dominus ».

Attamen Romanae Ecclesiae spiritus diversa, hac in re, consideratione ducitur; festa enim sanctorum ad hoc instituta sunt, ut eorum memoriam celebrando cultus Domino tribuatur omnium creatori mirifico, et in caelis glorificatori. Quocirca, licet dominica festum Domini sit, parum interest quod officio sanctorum, et non officio dominicae, Dominus ipse honoretur ac collaudetur.

Non est tamen silendum, antiquitus Ecclesiam quoque Romanam dominicale officium maxima reverentia prosecutam fuisse; testante enim Gavanto (Sect. III, c. 3, n. 4) olim difficilius officia duplicia concedebantur, « ne dominicae officium, quod est Domini, impediatur ab officio duplici quod notat expresse Clemens VIII die 19 iulii 1601 ». In praesenti vero disciplina, non solum duplicia officia quam maxime multiplicata sunt, ita ut vix aliquod hodie concedatur officium sub ritu semiduplici, sed facile conceduntur etiam festa in dominicis fixe celebranda (1).

182. Quando, more romano, coeptum est celebrari festa etiam sanctorum in diebus dominicis occurrentia necesse fuit ut ipsae dominicae in varias classes distinguerentur, nam aliquae ex iis privilegium antiquum non amiserunt, non persolvendi in eis aliud officium, nisi de dominica. Quapropter tres classes dominicarum habitae sunt, dominicae I classis, dominicae II classis, et dominicae per annum; hae dicuntur minores, illae maiores.

Dominicae I classis sunt octo, nempe: Dominica I Adventus, I Quadragesimae, Passionis, Palmarum, Paschatis, In albis, Pentecostes et SS. Trinitatis, quae tali celebritate fruuntur ut nunquam omittantur, licet in eis occurrat quodcumque festum licet duplex I classis. Quod attinet ad dominicas Paschatis et

(1) Ut taceamus de festis SS. Nominis Iesu et Pretiosissimi Sanguinis pro universali Ecclesia, et SS Redemptoris ac Dedicationis Ecclesiarum, pro aliquibus locis, quae festa Domini sunt; Patrocinium s. Ioseph, s. Ioachim, SS. Nomen, Septem dolores, et Rosarium B. M. V. nec non plurima alia, ut Maternitas, Puritas, Patrocinium, SS. Cor eiusdem B. Virginis, SS. omnes Pontifices, SS. Reliquiae, Translatio, Inventio aliquorum sanctorum, hodie passim in Dominicis celebrantur, quod procul dubio non parum congruit cum traditione liturgica.

Pentecostes per se patet numquam omitti posse, sunt enim festa omnium solemnissima et ritu duplici I classis recoluntur. Quoad dominicas *in Albis* et SS. Trinitatis, licet minoris sint celebritatis nihilominus iura obtinent diei octavae privilegiatissimae Paschatis et Pentecostes, et pariter ritu duplici recoluntur; reliquae vero dominicae I classis, etsi ritu semiduplici gaudeant, ob initium temporum Adventus Quadragesimae, Passionis et maioris hebdomadae, voluit Ecclesia quod numquam eorum officium omitteretur.

Dominicae II classis sunt novem, nempe: Dominicae II, III et IV Adventus, Septuagesimae, Sexagesimae, Quinquagesimae, II, III, et IV Quadragesimae, quae cedunt tantummodo duplicibus I classis.

Dominicae tandem, minores sunt reliquae dominicae per annum, quae cedunt locum cuicumque festo duplici occurrenti.

Cum annus quinquaginta duabus hebdomadibus constet ac die una (et in bissextilibus diebus duobus), frequentius quinquagintaduae occurrunt dominicae, aliquando vero quinquagintatres. Itaque in missali et in breviario officia inserere oportuit pro quinquaginta tribus dominicis, quod fecit Pius V. Cum autem a Septuagesima usque ad Pentecosten necessario et iugiter occurrant septemdecim Dominicae, quatuor in Adventu, nec non duo (raro una tantum) a Nativitate usque ad Epiphaniam, manifestum est, quod omnino necesse erat ut officia instituerentur pro triginta aliis dominicis, ut numerus quinquagintatrium compleretur. Ex his autem triginta dominicis, sex positae sunt post Epiphaniam, et vigintiquatuor post Pentecosten.

Ante Pium V, dominicae post Epiphaniam quinque tantum erant, ut docet Durandus (*Rationale*, lib. VI, c. 23) scribens: « Sexta dominica, quia raro contingit, non habet nisi orationes tantummodo; sed ei a duobus praecedentibus mutuatur ». In piana autem breviarii reformatione additum est officium dominicae VI: nimirum positae sunt in breviario antiphonae propriae ad *Benedictus* et ad *Magnificat*, nec non lectiones nocturnorum, atque in missali epistola et evangelium; non orationes quia iam habebantur. Non additae autem fuere ceterae missae partes, nempe introitus, graduale, offertorium et communio, eo quod cum officia dominicae III, IV, V et VI post Epiphaniam aliquando, uti infra dicemus, celebrentur post Pentecosten, ac proinde dominicae *Vagae* dicantur (Meratus, Sect. III, c. 5, n. 1), hae partes officii missae communes sunt illis dominicis, ea ta-

men lege, quod si suo tempore celebrentur, hae communes partes sumuntur a dominica III, si vero post Pentecosten transferantur, a dominica XXIII mutuantur, prout in missale facile videri potest.

183. Officium dominicae ritu semiduplici celebratur et sumitur de psalterio, lectiones vero iugiter propriae habentur, sicut et orationes, atque antiphonae ad *Magnificat* et ad *Benedictus*.

Nihilominus ait rubrica: « De dominica infra octavas Nativitatis, Epiphaniae, Ascensionis et Corporis Christi occurrenti, officium fit ut infra octavam » scilicet, omittitur officium de psalterio, retinentur tamen lectiones et cetera quae sunt propria dominicae. Hunc locum luculenter et more suo exponit cl. Guyetus (lib. IV, c. 2, q. 3). Scribit enim: « Antiquorum breviariorum fuit usus ille tritus ac communis, ut in dominicis infra quascumque octavas fieret officium non de dominica, sed de ipsa octava; ab aliis quidem integrum, nulla facta mentione Dominicae; ab aliis vero excepta homilia, antiphona ad *Benedictus* et oratione, quae de dominica erant. Qui usus a Pio V retentus quidem fuit pro dominicis infra quatuor octavas Domini, nimirum Nativitatis, Epiphaniae, Ascensionis, et Corporis Christi, in quibus officium fit ut in festo; opportune id omnino, cum et officium earumdem octavarum, vere officium sit Domini, adeoque a dominica haud alienum: sed nec dominicis istis, saltem tribus prioribus, fas esset psalteriale officium tribuere, quippe extra seriem positis temporum, in quibus psalterii cursus locum habet. Reliquis vero Dominicis infra alias omnes octavas restitutum est officium dominicale, utpote quibus opportunum non erat officium sanctorum, de quibus fiunt octavae ».

Alias rationes adducit Gavantus (Sect. III, c. 5, n. 3) nempe « ut officium conveniat instanti celebritati Domini, et pro dominicis infra octavas Nativitatis et Epiphaniae, quia ut plurimum illa festivitas celebratur extra diem dominicum, et haec Epiphaniae celebratur aliquando in sabbato; extra vero diem ipsum dominicum non dicuntur congrue psalmi de dominica eidem diei praecise assignati ».

In dominicis vero, quae occurrunt infra alias octavas non privilegiatas, quae habentur tam in calendario universali, quam in calendariis particularibus, totum officium fit de dominica, ut in psalterio, et in proprio de tempore; idest psalmi sumuntur in psalterio, reliqua autem, nempe antiphonae, capitula, orationes ut in proprio de tempore... « cum commemoratione Oc-

tavae, omissis precibus et suffragiis quae semper dicuntur in dominica, extra octavas » (1). Quod S. R. C. nuperrime declasavit suo decreto n. 4021.

184. Ante emendationem breviarii Pii V, officium dominicae transferri poterat, infra eius hebdomadam, cum impediebatur a maiori festo, prout adhuc fit de dominica quando occurrit in diebus Nativitatis Domini, s. Stephani, s. Ioannis et ss. Innocentium et in eorum octavis. Sed ab illa emendatione, ait Guyetus (lib. IV, c. 2, quaest. 2), « statis fixisque in sua sede dominicis viget in quocumque casu rubricae IV edictum 3 ne ulla ex his dominicis vacet, quin saltem de ea fiat commemoratio.

Cum ergo officium dominicae intransferibile sit, si de ea saltem non fieret commemoratio, etiam in occurrentibus festis primae classis, eius memoria penitus aboleretur. Hoc autem valde incongruum reputatur ab Ecclesia; officium enim dominicarum, omnino venerabile in se censetur, multo magis quia ordo officiorum dominicalium, est pars praecipua anni liturgici; de eis ergo saltem commemoratio facienda est. Hoc communiter docent doctores; nobis autem aliam addere liceat causam cur de dominica impedita fieri debeat semper commemoratio.

Dominica dies festive recolitur quoad chorum et forum; quando ergo in dominica occurrit officium ritus superioris, festum externum agitur, non in eius obsequium, sed in honorem dominicae; ergo de dominica, si non officium, saltem fiat commemoratio.

Quae commemoratio, ait rubrica fit « in utrisque vesperis et laudibus, et ad matutinum legitur nona lectio de homilia dominicae... » Cum enim officium dominicae sit *semiduplex*, ac proinde etiam secundas vesperas habeat, consequenter de ea commemoratio quoque facienda est in utrisque vesperis officii duplicis impedientis. Legitur autem et nona lectio de homilia dominicae, quia cum eius evangelium legendum sit in fine missae

(1) Hic adnotandum placet, quod cum PP. Carmelitae Excalceati, ex indulto Pii VIII solemnitatis B. Mariae a Monte Carmelo octavam celebrent privilegiatam, ita ut infra ipsam non agant nisi de duplicibus I et II classis, in dominica infra octavam ipsam huius agunt officium cum commemoratione dominicae. Idem agunt canonici Urbevetani qui celebrant octavam Assumptionis B. M. simili cum privilegio. Nos in *Ephemer. liturg.* (an. 1891, p. 33) demonstravimus hoc esse erratum, et S. R. C. suo decreto 9 iunii 1899, n. 4026, sententiam nostram confirmavit.

de occurrente duplici, in officio quoque super eodem homiliam legere oportet. Quod severiori sensu accipitur, ut quando etiam legenda esset nona lectio de simplici, aut de duplici vel semiduplici simplificato, haec prorsus omittenda sit, ut nona lectio dominicae legatur. Animadvertendum est tamen, quod licet hic dicatur: *legitur nona lectio*, hoc tamen intelligendum, ut non reapse lectio nona de officio dominicae legatur, sed prima tertii nocturni imo, si magis libeat, *tres simul in unam coniunctae*, uti permittit rubrica (tit. XXVI, n. 3).

Cum autem aliquae revera habeantur dominicae, omnino *vacantes*, de eis penitus nihil fit, nec ipsa commemoratio, et sunt dominicae quae occurrere possunt in festis natalitiis, eorumque octavis, et in vigilia vel in festo Epiphaniae, sed hoc est exceptio legis, super quam hic referre prodest quod scribit Gavantus (sect. III, c. V, n. 4): « Quaeritur, cur a Nativitate Domini usque ad Epiphaniam dantur dominicae, in quibus nulla prorsus contingit fieri de iisdem commemoratio, unde et in calendariis dicuntur *Vacantes*? Ratio dubitandi est, quia sicut occurrente festo s. Silvestri in dominica, fit de festo cum commemoratione dominicae; ita in festo (puta s. Ioannis) occurrente in dominica, poterat idem fieri. Verum incongruum erat, si occurreret festum Nativitatis, vel Circumcisionis, vel Epiphaniae in dominica, quod una simul cum festo Domini fieret commemoratio eodem die de festo eiusdem Domini, quod est dominica: in gratiam autem Nativitatis Domini et Circumcisionis fuit ordinatum, quod nec in tribus festis et octavis diebus s. Stephani, s. Ioannis et ss. Innocentium haberetur ratio dominicae occurrentis; de qua tamen infra octavam, tamquam de dominica impedita, fit officium post festum s. Thomae, vel in festo s. Thomae, hoc eodem translato in feriam sequentem; (nunc vero ex S. R. C. decr. 24 febr. 1896, quo festum s. Thomae ad ritum duplicem evectum est, fit de eo cum commemoratione ipsius dominicae) et ita congruit evangelium, quod legitur ratione dominicae, legi post natum Christum, non eodem veluti nascente per quandam repraesentationem. Eadem ratio militat in vigilia Epiphaniae et in Epiphania, in quibus si occurrat dominica, ea vacat, neque habet evangelium, quod tempori conveniat, neque consequenter commemorationem; imo neque ex textu evangelico decerni potuit, quod legeretur convenienter in dominicis occurrentibus intra haec festa, ut rite consideranti patet; evangelium autem est caput totius officii, ait Rupertus (lib. I, cap. 37) ». Hucusque Gavantus. Aliam tamen rationem,

pro dominica quae occurrere potest post Circumcisionem, hic addere nobis liceat, quae cl. Gavanto aliisque liturgicis aufugit. Si positum esset officium pro dominica, quae aliquando occurrit diebus 2, 3, 4 et 5 ianuarii, quid accideret de officio huius dominicae, si ista occurreret die 1, 6, vel 7 eiusdem mensis? Si dominica incidit in 1, vel 6 diem, nil oportet de ea fieri, cum iam agatur festum Domini; si vero incidit in die 7, haec esset dominica infra Epiphaniae octavam, quae iam habet proprium officium; hisce ergo in casibus officium dictae dominicae necessario omitteretur. Maluit itaque Ecclesia illis primis ianuarii diebus, etiam occurrente dominica, Dominum ipsum indirecte recolere cum officio octavae s. Stephani, s. Ioannis et ss. Innocentium, quam officium institueret pro tali dominica, quod frequentissime omitti debuisset.

185. Iam supra innuimus quod dominicae, quae occurrere possunt post Epiphaniam et post Pentecosten, insimul sumptae, sunt vel vigintinovem, vel triginta. Quando ergo Septuagesima parum distat ab Epiphania, ac proinde dominicae post hanc occurrentes paucae sunt, necessario numerus succrescit dominicarum post Pentecosten. Hinc est quod dominicae quae celebrari nequeunt post Epiphaniam, transferuntur post Pentecosten, scilicet post XXIII dominicam a Pentecoste, et ante XXIV, quae semper ultima esse debet, ob rationes infra exponendas. Si quis autem inquirat, cur dominicae post Epiphaniam transferantur aliquando post Pentecosten, suo loco relicta dominica Septuagesimae, facile respondebimus: cyclus dominicarum post Epiphaniam et post Pentecosten pertinet ad commemorationem *doctrinae* D. N. I. C., cyclus vero dominicarum a Septuagesima usque ad Pentecosten, et ab Adventu usque ad Epiphaniam, pertinet ad commemorationem *Vitae* eiusdem SS. Redemptoris nostri; ac proinde hic cyclus suo tempore iugiter est servandus, ille autem, nihil prohibet quominus immutari possit.

Rubrica (tit. IV, n. 4) docet: « Si dominicae post Pentecosten fuerint vigintiquinque, dominica XXIV post Pentecosten erit quae est VI post Epiphaniam. Si fuerint vigintisex, dominica XXIV erit quae est V; et XXV quae est VI. Si fuerint vigintiseptem, dominica XXIV, erit quae est IV; et XXV quae est V, et XXVI erit VI. Si fuerint vigintiocto, dominica XXIV erit III, et XXV erit IV, et XXVI erit V, et XXVII erit VI; et ultimo loco semper ponitur, quae in ordine est XXIV post Pentecosten, etiamsi post Pentecosten aliquando non sint nisi vi-

gintitres dominicae. Tunc enim XXIV ponitur loco XXIII, et officium XXIII ponitur in praecedenti sabbato, quod non sit impeditum festo novem lectionum; alioquin in alia praecedenti die similiter non impedita, in qua fiat officium de feria, cum commemoratione festi simplicis, si occurrat; et in ea legantur tres lectiones de homilia dominicae, omissis lectionibus Scripturae illius feriae et in laudibus dicatur antiphona ad *Benedictus* et oratio de dominica XXIII. Quod si tota hebdomada impedita sit festis novem lectionum, etiam translatis, vel aliqua octava, tunc in sabbato legatur nona lectio de homilia dominicae XXIII, et de ea fiat commemoratio in laudibus tantum, cum antiphona et oratione propria ».

« Cum vero interdum contingat, ut dominica III, vel IV, vel V, vel VI post Epiphaniam supersit nec possit poni etiam post XXIII a Pentecoste, tunc de ea fit officium in sabbato ante dominicam Septuagesimae, ut dictum est supra ».

Illis enim annis quibus littera dominicalis alia est quam G et A, una semper ex dominicis aut ante Septuagesimam, aut ante Adventum est anticipanda; tunc enim dominicae sunt tantum quinquaginta duae, ideoque quinquagesima tertia, quae illis annis superest, saepe saepius anticipatur ante Septuagesimam : in annis vero, in quibus habetur littera dominicalis B, cum Epactis 26, XXVI, 25, et 24, aut C, cum Epactis 25 et 24, anticipatur infra penultimam hebdomadam ante Adventum, ut supra declarat rubrica.

Iuxta autem Micrologum, a Gavanto citatum (sect. III, c. 5, n. 8), semper est ponendum ultimo loco officium dominicae XXIV, ut in proxima tantum hebdomada ante Adventum agatur; est enim praeparatio Dominici Adventus. Equidem, uti patet legentibus evangelia dominicae XXIV post Pentecosten, et I Adventus, officia ecclesiastica incipiunt et finiunt cum commemoratione futuri Iudicii. Ipse vero Gavantus (ib.) aliam rationem opportune addit: « Ideo dominicam XXIV de iudicio futuro semper esse ultimam anni ecclesiastici, qui incipit in Adventu, quia Ecclesia, in toto anni curriculo repraesentare studet Christi actiones, a primo Adventu in carne usque ad secundum Adventum in fine mundi ».

186. Ponitur sane officium dominicae quae superest in sabbato praecedenti, nisi sit impeditum, primo quidem quia hebdomada in casu, magis pertinet ad dominicam XXII, quam ad sequentem; ideoque quoad fieri potest agi debent officia feriarum

eius; secundo autem quia officium dominicae XXIII, cum anticipari debeat, proximius ponendum decet suo proprio die. Dicitur vero *in Sabbato quod non sit impeditum festo novem lectionum*, nempe a duplici vel semiduplici, tam in die *propria natalitia* occurrenti, quam in die *mutata* aut *assignata*, imo etiam *translata*, uti hac ipsa in rubrica declaratur.

Notandum est autem quod S. R. C. decreto d. d. 5 febr. 1895 n. 3844, definivit: « Officium dominicae anticipandae impedit recitationem officii votivi ad libitum ex iis, Leo Papa XIII nuper indulsit ».

Pro dominica anticipata sumitur officium de feria; nempe psalmi dicuntur ad matutinum, ad laudes et ad primam de feria occurrenti ut in psalterio; ideoque, licet sit officium dominicae tamen dicitur revera officium *feriale* (cf. Cavalerium, tom. II, c. 14, dec. 3 et Meratum, sect. VI, c. 8, n. V).

Item dicuntur preces feriales de tempore, et suffragia etiam de Cruce, more feriali, nec non tertium responsorium, omisso *Te Deum*, quae omnia proprie officium de feria constituunt, prout mandat rubrica. Imo, ut bene notat Cavalerius (ib. dec. II, n. 10), in choro recitandum est officium parvum B. Mariae, et si sit prima dies mensis non impedita, etiam officium defunctorum. Quoad responsoria autem, erunt haec de feria currenti; dummodo tamen dominica anticipata responsoria propria non habeat, quod intelligendum est de dominicis post Epiphaniam aliquando anticipandis ante Septuagesimam. Dicuntur autem psalmi feriales, eo quod in hebdomada integrum psalterium antiquitus ordinarie et laudabiliter recitabatur; incongruum ergo fuisset si pro dominica anticipata psalmi dominicales dicerentur; tunc enim in una hebdomada bis isti locum haberent et ordo perturbaretur psalterii, quod patres nostri tanto amore praediligebant.

Officium huiusmodi fit cum commemoratione festi simplicis si occurrat; quia officium hocce, instar se habet feriae maioris, ut optime ait Cavalerius (loc. cit., n. 16), ideoque nobilius evadit festis simplicibus, de quibus in occurrentia fit tantum commemoratio. Quod si alicubi eadem die occurrat vigilia alicuius festi, de ipsa nihil fit in officio, sed tantum commemoratio in missa; id omnes docent cum Cavalerio (ib.).

Quod si in tota hebdomada recitari nequit officium dominicae anticipandae, tunc eius commemoratio fieri debet in sabbato, potiusquam in una ex praecedentibus feriis; quia sicut

sabbatum dies esset propria pro ibi reponendo officio dominicae, ita et in casu quo omnes praecedentes dies impediti sunt, dominicae commemoratio in sabbato facienda est.

Rubrica mandat fieri commemorationem in laudibus tantum, non vero in vesperis; eo quod, officium feriale, prout superius docuimus, non habet primas vesperas, ergo nec ius ad commemorationem. Idem dicendum venit de commemoratione in secundis vesperis; quia in sabbato, in quo facienda est huius dominicae commemoratio, vesperae a capitulo necessario sunt de sequenti dominica XXIV, aut integrae de duplici in ea occurrenti, cessat omnino ius ad sabbati officii commemorationem.

Commemoratio denique huius anticipatae dominicae cum nona lectione, de qua hic agitur, facienda est quoque etsi in sabbato occurrat duplex I vel II classis (S. R. C. decr. n. 2387), ideoque omne cadit argumentum Gavanti (tabel. 17 die 1 febr.) et Guyeti (lib. IV, c. 2, qu. 4), qui malebant fieri commemorationem dominicae anticipatae in feria VI, quam in sabbato, in quo duplex I classis occurrit.

187. Quae autem erunt lectiones primi nocturni in sabbato, in quo occurrat fieri de festo cum commemoratione dominicae huiusmodi? Antiqui doctores non in eamdem abierunt sententiam, ut videri est in Gavanto et Merato (tabula VI et X), Guyeto (lib. IV, c. 16, qu. 6) nec non Cavalerio (loc. cit., n. 27); De Herdt vero (p. IV n. 237, 4) ad rem cum distinctione scribit: « in casu dominicae anticipatae post Pentecosten, in primo nocturno leguntur lectiones in breviario sabbato assignatae »; et est casus noster; « in casu autem dominicae anticipatae post Epiphaniam, in primo nocturno legendae sunt lectiones de dominica anticipata, dummodo initium alterius epistolae s. Pauli in sabbato non occurrat; quo casu initium dominicae anticipatae omittitur, et illud sabbati legitur »; citatque S. R. C. decreta 4 sept. 1773, et 28 martii 1775.

De hisce duobus decretis in nova collectione solum remansit secundum, sub n. 2503, et certo certius illi in praxi standum est. Nihilominus scientifice loquendo, et cum consensu duorum ex S. R. C. consultoribus, aliter iuxta rubricas esset dicendum. Rubrica enim (tit. XXVI, n. 8) ait: ... *post officium dominicae anticipatae in sequentibus diebus legatur de epistolis s. Pauli assignatis dominicae anticipatae, omissis aliis* (lectionibus), *quae sunt assignatae praecedentis hebdomodae.* Ergo cum anticipatur aliqua dominica, supponitur quod anticipetur et tota

eius hebdomada; quod si de dominica anticipata non fiat officium, sed tantum commemoratio, ut in casu nostro, tunc in primo nocturno lectiones de Scriptura sumuntur ex eadem anticipata dominica, haec enim quodammodo *occurrit* in sabbato; ergo in sabbato incipit quodammodo alia hebdomada, ideoque omittendae lectiones ipsius sabbati, ut vult rubrica. Et sane, cum commemoratur aliquod officium impeditum, et in casu nostro impeditur officium dominicae anticipandae, de eo officio commemorato retineri debet maior pars possibilis, ergo et lectiones I nocturni, spretis illis quae in sabbato dicendae forent, sabbatum enim cedens locum dominicae, procul dubio totum eius officium perit, porro et eius lectiones pereunt; optandum est ergo ut nova peracta revisione decretorum, sicut S. R. C. decretum 4366 antiquae collectionis expunxit, ita et aliud reformet.

188. Aliquando, rarissime tamen, contingere potest quod dominica II post Epiphaniam impediatur a Septuagesima, quando scilicet Pascha occurrit die 22, vel 23, vel 24 martii, tunc officium huiusce dominicae anticipatur quidem, sed cum iuribus maioribus, quibus carent ceterae anticipatae dominicae.

Scilicet officium eius fit in sabbato praecedenti, dummodo non sit impeditum ab aliquo officio duplici vel semiduplici; si vero ita sabbatum ipsum impediatur, tunc officium dominicae anticipatur in prima die post octavam Epiphaniae ab officio duplici non impedita, et de occurrenti festo semiduplici fit commemoratio iuxta solitum (*Rubr. spec.* et S. R. C. decr. 1889). Ad hunc effectum, sabbatum impeditum non censetur si occurrat die 19 ianuarii in festo *ad libitum* s. Canuti, quod in casu omittitur (S. R. C. decr. 3636 et 3844).

Huiusmodi rubrica quae haec omnia iubet contra normam comunem, sic fuit confecta in breviario Pii V, quando scilicet dies 14 et 19 ianuarii omnino vacuae erant, atque festum s. Pauli I Eremitae semiduplici gaudebat ritu; hinc facilius applicari poterat; hodie tamen, inspecto calendario universali, prout nunc iacet praedicta rubrica hoc modo applicari tantummodo potest.

Quando Septuagesima occurrit die 20 ianuarii, officium dominicae II anticipatur in sabbato, nempe die 19. Dicitur ergo totum officium ipsius sabbati ut in psalterio; post nocturnum dicuntur lectiones homiliae cum tribus ℟℟ I nocturni ipsius dominicae, omisso *Te Deum*, cum antiphona ad *Benedictus*,

Nuptiae factae sunt, et oratione propria; dicuntur preces, fit commemoratio occurrentis festi simplicis ss. Marii et soc. fiuntque suffragia. Per horas feriales dicitur oratio ipsius dominicae, cuius etiam dicitur missa propria.

Non fit autem commemoratio dominicae pridie in vesperis feriae sextae, quia agitur de officio ferialis, quod primas vesperas non habet.

Cum autem occurrat Septuagesimae vel die 16 vel die 18 ianuarii, tunc officium dominicae non anticipatur in sabbato, quia occupatur a festo duplici, sed persolvitur die 16 in qua occurrit festum semiduplex s. Marcelli, dicendo totum officium feriae currentis (VI vel V) ut supra, cum commemoratione s. Marcelli simplificati in utrisque vesperis in laudibus et in missa de ipsa dominica II. Sequentibus diebus lectiones de Scriptura erunt de epistola II ad Corinthios, ait rubrica; in casu tamen nostro, non poterunt anticipari lectiones dominicae II, nisi die 17, quia dies 18 habet lectiones proprias, s. Petri ap.

In proprio de tempore breviarii, in mensibus augusti, septembris, octobris et novembris vocantur dominicae iuxta ordinem numeralem, quem habent in unoquoque mense: hic autem ordo sumitur non praecise intuitu dominicarum, sed hebdomadarum; quia, sicut in mensibus praedictis lectiones distribuun tur per hebdomadas, ita in prima hebdomada augusti, relictis lectionibus de libro III, vel IV Regum, incipitur lectio Parabolarum, aliorumque librorum Sapientialium qui in eodem mense ponuntur; et sic de aliis.

Ait porro rubrica (tit. IV, n. 7): «Cum autem in proprio de tempore dicitur aliqua dominica esse prima mensis in qua primo ponitur initium de Scriptura cum sua historia, idest cum responsoriis, animadvertendum est, eam dici primam dominicam mensis, quae venit in calendis illius mensis, vel proximior calendis hoc modo. Si calendae venerint in II, et III, et IV feria, dominica prima mensis erit quae praecedit calendas, licet veniat in praecedenti mense: si autem calendae venerint in V, et VI feria et in sabbato, prima dominica erit quae sequitur post ipsas calendas». Quod per se patet. Illa ergo erit dominica prima mensis, respectu Scripturae legendae in hebdomadibus mensium, quae occurrit diebus 1, 2, 3 vel 4 mensis ipsius, aut diebus 31 vel 30 mensis antecedentis si dies habet triginta et unum, aut diebus 30 et 29 si dies habet triginta. Et sic per ordinem de sequentibus dominicis eiusdem mensis.

Officium dominicae, uti diximus, fit semiduplex, et incipit a primis vesperis in sabbato: et habet totum officium usque ad completorium dominicae inclusive. Quamquam ergo psalmi et antiphonae pro primis vesperis dominicae non habeantur, sed sumantur ex psalterio in sabbato, nihilominus iure dicuntur primae vesperae officii dominicae. Imo licet omnes vesperae feriarum ritu persolvantur simplici, vesperae quae dicuntur in sabbato ritum habent semiduplicem, sunt enim pars officii dominicae.

CAPUT XXXIX.

DE FERIIS

189. Feria dicitur *a feriando*; cum enim gentiles ferias vocarent dies quibus ab operibus servilibus vacandum erat, hinc christiani idem nomen retinuerunt, ut nedum primam diem hebdomadae, sed ceteros quoque dies Domino sacros esse significarent, praesertim ministris altarium.

Unde in festo s. Silvestri Pp. (lect. VI) legimus quod hic pontifex, sabbati et dominici diei nomine retento, reliquos hebdomadae dies feriarum nomine distinctos, ut iam ante in Ecclesia vocari coeperant, appellari voluit, quo significaretur quotidie clericos, abiecta coeterarum rerum cura, uni Deo prorsus vacare debere. Et revera, s. Ignatius et s. Iustinus, qui saeculo I et II floruerunt, memorant ferias, pro diebus infra hebdomadam; et Tertullianus (*Adv. Psychicos*, c. VIII et XIV) ait: « Nobis omnis dies etiam vulgata consecratione celebratur, cum enim horrerent fideles nominare dies a diis gentium, vel iudaico more a sabbato primam, secundam sabbati etc. ».

Similiter s. Augustinus (*in psalm. 93*) ait: « Una sabbati dies dominica est; secunda sabbati, quam saeculares lunae diem vocant, est nostra feria secunda; tertia feria, quam diem martis vocant etc.... ». Quapropter recte concluditur s. Silvestrum morum antiquum suo decreto firmasse, non autem feriarum nomen in Ecclesia primum invexisse.

Antiqui officium feriale appellabant officium trium responsorium, teste Gavanto (sect. III, c. V, n. 1) hodie vocatur trium lectionum. Officium feriale in rubricis (tit. V, n. 1) dicitur *Simplex de Tempore*, ut distinguatur a simplici de sanctis, quod licet feriale censeatur, ob nocturnum feriae, est tamen officium festivum, per ipsum enim festum infimi ritus alicuius sancti celebratur.

Feriae itaque proprie appellantur in breviario dies illae in quibus nullum officium occurrit, sive duplex sive semiduplex, sive simplex, sive etiam de vigilia, sed officium totum persolvitur prout ponitur in psalterio, in proprio de tempore.

Feriae distinguuntur in *Maiores* et *Minores*. Maiores autem subdividuntur in duos ordines; ad primum ordinem pertinent feriae quae ita sunt privilegiatae, ut eorum officium numquam omitti debeat, et praeferuntur cuilibet festo etiam solemnissimo I classis. Hae sunt: feria IV Cinerum, et feriae II, III et IV Maioris Hebdomadae.

Feria enim Cinerum, quae dicebatur *in capite ieiunii*, in maximo honore semper habita fuit, ut fideles ex eius celebratione numquam omittenda, et cinerum impositionis ritu illustranda, facilius intelligerent tempus advenisse poenitentiae. Item dic de feriis Maioris Hebdomadae, ob sanctissima mysteria, quae in eis memorantur, ac pro lectione passionis Domini numquam omittenda.

Feriae secundi ordinis sunt, quae cedunt locum cuilibet officio novem lectionum, non tamen festo simplici, de eis tamen semper fit commemoratio in quocumque occurrente festo etiam I classis. Sunt autem omnes feriae Adventus et feriae Quadragesimae a quinta post Cineres usque ad sabbatum ante Palmas inclusive, feriae quatuor Temporum de mense septembris, et feria II Rogationum. In huiusmodi feriis ait rubrica, si occurrat festum simplex, de eo fit tantum commemoratio. Cum enim officium feriarum maiorum praevaleat festis sanctorum, quae ritu simplici recoluntur, agitur officium feriae et de his fit commemoratio. Advertendum tamen est, hic dici: fit tantum commemoratio, quia ly *tantum*, in hoc casu, positum est ad excludendam lectionem historicam de sancto simplici. Regulariter enim, quando dicitur fieri alicuius officii commemoratio, quod lectionem historicam habeat, in commemoratione comprehenditur quoque lectio ipsa historica. In obsequium ergo feriarum Adventus, sancti mense decembri simplici ritu occurrentes, carent omnes lectione historica; nonnulli autem mense februario occurrentes, hanc habentes lectionem, ea privantur in parte verna breviarii, quia, uti patet, haec pars incipit cum Quadragesima, in qua locum non habent lectiones de sanctis simplicibus.

Licet rubrica (ibid.) inter ferias maiores recenseat quoque vigilias, nihilominus non in omnibus cum maioribus feriis aequiparantur; proindeque n. 147, ferias maiores I, II, III et IV ordinem simplicium constituere docuimus, vigilias vero communes ordinem V.

Minores feriae sunt reliquae per annum, quae cedunt cui-

libet officio etiam infimi ritus. Uti docet Gavantus (loc. cit.), distinctio feriarum maiorum et minorum, in recognitione Clementis VIII inventa est, occasione tabellarum de occurrentia et concurrentia in fine rubricarum editarum, ad faciliorem earum usum eodem Gavanto ipsas tabellas reformante, iussu S. R. C.

190. Rubrica docet quod « officium feriae in Adventu, Quadragesima, Quatuor Temporibus, vigiliis et prima die Rogationum incipit a matutino ». Nam officium feriarum non habet primas vesperas, et licet ex. gr. pridie actum sit de feria, in vesperis vel sumpta fuit oratio dominicae antecedentis, vel si dicta est oratio feriae, ut fit in Quadragesima, haec oratio pertinet ad feriam antecedentem, et non ad feriam, cuius officium hic dicitur a matutino incipere. « In aliis vero feriis per annum, inde fit de feria ubi desinit officium praecedentis diei, ita ut si praecedenti die fuerit duplex, vel semiduplex, officium feriae incipiat sequenti die a matutino; si praecedenti die fuerit festum simplex, de feria fiat a vesperis illius praecedentis diei inclusive ». Scilicet, vel incipit a vesperis, si die praecedenti actum est de sancto simplici, cuius officium desinit ad nonam, vel incipit a matutino si pridie actum est de dominica, de duplici vel semiduplici, vel de feria praecedenti ».

« Similiter et quando in feria quarta et sexta Quatuor Temporum septembris, et in feria quarta Cinerum, ac in vigiliis, occurrit aliquod festum simplex, de quo fieri debet commemoratio, tunc praecedenti die (nisi fuerit festum novem lectionum) in vesperis fit de feria ut in psalterio sine precibus, cum oratione dominicae praecedentis, et cum commemoratione festi trium lectionum in sequenti feria occurrentis ».

Huic loco rubricarum, post Breve *Nullo unquam*, addi poterat: *vel ad instar simplicis recolendi*; cum enim in feria quarta Cinerum occurrere possit festum vel officium duplex aut semiduplex intransferibile, commemorandum est ad instar simplicis; licet ergo in nova rubricarum recognitione nihil additum sit hoc loco, omnia tamen iure subintelligi debent verba a nobis adiecta: *vel ad instar simplicis recolendi.*

Huiusmodi autem commemoratio, tam simplicis quam simplificati, fit etiam pridie in vesperis, siquidem cum festum in sequenti die officium non habeat, propter officium feriae quod recitatur in casu, *nec etiam convenit*, ait rubrica (tit. XI, n. 10), *illud habere primas vesperas in praecedenti die.* Quod dicendum venit de duplici aut semiduplici occurrenti in feria quarta Cine-

rum; in vesperis enim feriae tertiae, licet fuerint de semiduplici aliquo, aut etiam de feria, de simplificato cras occurrenti nihil aliud fit, nisi commemoratio.

« Terminatur autem officium de feria, subsequente duplici vel semiduplici, ad nonam; subsequente vero simplici, de quo fieri debeat officium, ad capitulum vesperarum, quia inde fit de festo simplici absque ulla deinceps commemoratione feriae ». In casu ergo officium feriae desinit ad capitulum vesperarum, nempe psalmi et antiphonae erunt de occurrenti feria, a capitulo autem fit de festo simplici sequenti, absque ulla feriae commemoratione, quia de feriis in vesperis nulla fit commemoratio extra Quadragesimam et Adventum.

« Ad matutinum dicitur unum tantum nocturnum, cum duodecim psalmis, secundum ordinem feriarum in psalterio, et tribus lectionibus, ut in proprio de tempore ».

CAPUT XL.

DE VIGILIIS

191. A *vigilando* nomen accepit vigilia, eo quod ab Ecclesiae incunabulis, fideles in praecipuis festivitatibus noctem antecedentem divinis in laudibus vigilantes in ecclesiis traducere solerent; uti Patrum sermones et homiliae passim testantur; adeo ut divina officia, quae pridie festorum persolvebantur, vigiliae vocatae fuerint, iuxta illud s. Ambrosii (*Serm. in Ps. 109 de festo Pentec.*): « Ieiunavimus sabbato, vigilias celebravimus, orationibus pernoctantes institimus ».

In constitutionibus apostolicis legitur: « Die resurrectionis Domini, quam Dominicum dicimus, convenite sine ulla conventus intermissione ad agendas gratias Deo ». Quia vero huiusmodi conventus pro dominicis diebus incipiebant a vespere sabbati, ac dein in nocte vigilias agebant, in expectatione Domini. Huiusmodi vigiliae, quae primum ante Paschatem, ac postea ante omnes dominicos dies agebantur, fuerunt typus vigiliarum quae paulatim institutae sunt ante festivitates maiores per annum.

Id quoque probant vetera monumenta a Martène (tom. IV, c. 2, n. 1) citata, qui concludit: « Ea fuit Ecclesiae pia consuetudo, ut praecipuas solemnitates sanctorumque festivitates vigiliis praeveniret ». Huiusmodi autem vigiliarum institutio, apostolica iure merito dicenda est; apostoli enim, et iuxta veteris Testamenti traditionem, et iuxta esemplum SS. Redemptoris, qui noctes in oratione vigilando transigebat, maxime *in qua nocte tradebatur*, quae revera fuit solemnissima vigilia passionis eius et mortis, vigilias agere christianos docuere.

Quum vero, frigescente fide, in nocturnis vigiliis abusus non pauci contra ordinem, pietatem et mores irrepere ceperint, eas abstulit prudenter Ecclesia, solo retento ieiunio, excepta tamen nocte Nativitatis Domini. Ita Grancolas (lib. I, c. 20 et 45) et Guyetus (lib. II, c. 17, q. 1). Martène autem (cap. 7, n. 3) probat, usque ad saeculum XIV in quibusdam cathedralibus antiquam vigiliarum disciplinam viguisse. Porro in praesenti disciplina, vigilia nihil aliud est, nisi quasi praeoccupatio festi, seu dies ad

id destinata ut divinis officiis, et plerumque etiam abstinentia ac ieiunio, animi praeparentur ad celebrandas maiores festivitates. Imo, ut notat Meratus (sect. III, c. 7), remansit nomen vigiliae, iuxta fidelium locutionem communiter ad significandum ieiunium, quod sive iure scripto, sive iure tradito, aut generali consuetudine, servatur in ipsis vigiliis.

Vigiliae autem, quae iuxta romanum ritum hodie celebrantur, sunt septemdecim, quia antiquis sexdecim, ex Leonis XIII decreto d. d. 5 dec. 1879 adiicenda est vigilia Immaculatae Conceptionis.

Hae sunt:

1. Vigilia Nativitatis Domini; 2. Epiphaniae; 3. Ascensionis; 4. Pentecostes; 5. Assumptionis B. M. V.; 6. Immac. Conceptionis B. M. V.; 7. Omnium Sanctorum; 8. S. Ioannis Baptistae; 9. Ss. Petri et Pauli App.; 10. S. Mathiae; 11. S. Iacobi; 12. S. Bartholomaei; 13. S. Matthaei; 14. Ss. Simonis et Iudae; 15. S. Andreae; 16. S. Thomae; 17. S. Laurentii Mart.

Dividuntur autem, 1° in vigilia *maiores* et *minores*. Maiores sunt tres, nempe vigiliae Epiphaniae et Pentecostes, quae ritu semiduplici aguntur, et vigilia Nativitatis Domini, quae licet habeat officium simplex ad matutinum, ad laudes tamen et deinceps ritu duplici decoratur. Insuper vigiliae Nativitatis et Pentecostes numquam omittuntur, praecedunt enim duplicibus quoque primae classis. Minores vero sunt reliquae vigiliae per annum, non exclusa vigilia Ascensionis.

Dividuntur etiam, in vigilias *quae ieiunantur*, et in vigilias *quae non ieiunantur*. Sunt absque ieiunio tres vigiliae, Epiphaniae ob laetitiam Natalis Domini, Ascensionis ob gaudium eius Resurrectionis, et Immaculatae Conceptionis, quia Summus Pontifex, eam instituens, ieiunium non imperavit. Ceterae vigiliae, per se, et ex earum institutione omnes ieiunantur; licet vero in nonnullis ex illis hodie ob apostolicum indultum amplius non ieiunemus, attamen pro effectibus legis liturgicae, considerantur adhuc cum ieiunio.

In aliquibus dioecesibus, agitur officium Vigiliae pro s. Patrono, uti fit Vercellis die 31 augusti, pridie festum s. Eusebii Ep. M.; in aliis agitur vigilia sine officio, sed solo cum ieiunio, ut fit Placentiae pridie festum ss. Xm. Crucifixorum, ex voto: de his autem non est hic locus inquirendi.

192. Rubrica (tit. VI, n. 1) loquens de officio persolvendo vigiliarum, addit clausulam: *quae ieiunantur*... Frustra requisi-

vimus in rubricarum commentatoribus, non esclusis Gavanto, Guyeto, Merato et Cavalerio, ut taceamus de recentioribus, qua de causa rubrica hic loquatur de vigiliis tantummodo *quae ieiunantur*: nemo vero ex his in re liturgica peritissimis, huiusmodi quaestionem sibi proposuit, et superfluitatem verborum *quae ieiunantur* hoc loco, animadvertit.

Miramur porro Gavantum, qui bis interfuit correctioni breviarii, has voces, utpote inutiles, non expunxisse; ideoque, formidantes ne nimia inquisitio nos decipiat, a sapientioribus optamus edoceri. En dubium nostrum. Si vigiliae *quae non ieiunantur*, diversa lege regerentur ab illa, quae hic traditur a rubrica pro vigiliis *quae ieiunantur*, tunc non amplius esset nobis interloquendi locus. Sed quum ex. gr. officium vigiliae Ascensionis, quae prout diximus *non ieiunatur*, eodem modo sit persolvendum sicut officia cuiusvis vigiliae minoris, desiderium oritur cognoscendi cur hac locutione usa sit rubrica. Novimus quidem in fine ipsius tituli (n. 5) rubricam docere: *In vigilia vero Epiphaniae et Ascensionis, quae non ieiunantur, fit officium ut in propriis locis notatur.* Nihilominus, si vigiliam Epiphaniae excipias, quae revera in proprio loco habet officium suum cum tribus nocturnis, vigilia Ascensionis nihil habet in proprio loco adnotatum, sicut cuique videre est, ex quo doceamur officium eius persolvendum esse alio modo, quo persolvuntur officia ceterarum vigiliarum. Et reapse, si festum duplex vel semiduplex occurrit in hac Ascensionis vigilia, fit de festo, cum IX lectione et commemoratione vigiliae, prouti hic praescribit rubrica pro ceteris vigiliis *quae ieiunantur*. Ad quid ergo hoc loco ponuntur verba *quae ieiunantur*? Bene ergo poterant in novissima rubricarum emendatione expungi.

Ceterum, ut diximus, vigiliae omnes, exceptis illis Epiphaniae, Ascensionis et Immaculatae Conceptionis, per se et ex earum institutione essent cum ieiunio, quod fidelibus imponitur ex generali et antiqua consuetudine ecclesiae latinae, vim legis habente. Nihilo tamen minus in fine saeculi XVIII, et in principio XIX, ex diversis summorum Pontificum indultis, multis vigiliis ieiunii praeceptum sublatum est, hodieque non ieiunamus nisi in vigiliis Nativitatis Domini, Pentecostes, Assumptionis B. M. V., Omnium Sanctorum, et ss. Apostolorum Petri et Pauli.

Quoad ergo vigilias, quibus dempta est obligatio ieiunii, nihil innovandum est circa officium, aut circa eius caeremonias. Siquidem S. R. C. (decr. n. 4566 ant. coll.) declaravit: « Cum

per apostolicum indultum, abrogatis vigiliis quoad ieiunium, nihil immutatum fuerit quoad ritus et functiones ecclesiasticas imo expresse cautum sit, ut retineantur, ideo ad preces officii et in missa de vigilia erit genuflectendum ad formam rubricarum.

193. Si vigilia ex minoribus occurrit in festo duplici vel semiduplici, de ea legitur IX lectio homiliae, et fit commemoratio in laudibus ac missa, est enim officium simplex quinti ordinis (v. n. 147), quod semper commemoratur, nisi occurrat duplex I classis (tit. VII, n. 2), de quo vide infra. Excipe quando evangelium vigiliae idem esset ac Evangelium festi occurrentis, quia tunc omittenda esset nona lectio vigiliae, uti iure argumentamur ex nova rubrica speciali, diei octavae Immaculatae Conceptionis. Ait autem rubrica quod de vigilia fit commemoratio ad laudes tantum: 1° quia officium vigiliae minoris, est officium feriale, quod desinit subsequente alio officio novem lectionum; 2° autem quia officium vigiliae, quatenus tale, consistit in sola homilia et antiphona ad laudes cum oratione. « Si vigilia occurrat in dominica de ea fit officium in sabbato quod non sit impeditum officio novem lectionum; quia tunc de vigilia fit tantum commemoratio ut dictum est. Excipitur ab hac regula vigilia Nativitatis et Epiphaniae Domini; quae si venerint in dominica, fit de illis, ut in propriis rubricis dicitur ».

Cum in dominica die, ob gaudium Resurrectionis, cuius memoria in ea ex apostolicis Constitutionibus (lib. V, cap. 21) recolitur, ieiunare iure vetitum sit (Dist. 76, c. *Ulinam*); ideo, si in dominica occurrat aliqua vigilia, ieiunatur in sabbato praecedenti; docet enim d. Thomas (2, 2, q. 147, art. 5 ad 3): « Ieiunia quae praecepto Ecclesiae instituta sunt esse ieiunia afflictionis, quae non conveniunt diebus laetitiae ». Fit autem in sabbato officium vigiliae simul cum anticipato ieiunio, ut oratio ex abstinentia melior fiat ad praeparationem festi. Excipitur tamen *vigilia Nativitatis et Epiphaniae*, quia licet vigilia Nativitatis, quoad ieiunium anticipetur in sabbato, rubrica tamen eam excipit eo quod officium eius reapse celebratur in dominica. Et sane, officium vigiliae Nativitatis totum est ut animos proxime excitet ad celebrandum in crastino Nativitatem Dominicam; sensus ergo huiusmodi officii bene convenire possunt cum dominica die. Similiter officium vigiliae Epiphaniae, fit in occurrenti dominica, primo quia est officium festivum et semiduplex, secundo autem quia dominica quae occurrere potest a die prima

ianuarii usque ad Epiphaniam officio caret, est enim una ex dominicis *vacantibus*.

194. Si autem in aliqua vigilia occurrit festum duplex I classis nihil tunc prorsus, nec commemoratio fit de vigilia. Hanc rubricam exponens, more suo, Gavantus (sect. III, c. 7, n. 3) docet: « Vigilia occurrens in festo primae classis in officio nullum habet locum, neque etiam commemorationem, ne solemnitas imminuatur; imo expediret, auctoritate maiorum, eo casu anticipari ieiunium ante illud festum primae classis, eo modo quo testatur Navarrus (in *Man.* c. XXI, n. 11), Leonem X statuisse ut eo anno, quo vigilia s. Ioannis Baptistae incidit in festum Corporis Christi, pridie eiusdem festi ieiunetur, quarta scilicet feria ».

Quod hic dicitur a Gavanto Leonem X statuisse, opportune postea decrevit Urbanus VIII in suo Brevi 15 octobris 1638, *Cum evenire*, in quo legimus: « Quoties vigiliam (s. Ioannis Baptistae) praedictam in diem festivam solemnitatis SS. Corporis D. N. Iesu Christi incidere contigerit, non esse ieiunandum, neque a carnibus abstinendum in die festo huiusmodi, sed anticipandum ieiunium die immediate antecedenti, nempe feria IV, prout ieiunatur in ipsa vigilia, auctoritate apostolica tenore praesentium statuimus et ordinamus » (S. R. C. decret. n. 657).

Attamen cum in hac Urbani Pp. constitutione nil dicatur de officio Vigiliae anticipando simul cum ieiunio, ortum est dubium an revera huiusmodi officium anticipandum sit nec ne. Quod dubium, relatum ad S. R. C. hisce verbis resolutum est: « Nihil de vigilia in officio et missa esse peragendum (decr. n. 2173); quod decretum adprobavit et ratum habuit Clemens Pp. XI die 2 octobris eiusdem anni 1706. « Mirabitur forsan quis, ait Meratus (sect. III, c. 7, n. 2), et quaeret cur S. R. C. in hoc casu cum anticipatione ieiunii non coniunxerit commemorationem vigiliae, vel potius eiusdem vigiliae officium, si nullum occurrat festum novem lectionum, eo modo quo fieri solet quando vigilia aliqua occurrens in dominica transfertur in sabbatum praecedens... Huic quaesito satis fieri posse crediderim, Summos Pontifices, Sacramque Congregationem laudabiliter statuisse in dicto casu anticipationem ieiunii... nullam vero statuere voluisse mutationem rubricae generalis circa officium vel commemorationem vigiliae, de qua ibi praescribitur, quod si occurrat in festo I classis, nullum in officio habeat locum. Hanc igitur rubricae dispositionem S. R. C. immutatam reliquit in praedicto casu et solummodo anticipationem ieiunii optime

praescripsit, quia, ut etiam notat Gavantus supra n. 3, expedit in similibus casibus transferri ieiunium in pridianam diem, absque eo quod anticipetur et connectatur cum ieiunio officium vigiliae, separari namque possunt unum ab alio ».

Haec ratio, quae facit satis Merato, parum arridet Cavalerio (v. 2, c. XV, decr. 2, n. 2, 3 et 4), licet enim Gavantus (hoc loco) et Guyetus (lib. IV, c. 5, qu. 1) doceant bene posse separari ieiunium ab officio, id tamen non facit ad rem nostram. Audiamus Cavalerium (loco cit.): « In rationem producit Gavantus, quod officium vigiliae Nativitatis, quando incidit in dominicam, separatur a ieiunio; at ratio ista futilis est, non est quippe ista vigilia ferialis et communis, nec ritu ordinario peragitur, sed a laudibus festivum sortitur officium, quare ex eadem invalidum desumitur argumentum pro simili attentando in casu vigiliarum communium et ferialium, quarum officium, uti illius, eadem de causa non retinetur cum incidit in dominicam ».

Volens ergo Cavalerius rationem adaequatam adducere, prosequitur dicens: « Magis itaque id probatum iri credimus ex rubrica VI, n. 2, quae in proposito casu diserte statuit: *Si autem in vigilia occurrat festum solemne* (1 classis)... *nihil tunc prorsus nec commemoratio fit de vigilia.* Potestne clarior esse rubricae dispositio? Si vigilia incidente in festo Corporis Christi *nihil prorsus nec commemoratio fit de ea*, utique nec in ipso festo Corporis Christi, nec in die praecedenti, in qua anticipatur ieiunium; dictio enim *prorsus* est dictio praecisa, nullam limitationem admittens: quinimo si una cum ieiunio officium anticipari voluisset, id indubie praescripsisset, uti praecedenter fecit de vigilia occurrente in die dominico. Quoniam itaque in occursu vigiliae in proposito similive casu, nihil de vigiliis faciendum esse disponunt rubricae, et occurrenti solemnitati Corporis Christi obstare videbatur ieiunium, anticipatione ieiunii et omissione officii apprime bene et laetitiae festi et rubricae indemnitati consulendum esse censuit Congregatio ».

Nihilo secius, si nostram licet totam exprimere mentem, nobis videtur ratio quoque Cavalerii omnem inquisitionis et admirationis locum e medio non auferre. Revera, ideo quia rubrica, quam hic exponimus, *nihil prorsus* fieri praescribet de vigilia quae incidit in festum I classis, videretur neque ieiunium anticipari posse; verba enim *nihil prorsus* malignae naturae sunt, et in casu omnia fieri prohibent, quae pertinent ad vigiliam, officium nempe et ieiunium. Quod ita verum est, ut ad inducen-

dam anticipationem ieiunii vigiliae s. Ioannnis Baptistae in casu, constitutione pontificia opus fuerit; nisi enim id statuisset Urbanus VIII, ex locutione rubricae numquam id fieri concludi potuisset.

Videtur ergo, quod sicut Urbanus VIII non immutavit, saltem directe, rubricam ordinando ieiunii anticipationem, ita et S. R. C. bene potuisset et anticipationem officii vigiliae in casu praescribere, quin directe haec rubrica immutata maneret.

Siquidem, rigorose loquendo, rubrica nihil fieri de vigilia praescribit in ipso festo I classis, tacens de pridiana die; igitur via aperta manet ad anticipationem pridie agendam tam ieiunii, quam officii. Ergo bene potuisset S. R. C. et hanc anticipationem decernere, uti fit quando vigilia anticipatur in sabbato, ob rationem, quam ad rem profert Gavantus (hoc loco, n. 2), ut nempe cum ieiunio anticipato, bona sit oratio, scilicet officium, ad praeparationem festi.

Quam ob rem, admiratio quam Meratus expertus est, adhuc superest in nobis; ac proinde voluntatem S. R. C. in casu reverenter accipientes, rationem eius decreti ultra non inquirimus, expectantes ut sapientiores nobis illam exhibeant; cum pacto tamen, quod rationes a Merato et Cavalerio adductae, sicuti inanes et inadaequatae deserantur.

Quarti (*Rubr. mis.* p. I, tit. III, d. 2) et Cavalerius (tit. II, decr. 127) docent episcopum transferre posse ieiunium vigiliae quae occurrat in festo patroni, in praecedentem diem, quia adest, ipsi dicunt, rationabilis causa.

195. Excipitur vigilia Epiphaniae, de hac enim agitur commemoratio, etiamsi occurrat in ea duplex I classis. Ratio huius privilegii nobis esse videtur, quia evangelium, quod in ea legitur: *Defuncto Herode ecce Angelus* etc. pertinet ad circulum evangeliorum in quibus narratur historia D. N. Iesu Christi. Cum itaque mens sit Ecclesiae ut historia Salvatoris in cursu officii divini per annum omnino legatur, hinc voluit rubrica ut de vigilia Epiphaniae fieret saltem commemoratio, ne historia infantiae Salvatoris imperfecta maneret. Sicut ergo de dominica per annum fit commemoratio in duplicibus quoque primae classis, ne circulus evangeliorum quae Christi doctrinam tradunt, interrumpatur, ita et de vigilia Epiphaniae agenda est commemoratio in casu.

« Idem servetur quando aliqua vigilia venerit in Adventu, Quadragesima et Quatuor Temporibus, nulla enim in his feriis

de vigilia fit commemoratio; quia vigiliae sunt feriae poenitentiales ad hoc institutae, uti diximus, ut oratione et ieiunio mentes fidelium praeparentur ad festa in crastino celebranda. Cum igitur feriae Adventus, Quadragesimae et Quatuor Temporum iam sint poenitentiales, in eis superfluum esset de alio officio poenitentiali agere; bis enim de eodem fieri rubricae prohibent. In missa tamen commemoratio agitur de vigilia, in Quadragesima; in Adventu autem missa dicitur de vigilia, cum commemoratione feriae.

« Officium vigiliae incipit ad matutinum, sicut dictum est in superiori rubrica de feriis; terminatur autem ad nonam, quia vesperae sunt de sequenti festo ».

Officium vigiliae totum fit de feria occurrenti, ut in psalterio; et tres lectiones leguntur de homilia in evangelium vigiliae, ut in propriis locis assignatur, cum tribus responsoriis de feria occurrenti. Est enim vere officium feriale. Excipe tamen vigilias Epiphaniae et Pentecostes, quae officium proprium habent, non excepto matutino et vigilia Nativitatis, quae proprio gaudet officio in laudibus et horis.

CAPUT XLI.

DE OCTAVIS

196. De origine octavarum disserens Gavantus (*Praef. oct. rom.*) haec habet: « Octavas, hoc est, per octo consequentes dies festa quaedam celebrandi, mos fuit antiquissimus, hebraeis primum, mox christianae Ecclesiae divino consilio traditus, atque ritu perpetuo receptus. Primus Moyses, quamvis alias festivitates, non ultra septimum terminaret diem, festum tamen tabernaculorum mense septimo ita instituit (*Levit.* XXIII), ut eius octavus dies, aeque ac primus, haberetur celeberrimus atque sanctissimus. Deinde Salomon (III *Reg.* VIII) post delatam arcam Testamenti in templum a se summo Deo dedicatum, detinuit populos diebus octo, in hostiis pacificis et holocaustis, quos dimisit in die octava, benedicentes regi, laetantes et alacri corde. Cum autem illud idem templum aliquanto post fuisset profanatum, expiavit illud Ezechias rex diebus item octo (I *Paral.* XXIX) et sanctificavit. Haud secus praestitere Machabaei (I *Machab.* IV) qui diebus octo altare dedicarunt, offerentes holocausta magna cum laetitia, et sacrificium salutaris et laudis. Quorum omnium, uti laudabiles consuetudines, non modo Dei Filius in humanis degens non abolevit, sed exemplo suo confirmavit et probavit, tum ad Encaenia (*Ioan.* X), tum ad Scenopegiam (*Ioan.* VII) ascendens, et immoratus usque ad octavum diem: in novissimo quippe die magno festivitatis stabat Iesus et clamabat, dicens: *Si quis sitit, veniat ad me et bibat*; Spiritum Sanctum octavo forte die sub aquae typo largiturus. Itaque par est credere, a Spiritu Sancto doctos apostolos et apostolicos viros, octavarum sacramenta ad nos usque transmisisse, et pro diversorum ratione festorum minus magisve celebres indixisse octavas. Certe ab apostolorum (*Apoc.* I) tempore, post dominicam diem, quae frequentissima est Resurrectionis Domini octava, et, ut habet s. Ignatius (*Epist. ad Magnes.*), regina est et dierum princeps, coeptae sunt coli Paschatis octavae et Pentecostes: ita ut, retentis nominibus, quae apud hebraeos erant in usu, augustiora tamen mysteria, quae nova erant in illis, celebrarentur; ni-

mirum Crucis et Resurrectionis dominicae in Paschate, et adventus Spiritus Sancti Paracliti in Pentecoste. Atque eadem ratione, qua apostoli praedicta festa servanda decreverunt, qui iisdem successerunt apostolici viri reliquos dies festos cum octavis introduxerunt, ut celebriores solemnitates etiam octavarum additione illustrarent: sancte et pie mutuato ritu ab antiquis Iudaeorum ritibus, ut in aliis multis testatur s. Leo papa (Sermo 7 *de ieiun. 7 mensis*). Eiusmodi fuere festa Nativitatis et Epiphaniae Domini, de quorum octavis meminit Ordo romanus, editus in lucem Stephano summo pontifice, Pipino seu Carolo Magno procurante. Octavam Ascensionis Domini, quod est festum antiquissimum, non puto recens institutum, de quibus Rodulphus Tungrensis (propos. 19, ante an. 1400) mentionem facit ».

Et paulo infra sequitur eximius liturgicus vir, disserens de causis misticis cur octavae inductae fuerint, inter alia testimonia citat s. Augustinum, qui (*Serm. Domini in monte*, cap. 3) ait: « Octava tanquam ad caput redit, quia consummatum perfectumque ostendit ac probat. Septem sunt quae perficiunt (erat sermo de octo beatitudinibus) octava clarificat, et quod perfectum est demonstrat ». Concludens tandem Gavantus scribit: « Celebremus igitur, octavarum titulo, Christum Iesum in primis; tum doctrinam, virtutes, beatorum gaudia, futuram eorumdem regenerationem, gloriosam immortalitatem et cumulum bonorum omnium. *Celebretur per septem dies* (audi Fortunatum (lib. IV, c. 29) nomine et re) *opus septiformis Spiritus, et in octava die consummatio et declaratio atque glorificatio eiusdem operis*; et infra (ib., c. 36) in natalitiis sanctorum monet, debere nos gratulari receptationi animarum in beatam requiem; in octavis deinde, resurrectioni corporum ».

197. Sed sanctorum festa solemniora cum octava celebrari coeperunt saeculo tantum octavo in Occidente, quorum usus, ait Fornici (p. 146), ignoratur a graecis.

Octava autem, iuxta eumdem (ib.), erat repetitio festi in die octava, nihil vero, uti videtur aliquibus scriptoribus, agebatur de ea in diebus infra octavam, quia in gelasiano et gregoriano sacramentariis de iis diebus non adest mentio; cuius rei aliquod superest vestigium in breviario pro s. Agnete, cuius die octava celebratur festum simplex s. Agnetis *secundo*.

Nos vero censemus aliter esse dicendum, saltem de octavis festorum solemniorum Domini, cum enim iuxta morem hebraeo-

rum octavas celebrare coepit Ecclesia christiana, ut omnes docent, dicendum est quod etiam in diebus infra octavas ipsas agebatur de festo, prouti hebraei agebant. Item non est praetereundum, quod festum s. Agnetis *secundo* non ab omnibus tenetur esse vestigium antiquae octavae, sed tantummodo memoria apparitionis eiusdem virginis parentibus suis (Cf. Cavalerium, t. II, c. 18).

De octavis agens Rodulphus Tungrensis (*De Can. obser.* prop. 19) ait: « Cum festivitatum termini regulariter ponantur de vespere ad vesperam, magnitudo festi id exigit, ut prius incipiatur et tardius terminetur ». Anticipatur vero per vigiliam, et tardius terminatur per octavam, ac proinde maiores per annum solemnitates vigiliam habent, et postea octava decorantur. Octavae ergo, cum praecipuae ac potioris dignitatis prae aliis festivitatibus indicia sint et notae, ut docet Guyetus (lib. I, c. 18), haudquaquam tritae debent esse nec vulgares. Octava ita cum festivitate iungitur, ut quasi unum et idem conficiatur, neque aliud sit nisi eius quaedam prorogatio, imo omnes dies octavae pro una festivitate computantur. Hinc rubrica dicit officium fieri octavae *per octo dies continuos*; igitur in hoc numero octonario comprehenditur et dies festus, qui proinde est *prima* dies ac solemnior totius octavae, intermedii autem dies dicuntur *secundus, III, IV, V, VI et VII* infra octavam; octavusque dies, quo octava explicit, vocatur simpliciter *octava*.

198. Festa autem quae in breviario romano cum octava celebrantur sunt sexdecim, nempe:

Duplicia primae classis. 1. Pascha Resurrectionis; 2. Pentecostes; 3. Epiphania Domini. 4. Festum Corporis Christi; 5. Nativitas D. N. I. C.; 6. Ascensio D. N. I. C.; 7. Assumptio B. M. V.; 8. Immaculata Conceptio; 9. Nativitas s. Ioan. Bapt.; 10. Festum ss. Petri et Pauli; 11. Festum omnium Sanctorum.

Duplicia secundae classis. 12. Nativitas B. M. V.; 13. Festum s. Ioannis Ap.; 14. Festum s. Stephani.; 15. Festum ss. Innocentium; 16. Festum s. Laurentii M.

Quibus adiicendae sunt aliae tres octavae a rubricis praescriptae, nempe; 17. Dedicationis; 18. Titularis ecclesiae, et 19. Patroni loci.

Hic advertendum venit, quod octava, cum sit nota magnae festi solemnitatis, non celebratur nisi pro festis duplicibus, iuxta morem romanum, I et II classis; quamquam in calendario Tauriniensis dioecesis videamus festum s. Rochi, Patroni minus principalis, agi sub ritu duplicis maioris cum octava.

Rubrica (tit. VII, n. 1) admittit quoque octavas in festis aliorum sanctorum, quae alicubi consueverunt cum octava celebrari; nempe admittit octavas quae apud ecclesias particulares celebrabantur ante Pium V. De huiusmodi octavis vide et applica quae supra disseruimus (c. 37) de festis ex consuetudine. Attamen post Pium V novas octavas inducere potuit nemo, nisi obtenta facultate a s. Sede.

« De aliis octavis quae non sunt in calendario, nihil fit a feria IV Cinerum usque ad dominicam in Albis, et a vigilia Pentecostes usque ad festum SS. Trinitatis inclusive, et a die 17 decembris usque ad Epiphaniam ».

Haec leguntur in rubrica breviarii post tabellam occurrentiae, et respicit octavas quorum festa non inscribuntur in calendario universali, videlicet Dedicatio, Patronus loci, et titulus ecclesiae, aut alia festa, quae ex consuetudine aut ex indulto alicubi celebrantur cum octava; reliqua enim festa Ecclesiae universalis in Quadragesima occurrere nullatenus possunt. Tempore quadragesimali octavae prohibentur, quia cum hoc tempus sacratissimum institutum sit, ut fideles poenitentiae operibus vacarent, ita a concilio Leodiceno (can. 5 in canone *Non oportet* 33, q. 5 relato) praescriptum fuit, ne eo tempore festa agerentur, quod et hodie servatur in orientalibus ecclesiis, et in Occidente apud Mediolanensem.

Licet ergo tractu temporis rata sit Romana Ecclesia, nonnulla festa in Quadragesima peragere, id fecit ne quorumdam sanctorum natalitia dies honore debito careret; noluit tamen in Quadragesima octavas permittere, quae cum indicium magnae solemnitatis sint, parum cum luctus diebus convenirent. Quare si congregatio Cassinensis celebrat cum octava festum s. Scholasticae quando occurrit in Quadragesima, et ordo fratrum Minimorum agit cum octava festum s. Francisci a Paula, si ecclesia Barcinonensis similiter cum octava festum celebrat s. Eulaliae, et dioeceses antiqui dominii Veneti festum Annuntiationis B. M. V., non est nisi ex privilegio s. Sedis. Verumtamen S. R. C. (dec. 3826) declaravit in posterum non amplius esse concedendas octavas in Quadragesima, et iam concessas esse intermittendas, vel obrumpendas in feria IV Cinerum et in dominicis. Similiter festum Pentecostes solemnissimum est, aequiparaturque diei sancto Paschatis; hinc est propterea, quod Ecclesia ab eo amovet quamcumque octavam, quae alicubi occurrere possit, ne ex commemoratione octavae minuatur tanta solemnitas. Iuxta Gavan-

tum (hoc loco, n. 8) « in postrema recognitione Breviarii (scilicet in recognitione sub Urbano VIII), actum est de excludendis octavis ab Adventu, sicut a Quadragesima, sed illud saltem congruere visum est, eas excludi a die 17 decembris ». Certe tempus quoque Adventus omnino sacrum et venerabile censetur, ac quodammodo tempori Quadragesimae aequiparatur, vultque Ecclesia, ne in utroque canonici chorum deserant. Attamen nos putamus Urbanum VIII ab Adventu non abstulisse octavas, eo quod officia ferialia Adventus non habent proprii, nisi antiphonas ad *Benedictus* et *Magnificat*, dum officia ferialia Quadragesimae habent insuper missam propriam, cum lectionibus super evangelio, et orationes ad laudes et vesperas. Quapropter, omnibus apparet ratio ob quam diversimode lex circa octavas applicata sit in casu. A Quadragesima bene octavae arcentur, ne eius officia propria facilius et frequentius impediantur, in Adventu vero admittuntur, quia octavae parum auferunt ab officiis ferialibus Adventus.

Attamen abrumpuntur octavae, quando advenit dies 17 decembris, in quibus, licet non habeantur lectiones super evangelio nec missae propriae, nihilominus habentur antiphonae propriae ad laudes, et antiphonae maiores *O.* quae singulari studio ac cultu reputantur dignae.

Item congruentius octavae, quae in breviario non inscribuntur, arcentur a Nativitate Domini usque ad Epiphaniam: primo quidem, quia iam omnes dies proprium habent officium, ideoque de octavis nihil aliud fieri posset nisi commemoratio: secundo autem, quia tunc temporis Ecclesia in celebrandis octavis, uti ait Cavalerius (c. 19, n. 13), satis est occupata, unde ulterius gravanda non erat.

199. Inferes ergo, quod, iis in locis, in quibus octava aliqua abrumpenda est, superveniente feria IV Cinerum, diebus sequentibus, quibus forsan agebatur de die infra octavam, si in eis non occurrat aliquod festum duplex, vel semiduplex, officium fiet de feria, aut votivum iuxta generale hodiernum indultum.

Inferes item, quod cum rubrica doceat non fieri de octavis a die 17 decembris *usque ad Epiphaniam*, sequitur, quod ubi patronus vel titulus ecclesiae occurrat infra octavam Epiphaniae, huiusmodi festa celebrari debent cum propria octava, terminus enim cessationis octavarum in casu est festum Epiphaniae.

Quid igitur faciendum, si octava, vel festum habens octavam, tempore prohibito occurrat?

Breviter respondemus cum de Herdt (p. IV, n. 242):

« 1° Si festum celebratum fuerit ante feriam IV Cinerum, vigiliam Pentecostes, aut diem 17 decembris, adveniente illo tempore prohibito, nihil amplius fit de octava, nec commemoratio: si autem unus aut plures dies intercedant inter festum et tempus prohibitum, in illo aut illis officium aut commemoratio de octava, ut alias fieri debet;

« 2° Si festum celebretur tempore, quo octavae prohibentur, sine octava celebrandum est; et quamvis tempore prohibito transacto, v. gr. post diem Epiphaniae, ubi s. Silvester est patronus, aliqui dies supersint, in quibus octavae permittuntur, nihil tamen in ipsis amplius de octava fieri posse videtur, quia Rubricae hoc titulo generaliter videntur denegare octavas illis festis, quae tempore prohibito celebrantur »; quod certum est.

« 3° Si festum tempore quo octavae prohibentur, non celebretur, sed post illud transferatur, uti infra octavas Paschae et Pentecostes fieri debet; tunc, si festum post totam suam octavam transferri contingat, illo anno celebratur sine octava; si autem unus aut plures dies octavae post festum celebratum supersint, in illo aut illis ut alias fit officium vel commemoratio octavae ».

Hinc si dies octava incidat in feriam IV Cinerum, vesperae feriae 3, erunt de eadem feria absque ulla octavae commemoratione. Hoc docent Gavantus (sect. III, c. 8, n. 9) Meratus (ib.) cum Cavalerio (t. II, decr. 154, n. 2) et alii communiter. Guyetus tamen (lib. IV, c. 12, q. 6) aliter sensit, cui nos subscribimus. Vide quae infra dicenda sunt de die VII infra octavam, quando dies octava incidit in dominica privilegiata.

Si ergo feria 3 celebratum sit officium de 7 die infra octava, dicuntur vesperae de eodem die, ut in II vesperis festi, absque ulla commemoratione. Si vero actum officium alicuius sancti duplex vel semiduplex, de eo fiunt vesperae cum commemoratione diei septimae infra octavam, item cum antiphona et versiculo de II vesperis. Haec omnia liquido arguuntur ex novo S. R. C. decreto, d. 15 iunii 1908, de quo infra.

200. Sicut habentur diversae classes festorum, pro maiori vel minori eorum celebritate, ita et habentur diversae classes octavarum; quamvis enim de hisce octavarum classibus nil explicite dicant rubricae, implicite tamen clarissime eas admittunt.

Habemus autem quinque classes octavarum. Primae classis

sunt octavae Paschatis et Pentecostes, quae tali celebritate honorantur, ut infra ipsas nequit fieri quodlibet officium, etiam duplex I classis, aut de alia octava; imo primi tres dies ritu duplici I classis recoluntur, et in reliquis fit tantum commemoratio de simplici vel de simplificato (tit. VII, n. 3).

Ad II classem pertinet octava Epiphaniae, nam infra ipsam, non tamen in die octava, non possunt celebrari nisi duplicia I classis, in quibus agenda est commemoratio octavae; de aliis octavis (puta de octava titularis cuius festum occurrat diebus infra octavam Epiphaniae), sicut de simplicibus occurrentibus, fit commemoratio (*Rubr. spec.* et S. C. decr. 2360). Nil hic dicitur de simplificatis commemorandis, quia, cum octava Epiphaniae sit fixa, impossibilis est festorum simplificatio. Diximus *non tamen in die octava*; quia in ea recolitur memoria baptismi D. N. I. C. de quo legitur evangelium in missa et homilia in officio, ideo ab ea respuit rubrica quodcumque festum, etiam I classis.

Tertiae classis est octava Corporis Christi, uti celebratur in breviario romano; infra quam « fit tantum de duplicibus, non tamen translatis, nisi fuerint I vel II classis », nempe respuit semiduplicia etiam occurrentia, et admittit duplicia minora non translata. Ideo si duplicia maiora aut minora doctorum Ecclesiae, paulo ante festum Corporis Christi in propria die impedita fuerint, infra hanc octavam transferri nequeunt; sed ulterius transferenda sunt; quod si in toto anno sedes vacua non inveniatur pro eorumdem celebratione, ad instar simplicis recoluntur sua die. Duplicia vero I et II classis permittitur ut, sua die impedita, infra hanc octavam transferantur: quod fit in gratiam solemnitatis horum officiorum, ne nimis remote a die eorum propria celebrentur. Notum est autem S. R. C. concessisse privilegium transferendi huiusmodi festa, ob defectum dierum liberorum, etiam in dies semiduplici festo impeditos: qui si deficiant, etiam in dies impeditos festo duplici, ab hac fortasse rubrica sumpto exemplo, ob ritus solemnitatem potiorem, qua gaudent festa huiusmodi classica. Advertas autem, haec duplicia transferri posse in diem quemcumque infra octavam Corporis Christi, in quo non sit duplex occurrens; hoc est etiam in diem quem semiduplex occupat; quia, cum de eo infra hanc octavam fieri non possit, iam patet eiusmodi diem evadere liberam pro transferendis praefatis duplicibus.

De diebus infra alias octavas occurrentibus, sicut de sim-

plicibus aut simplificatis fit commemoratio, sine nona lectione historica; item de octava Corporis Christi fit semper commemoratio, etiam in duplicibus I classis. Tandem, in ipsa die octava fieri nequit nisi de occurrenti duplici I classis (*Rubr. spec.* S. R. C. decr. 2030 et 2152).

Diximus tertiae classis esse octavam Corporis Christi, *uti celebratur in breviario romano*, quia, pluribus in regionibus, dioecesibus ac congregationibus celebratur iisdem cum privilegiis sicut octava Epiphaniae; ibidem ergo ad secundam octavarum classem pertinebit. Alicubi vero minoribus cum privilegiis celebratur; ex gr. ex decreto S. R. C. (8 iulii 1908) in tota insula Sardinia admittit tantummodo duplicia I classis occurrentia et translata, et duplicia II classis tantum occurrentia.

Ad quartam classem pertinet octava Nativitatis Domini, quae admittit etiam festa semiduplicia, attamen de ea fit semper commemoratio in duplicibus quoque I classis. Huic classi, pro urbe Roma, accensetur octava Ss. Petri et Pauli (S. R. C. decr. 3581).

Ad quintam classem spectant ceterae octavae, quae dicuntur *communes*, quia octavae I, II, III et IV classis dicuntur *privilegiatae*.

Haec autem quinta classis octavarum subdistinguitur in duobus ordinibus, nempe octavae festi primarii, et octavae festi secundarii, nam, uti videbimus, octava naturam induit festi cui pertinet.

201. Infra octavas IV et V classis fit de festis duplicibus et semiduplicibus occurrentibus; officium enim infra octavas est ritus semiduplicis, ideoque cedit festis duplicibus. Sed et cedit festis semiduplicibus, eo quod licet sint eiusdem ritus, nihilominus nobilius est festum, quam dies infra octavam. Festum enim aliquid principalis constituit, dies vero infra octavam accessorium est festi, de quo agitur octava ipsa. Fit etiam de duplicibus translatis, I vel II classis, maioribus et etiam minoribus doctorum Ecclesiae, non de ceteris duplicibus quae privilegio translationis carent. Celebrantur haec officia cum commemoratione octavae; duo enim in casu occorrunt officia, de festo et de infra octavam; agitur ergo de primo et de altero, utpote minoris dignitatis, fit commemoratio iuxta legem generalem; non tamen in quibuscumque duplicibus I et II classis, quia eo nobilius est festum, quo minus in eo alia commemorantur officia.

« De simplicibus infra quascumque octavas occurrentibus, item fit tantum commemoratio ». Hac se exprimendi ratione praesens rubrica significat, de simplici quocumque infra octavas quaslibet occurrente, numquam faciendum esse integrum officium ; ritus enim de infra octavam, cuiuslibet dignitatis ea fuerit, est semiduplex, qui proinde cuicumque occurrenti simplici praevalet. Antiquitus, animadvertit Meratus (Sect. III, cap. 8, n. 2), diebus infra octavas sanctorum, non solum nullum recitabatur officium, sed neque ulla de ipsis fiebat commemoratio. At postea sex dierum intervallum eodem festi, cuius celebratur octava, officio repletum est, ut etiam octavae sanctorum octo diebus durarent. Hinc posita est rubrica de simplicibus infra octavas quascumque (etiam proinde sanctorum occurrentibus, de quibus fieri non potest officium) commemorandis.

De dominicis infra octavas occurrentibus, fit officium dominicale cum antiphonis et psalmis psalterii, ut in dominicis occurrentibus infra octavas communes: fit vero officium cum antiphonis et psalmis de octava, prout alibi expositum est, in dominicis occurrentibus infra octavas Nativitatis, Epiphaniae, Ascensionis et Corporis Domini.

202. « Si duae octavae simul occurrant, quando non erunt celebranda festa novem lectionum vel dies dominica, fiet officium de digniori cum commemoratione alterius ». Aliquando infra octavas officia novem lectionum, seu duplicia et semiduplicia, non admittuntur, uti alibi dictum est: aliquando vero licet admittantur, dantur tamen in calendario sedes liberae, in quibus nullum inscribitur festum duplex aut semiduplex. His in casibus, nisi dominica dies occurrat, de die infra octavam faciendum est officium. Dies dominica excipitur, cum sit dies Domini: quae ceterum, si praevalet semiduplici sanctorum, a fortiori praevalere edicitur diei infra octavam, cui ipsum semiduplex sanctorum praevalet.

Cum autem rubrica dicat: *fiet de digniori* octava, *cum commemoratione alterius*, locus est aliquid hic disserendi de comparativa dignitate octavarum, ut lex eruatur pro praecedentia inter easdem.

Ante omnia apud melioris notae celebrioresque liturgicos haec, extra controversiam et uti canones, habentur circa octavas:

1. Octava nihil aliud est nisi prorogatio festi, et dies omnes octavae pro una festivitate computantur (Rodulphus Tungrensis, propos. 19 et 23).

2. Octava sequitur festum, sicut accessorium sequitur naturam principalis (Guyetus lib. IV, c. 6, q. 5, fol. 36).

3. Ceteris paribus dignior est ea octava, quam celebrat Ecclesia universalis (Gavantus sect. III, c. 8, n. 6).

4. In paritate ritus festi, praefertur octava festi primarii et dignioris (S. R. C. 29 martii 1760, n. 4286).

Quibus positis, cognita praecedentia festorum, habebimus quoque praecedentiam octavarum simul occurrentium. Praestantia vero festi primo desumitur a ritu et classe: hinc octava festi duplicis primae classis nobilior est octava, quae pertinet ad festum duplex II classis. Secundo a qualitate primarii prae secundario festo; hinc octava festi primarii praestantior est, ritu et classe paribus, octava festi secundarii. Tertio desumitur ex dignitate personae, ad quam festum pertinet; ut proinde, ritu, classe et primarii vel secundarii qualitate paribus, dignior sit octava festi Domini, quam octava festi Deiparae: dignior octava festi Deiparae, quam octava festi alicuius ex sanctis etc. Igitur, sicut festa duplicia I classis, quae ab universali Ecclesia celebrantur, primique ordinis dicuntur, caeteris omnibus praestant, ita et eorum octavae. Occurrente ergo ex. gr. die infra octavam Ss. apostolorum Petri et Pauli cum die infra octavam B. Mariae titularis propriae ecclesiae, agendum erit de octava Apostolorum cum commemoratione octavae B. Mariae, licet haec dignitate personali sit praestantior.

Similiter, cum festa I classis II ordinis, nempe dedicatio propriae ecclesiae, patronus loci, et titulus ecclesiae, praeferantur caeteris duplicibus I classis, III ordinis, licet haec nobiliora sint, dignitate personali inspecta, ita et octavae eorumdem pari ratione praeferendae erunt Idem dicatur de duplicibus II classis, octavam habentibus; octava enim festi II classis primarii, praefertur octavae festi II classis secundarii, ob eamdem rationem, licet festum secundarium sit dignius dignitate personali.

Quum vero agitur de octavis festorum quae pertinent ad eumdem ritum, classem et ordinem, et ambo sunt primaria, vel secundaria, tunc, sicut festum maioris dignitatis personalis in casu praefertur, ita praeferenda erit eius octava.

Hinc ex. gr. si octavae dedicationis et tituli propriae ecclesiae simul occurrant, cum utrumque festum sit I classis et II ordinis et primarium, ratio praelationis repetenda erit ex maiori dignitate festi. Quoniam vero dedicatio est festum Do-

mini, dignius est quam festum tituli, ideoque octava eius in casu cedit octavae dedicationis, prout docet Gavantus (hoc loco, n. 7).

Aliter est dicendum de octava patroni, cuius festum agatur cum feriatione, quia ob honorem feriationis, tunc festum patroni praevalet dedicationi (S. R. C. decr. 4025).

Quod si octavae occurrentes pertineant ad festa in omnibus paria, scilicet eiusdem ritus, classis et ordinis, tunc agendum erit de octava illa de qua actum est festum anterius, nisi alterutra sit in calendario universali, ut dicit Gavantus (loc. cit.). Hinc occurrentibus ex. gr. octavis s. Paschalis Baylon 17 maii, et s. Bernardini Senensis 20 maii, quorum festa ambo sint II classis, fiet de octava primi cum commemoratione secundi. Occurrentibus vero octavis s. Caietani 7 augusti, et s. Laurentii, diebus 11, 13 et 14, agendum erit de octava secunda, quia est octava universalis Ecclesiae cum commemoratione primi.

Eapropter huiusmodi normas prae oculis habeant calendariorum redactores in praeferenda altera octava alteri, quando simul inter se occurrant; et meminerint dignitatem festi ante omnia esse perpendendam, quae ex ritu, classe, qualitate primarii aut secundarii atque ordine constituitur, et deinde, si ea sint paria, dignitatem personalem. Hoc omnino, in praesenti maxime, certum est, sive rubricis, sive recentioribus decretis inspectis.

203. Nos quidem non latet, recentiores auctores, ut A. Carpo (Bibliot. p. II, c. 15, n. 191, fol. 288), opinionem sequentes Cavalerii (t. I, c. I, decr. 22, n. 15, fol. 37), quem nobis refragantem confitemur, dignitatem octavae non repetere a dignitate festi *extrinseca*, sed contra a dignitate *intrinseca*. Audiatur A. Carpo: « Si festa eumdem ritum habent, praefertur octava festi dignioris dignitate insigni (quod verbum aequivalet, in casu nostro, *intrinseca*), tametsi occursus sit cum octavis sanctorum, quorum festa in occursu nulli cedunt, uti sunt festa Assumptionis B. M., Nativitatis s. Ioannis Baptistae, Ss. Apostolorum Petri et Pauli, ac Omnium Sanctorum, quia (en in cauda venenum) etsi istorum festa sint privilegiata, non tamen privilegiatae sunt eorum octavae ».

Iuxta ergo citatos auctores, quamquam festa sanctorum, digniora dignitate *extrinseca* praeferantur festis Domini, dignioribus quidem dignitate *intrinseca*, eadem praelatione non gaudent eorum octavae. Ideoque, iuxta ipsos, quamquam e. g. festum Omnium Sanctorum praeferendum sit, ex rubrica, dedicationi

ecclesiae, octava tamen dedicationis dignior est octava Omnium Sanctorum.

Sed hoc neque concordat cum canonibus in principio prolatis, quod scilicet octava nihil aliud est nisi prorogatio festi, et dies omnes octavae pro una festivitate computantur, et quod octava sequitur festum, sicut accessorium sequitur naturam principalis.

Neque etiam concordat cum decreto S. R. C. n. 1922 quo declaratur, octavas Omnium Sanctorum et s. Ioannis Baptistae, digniores esse quam octavam dedicationis ecclesiae.

Sententia nostra confirmatur ex rubricis peculiaribus *Breviarii Romani-Seraphici* (editio Mechliniae 1875), ubi n. 73 dicitur: « Si festorum duorum dies infra octavam, vel dies ipse octavae simul occurrant, est celebrandum officium de infra octavam, seu de die octava illius festi, quod secundum communes occurrentiae leges alteri festo praefertur »; ideoque non intelligimus cur P. A. Carpo, qui ex franciscalibus erat, oppositum doceat (loco citato).

Itaque duobus occurrentibus octavis, fit officium de nobiliori cum commemoratione alterius. Sed nota, sicuti duo festa, ita duas octavas idem quandoque habere posse obiectum, quandoque autem idem subiectum, sed diversum obiectum, quandoque idem et obiectum et subiectum. Pro obiecto festi intelligimus illud, quod in mysterio vel sancto, de quo festum agitur, directe colitur: pro subiecto intelligimus personam, ad quam pertinet festum. Itaque, cum duae octavae ad diversum subiectum pertinent, nulla difficultas in commemoratione agenda, sed accidere potest ut eaedem octavae ad idem subiectum, seu ad eamdem personam pertineant: quo in casu sequentia animadvertenda sunt. Aut agitur de duabus octavis festorum Domini, aut de duabus octavis B. V. Mariae, (quia duae eiusdem sancti octavae simul occurrentes vix dari possint). In prima hypothesi fit alterius octavae commemoratio, quoties diversum sit festorum obiectum: secus omittitur. Ex. gr. si infra octavam Ss. Trinitatis occurrat octava dedicationis ecclesiae, de hac fit commemoratio, obiectum enim festi diversum est. Si vero infra octavam Ss. Crucis occurrat octava ex. gr. miraculi Ss. Sacramenti, tunc de hac non fit commemoratio, quia ad mentem S. R. C. (decr. 3597, et 3604) idem est obiectum et subiectum festi.

In altera autem hypothesi, cum declaratum fuerit distinctum obiectum specificum non haberi in variis B. Mariae V. festivi-

tatibus, quando duae occurrant Deiparae octavae, fit de nobiliori officium absque alterius commemoratione.

Haec intelligenda sunt de diebus infra duas octavas occurrentibus, quia si agatur de die octava unius festi, occurrente in die infra aliam octavam, ob ritum duplicem, fit de die octava, licet festum eius sit minoris ritus et dignitatis.

204. « Officium de octava fit cum tribus nocturnis, novem scilicet psalmis et novem lectionibus (exceptis octavis Paschae et Pentecostes, in quibus fit cum uno nocturno, ut suis locis ponitur), et omnia dicuntur sicut in die festi, praeter lectiones: quarum primae tres semper sunt de Scriptura occurrente in officio de tempore, praeterquam infra octavam Assumptionis B. Mariae, in qua singulis diebus positae sunt lectiones propriae de Canticis Canticorum: aliae lectiones secundi et tertii nocturni dicuntur quae infra octavam positae sunt. Infra octavam vero patroni, vel titularis ecclesiae aut alterius festi, quod in aliquibus ecclesiis consuevit cum octava celebrari, si apud illas ecclesias non habentur propriae et approbatae lectiones pro secundo et tertio nocturno, infra octavam repetantur lectiones positae in communi sanctorum, si de sanctis fiat octava, aliquin lectiones diei festi ». Est namque mens Ecclesiae, ut pro posse lectiones eaedem non repetantur, nisi in casu necessitatis; porro praescribit Rubrica, ut infra octavas sanctorum sumantur lectiones de communi.

Nihilominus S. R. C., die 19 februarii 1622, adprobavit *Octavarium Romanum* a cl. Gavanto elaboratum et a card. Bellarmino laudatum, ita ut, qui illud possidet, bene possit infra octavam sui titularis, vel patroni lectiones legere prout in dicto octavario adnotantur. Immo eadem S. R. C., die 29 novembris 1856, Septempedano episcopo proposuit, ut pro sua dioecesi lectiones II et III nocturni infra octavas titularis sumeret ex laudati Gavanti octavario.

In praxi ergo, infra octavam proprii titularis, vel patroni lectiones I nocturni, uti dictum est, sumuntur de Scriptura occurrenti; quod si occurrat vel feria II Rogationum, vel Quatuor Temporum, in quibus desunt lectiones Scripturae, tunc sumuntur e communi, primo loco vel secundo loco quae magis congruunt. Lectiones vero II nocturni, si habeatur octavarium, ex eo sumuntur, continet enim lectiones pro festis universalibus quae alicubi cum octava celebrari possunt, et pro unoquoque communi sanctorum: si non habeatur octavarium, lectiones diei

festi repetendae sunt, si hoc festum non habeat commune ; quod si commune habeat, nempe si titularis sit ex. gr. s. Martyr, in die festo leguntur lectiones propriae, deinde prima die infra octavam, qua fit de octava, de communi primo loco, secunda die de communi secundo loco, et sic alternatim usque ad diem octavam.

Circa vero lectiones III nocturni distinguendum est; vel evangelium quod legitur in missa titularis, seu patroni est de aliquo communi, et tunc in octavario reperiuntur pro unaquaque die lectiones diversas super eodem evangelio; si autem evangelium non sit de communi, tunc haec docet Gavantus in III notamine in rubricis sui octavarii : « Quod si in III nocturno com-« munes non deserviant aliquibus festis, quae videlicet proprium « habent evangelium, eo casu, post diem festum (in quo legi « debet proprium evangelium cum sua homilia), in sequentibus « diebus infra octavam lege evangelium in missa et officio vel « primum, vel aliud congruentius de communi, cum suis homi-« liis, ut fit infra octavam Ss. Petri et Pauli. In die vero octava « legatur in III nocturno ut in die festo, si propriis caret, seu « communibus lectionibus in evangelium diei festi, nisi aliud no-« tetur ». In casu tandem quo non habeatur octavarium, in III nocturno semper repetendae erunt lectiones diei festi. Nota tamen quod si in breviario sint plures lectiones in idem evangelium, uti ex. gr. evangelium *Vos estis sal terrae* pro doctoribus; *Simile est.., decem virginibus* in communi et in festo s. Caeciliae; *Ecce nos reliquimus omnia* in communi apostolorum et abbatum, etc. tunc nobis videtur tuto doceri posse pro lubito in casu lectiones illas alternatim sumere infra octavam titularis, ob eamdem rationem quae dicta est pro lectionibus II nocturni.

Infra octavam officium fit semiduplex: si tamen duos dies excipias, Pascha et Pentecosten immediate sequentes: quod indicat maximam ac ceteris potiorem solemnitatem huiusmodi festivitatum. Generalis nihilominus est regula, ut ritus diei infra octavas semper sit semiduplex. Antiquitus dies infra octavas Sanctorum ex generali lege omnino omittebantur, uti notat Micrologus (cap. 44), quorum nempe nec commemoratio fiebat. Dies vero infra octavas Assumptionis Deiparae et s. Petri apostolorum principis, ritu tantum simplici recolebantur, per solam nempe commemorationem. Consuetudo ista, dies infra octavas seu penitus omittendi, seu tantum commemorandi, viget adhuc

in nonnullis octavis minoribus, uti apud Dominicanos. Postea tamen statutum est, ut dies omnes infra octavas recolerentur, semiduplici tamen ritu, sicut praesens rubrica docet, ut inter festum, eiusque complementum, quod dies octava est, diesque intermedios, haberetur discrimen, quippe qui satis minoris sunt solemnitatis.

In die autem octava officium fit duplex, ut magisquam infra octavam dies, solemnitatis festi sit particeps, ac difficilius impediatur.

Operae pretium est hic inquirere, an dies octava, et dies infra octavas adnumerandae sint inter festa primaria vel secundaria, ita ut in occurrentia et concurrentia cum festis eiusdem ritus, applicanda sit lex in decreto S. R. C., 3 iulii 1893 promulgata.

Primum sit de die octava. Si de *occurrentia* loquimur, certo certius dies octava praevalet cuicumque duplici minori imo et maiori; sed hac praevalentia non potitur dies octava, quia nobilior in se, seu ex natura sua *primarium festum*, sed quia, cum sit *intransferibilis*, rubricae illi tribuerunt praelationem super duplicia minora et maiora, quae transferri omnia poterant ante rubricarum reformationem. Ex hoc ergo, quod dies octava praeferatur in occurrentia ceteris duplicibus minoribus, imo et maioribus, non statim dicendum est gradum illi competere, quem habent festa primaria. Quod si de *concurrentia* loquimur, tunc dies octava indubie adnumeranda est inter festa primaria, si primarium sit festum cuius celebratur octava; si vero hoc sit secundarium, et secundarium festum censenda erit eius octava dies. Hoc evincitur ex notione octavae, quae nihil aliud est nisi continuatio et productio festi, quod tamdiu perseverat, quamdiu durat octava, uti docet Guyetus (lib. IV, c. 6, 9, 7).

Itaque si festum, de quo agitur octava, primarium est, huiusmodi natura *primarietatis* (parcant philologi) gaudebunt quoque omnes dies infra octavam, et dies ipsa octava. Concipi enim non potest festum aliquod incipi celebrari uti primarium, et continuari ac finire uti secundarium.

Haec doctrina, quam iam ab anno 1892 docuimus (v. *Ephem. lit.* an. 1895, pag. 69), a S. R. C. (decr. 3886) adprobata fuit.

Idem dicendum credimus de diebus infra octavam, cum eaedem rationes militent pro illis, quae pro die octava.

Quid autem erit dicendum si infra octavam festi primarii Domini, vel B. Mariae Virginis, occurrit semiduplex sanctorum

primarium? Ex lege generali, cum occurrunt vel concurrunt duo festa primaria eiusdem ritus, praevalet dignius dignitate personali. Si igitur haec lex applicanda foret in casu nostro, infra octavas Domini et B. Mariae nunquam celebranda essent festa semiduplicia sanctorum, uti cautum est pro octava privilegiata Corporis Christi; in casu enim dies infra octavam semiduplex, dignior est quam semiduplex sanctorum.

Ex quo consequitur, quod si ad tramitem legis generalis praecitatae, haec quaestio solvenda fuisset, ex octavis Nativitatis D. N. I. C. Immaculatae Conceptionis, et s. Ioannis Baptistae expungenda forent relativa festa semiduplicia s. Thomae cantuariensis, s. Damasi Pp. et s. Leonis II, et extra octavas ipsas reponenda. Ex una parte vis argumentationis ad hoc consectarium nos ducit, ex altera impossibile omnino videtur, S. R. Congr. usque ad hanc conclusionem descendere voluisse cum suo decreto circa festa primaria et secundaria; nam certo certius memorata festa semiduplicia in dictis octavis retinuit, nec unquam inde evellere iubebit.

Si liceat nostram depromere sententiam, censemus in hac quaestione nihil esse innovandum, talis enim est voluntas S. R. C. et satis iustificata. Dies infra octavam adscribendi sunt, prout exigit ratio, inter officia primaria vel secundaria, iuxta naturam festi: nihilominus dicendum est ipsos constituere quasi ordinem specialem, et ideo sive primarii sint, sive secundarii, cedunt quibuscumque aliis semiduplicibus, ut enim iam vidimus (n. 144) sunt semiduplicia sexti Ordinis. Hoc sensu intelligendum est S. R. C. decretum (n. 3886) quo declaratur: « Dies infra octavam quamcumque tamquam secundarios habendos esse et cedere cuicumque semiduplici occurrenti ». Etenim S. R. C. hoc suo decreto non dixit dies infra octavas esse revera secondarios, sed *tanquam secundarios*, esse habendos; ideoque sint vel non sint primarii vel secundarii cedere tamen debent cuilibet alio festo semiduplici.

205. Rubrica: (tit. 7, n. 5,) ait. *In Vesperis infra octavam omnia dicuntur sicut in secundis Vesperis festi*; non enim sunt nova festa dies infra octavam, uti iam innuimus, sed eiusdem festi continuatio; cum eaedem ergo Vesperae festi iterentur, secundas decet persolvere.

Ratio est quia cum simul concurrant duo officia eiusdem ritus et eiusdem obiecti, dicuntur Vesperae secundae de praecedenti absque commemoratione sequentis (S. R. C. 2514). Scimus

liturgicos scriptores, sequentes Gavantum (Sect. 3, c. 8, n. 13). non accipere dies infra octavas tamquam festa semiduplicia, ex natura sua ius habentia ad primas et secundas Vesperas; attamen aliud est vesperas primas semper *impediri*, aliud est illis carere. Officium feriale revera *caret* primis vesperis, sicut festum Sanctorum simplex caret secundis, at semiduplex ad utrasque vesperas ius habet. Atqui dies infra octavam ritu semiduplici gaudet, ideo natura sua ius habet ad utrasque vesperas.

Nos pluries in *Ephemeridibus Liturgicis*, hoc idem arguendo docuimus cum Guyeto, contra communem opinionem (Cf. An. 1893, p. 562; 1895 p. 75; et 1904, p. 20), ac proinde valde gaudemus quod S. R. C., *omnibus sedulo perpensis*, sententiam Guyeti ac nostram adprobaverit contra Gavantum (sect. 3, c. 8, n. 9 et 13) et Cavalerium (t. 2) et ceteros scriptores, per decretum suum, in *Atrebaten* d. d. 5 Iunii 1908, in quo praescribitur esse sumendam commemorationem *sequentis* diei infra octavam, e primis vesperis; et rationem huius tradit dicens: QUIA HABETUR CONCURSUS (1).

Et sane qui attente legit rubricas breviarii, inveniet in tabella concurrentiae, inter officia concurrentia *in primis vesperis*, etiam « dies infra octavam » ergo rubricae iam illi ius recognoscebant ad ipsas primas vesperas.

Itaque Rubrica generalis (tit. VII, n. 5) quae dicit: *In vesperis infra octavam omnia dicuntur sicut in secundis vesperis festi*, nunc ad mentem S. R. C. per hoc decretum declaratam intelligenda est: nempe, nisi dies infra octavam revera *concurrat*, quia tunc *omnia dicuntur sicut in primis* (2).

(1) In citato loco (an. 1904 p. 24), cum adversus nostram sententiam habebantur rubricae et decreta, haec scripsimus;

« Quae hic diffusiori calamo, scientifice loquendo, disseruimus, nihil possunt contra rubricas, ... ideoque, usquedum aliud non decreverit S. R. C., illi standum est omnino, et in secundis Vesperis duplicis II classis, si agenda sit commemoratio sequentis diei infra octavam, antiphona et ℣, sumentur e secundis vesperis festi ».

Nunc autem S. R. C. *revera aliud decrevit*, et quod nos alias *scientifice loquendo* docuimus, hodie sequendum est.

(2) Nota tamen, hanc novam dispositionem accipiendam esse semper, excepto casu, quo ea quae dicuntur in primis vesperis festi ita simt accommodata, ut in secundis dici minime possint. Ex gr. quando die 30 Decembris fit Officium de octava, in II vesperis s. Thomae commemoratio diei infra octavam concurrentis fieri nequit per anti-

Ex qua sapientissima nova dispositione consequitur, quod si in II Vesperis duplicis II classis fieri debeat commemoratio diei infra octavam *de qua fieri debeat officium die sequenti*, ut ait Rubrica (tit. IX, n. 6), non amplius sumenda erit pro huiusmodi commemoratione antiphona et ℣ e II vesperis festi sed e primis. Ratio est clarissima, quia in casu non fit commemoratio diei *occurrentis* infra octavam, sed diei *concurrentis*.

Rem explicabit exemplum. S. Ioachim festum 2 classis quando litera dominicalis est F, celebratur die 18 Augusti, sine commemoratione *occurrentis* IV diei infra octavam Assumptionis; quia vero in crastinum celebrandum est officium de V die infra eamdem octavam, in secundis vesperis s. Ioachim agenda erit commemoratio octavae. Sed cuius diei? non *occurrentis* diei IV quia de ea nulla facta fuit commemoratio in Laudibus et Missa, ideoque nefas esset de ea fieri in secundis vesperis: ergo commemorabitur *concurrens* dies V; aliis verbis, in secundis vesperis s. Ioachim commemorabuntur *primae vesperae sequentis diei V* infra octavam, cum antiphona *Virgo prudentissima* e primis vesperis festi Assumptionis.

206. Aliud autem consectarium, et quidem maximi momenti, profluit ex eodem novo Decreto S. R. C. *in Atrebaten.* Si enim dies infra octavam ius habent ad utrasque vesperas, sequitur, quod septima dies, licet II vesperas *de facto* non habeat quia impediuntur a I vesperis diei octavae, nihilominus, hoc impedimento cessante, reviviscunt II vesperae diei septimae. Sicut enim rubrica Breviarii sub die 18 Martii in festo s. Cyrilli Ep. dicat *Vesperae de sequenti* (s. Ioseph), *commemoratio Feriae*

phonam *Cum ortus fuerit sol* etc. et per ℣ *Crastina die* etc. e I vesperis Nativitatis, ut patet; sed eo in casu retinenda erit antiphona *Hodie Christus* etc. cum ℣ *Notum fecit* etc.

Idem dicendum est de diebus infra octavas illas, quae ad *Magnificat* habent quotidie antiphonas proprias, ut infra octavam Epiphaniae; quia, ubi Titulus ecclesiae occurrit infra istam octavam, nihil erit immutandum pro eius commemoratione. Similiter die 2 Iulii, in II vesperis Visitationis B. M. V. commemoratio octavae Ss. apostolorum Petri et Pauli non est desumenda e I vesperis festi antiphona *Tu es Petrus* etc., sed illa erit dicenda quae notatur in breviario, scilicet *Petrus apostolus* etc. Ratio est quia officium in die festi totum est in honorem unius s. Petri, excepta oratione quae est communis cum s. Paulo, infra octavam autem officium est revera de utroque Apostolo, ideoque non varianda antiphona.

tantum, et nihil de s. Cyrillo, attamen, quando festum s. Ioseph transfertur, pro officio s. Cyrilli reviviscit ius ad secundas vesperas. Ita a pari dicendum quando dies octava alicuius festi incidat in dominicam maiorem, tunc enim in sabbato a capitulo fit de dominica sequenti cum commemoratione diei octavae ad ritum simplicem redactae. Sed antiphonae ac psalmi quaenam erunt in illis vesperis?

Gavantus (sect. 3, c. 8, n. 13) respondit absolute: « Recitabis vesperas cum psalmis sabbati, a capitulo de dominica privilegiata, et in fine addes commemorationem diei octavae, ut in primis vesperis festi. » Imo addit: « ita decrevit, *me petente*, S. R. C. die 9 Novembris 1662 ». Hoc tamen decretum in collectione non fuit admissum, sed eius dispositio inducta est in Rubrica speciali quae legitur die 14 Decembris, nempe: *Si dies octava Immaculatae Conceptionis B. M. V. inciderit in dominicam III Adventus, fit officium hoc modo: Vesperae in sabbato praecedenti dicuntur de feria ut in psalterio, et a capitulo fit de dominica cum commemoratione diei octavae ut in primis vesperis.*

Ratio huius dat Gavantus suo modo (ibid.) dicens: « Voluissent alii dimidias vesperas usque ad capitulum ritu semiduplici de octava, capitulum deinde de dominica: at hoc modo non erunt primae vesperae de die octava, ut patet, cum ritu semiduplici, neque erunt secundae vesperae de die infra octavam, quae terminatur in nona.... ».

Iuxta ergo sententiam Gavanti, quem omnes scriptores sunt secuti, exceptis Guyeto et Merato, in casu dicuntur psalmi de sabbato, eo quod dies septima infra octavam terminatur ad nonam, scilicet non habet umquam ius ad secundas vesperas; sed haec doctrina iure non placet Guyeto, et hodie contradicit novo huic S. R. C. decreto in *Atrebaten.*

Scribit autem Guyetus (l. 4, c. 6, q. 7): « Nonnisi improprie dictum est officium diei infra octavam terminatum fuisse ad nonam, nisi quatenus vesperae fiunt de die octavae; quod si contingat ut vesperae non sint eiusmodi, quidni continuanda erit in iis octava, eo modo quo fieri potest, nempe sumendo psalmos et antiphonas de ipsa ex II vesperis festi, capitulum vero et cetera deinceps de dominica, cum commemoratione octavae per antiphonam ad *Magnificat* et versum I vesperis? » Item alio loco (l. 4, c. 12, q. 6) docet: « Officium diei octavam praecedentis (VII) haud censetur terminari proprie ad nonam,

nisi quia vesperae fiunt de die octava sequente; quidni in eo casu in quo dies octava supprimitur, continuabitur in vesperis et completorio officium diei illius infra octavam, perinde atque continuatur aliorum, nullo festo sequente? Hoc certe rubricis et rationi longe conformius est, quam si festivo officio usque ad nonam producto ». Et concludit aptissimis verbis: « ..... at in casu proposito, cessante prorsus et quoad officium et quoad commemorationem die octava, absurdum non est, imo perquam congruum, officium inchoatum diei infra octavam absolvere, cum nihil aliunde obstat. Aio itaque vesperas de eo recitandas ritu semiduplici ad instar aliorum dierum infra octavam, videlicet ut in II vesperis festi ».

Ex qua lectissima et rationabili doctrina perillustris Guyeti, manifestum fit, dies VII infra octavas vere ius habere per se ad primas et secundas vesperas.

Meratus (de octav. n. XIX) autem, sententiam Guyeti referens, eam non repellit, sed concludit, iis non obstantibus standum esse decreto a Gavanto citato. Quod et nos diximus ob reverentiam Rubricae citatae et S. R. C. decretorum; sed hodie res valde immutata est, ideoque sententia Gavanti deseri debet, cum non parum emolumenti scientiae liturgicae.

207. Dies octavus celebratur sub ritu duplici, eo quod antiquitus, nempe saltem a seculo XII, ut docet Bäumer (t. 2, p. 31) nihil fiebat de diebus infra octavas, et tantummodo de die ipsa VIII, agebatur commemoratio festi. En quomodo ad rem scribit Micrologus (c. 44, *de octav. Ss.*): « Juxta Romanam auctoritatem nullorum Ss. octavas observare debemus, nisi unde certam aliquam traditionem a Ss. patribus habemus. Eorum quoque, quorum octavas celebramus, nullam cotidianam mentionem (lege commemorationem,) per interiacentes dies agimus, quia nullam auctoritatem inde habemus ». Huiusmodi consuetudinis celebrandi octavas, habetur adhuc in breviario romano vestigium pro s. Agnete, die 28 Ianuarii. Quando autem coeptum est celebrari octavas etiam diebus infra ipsas, a fratribus Franciscanis, ut vult Bäumer (ibid.), tunc ritu duplici celebratus est dies VIII, relicto ritu semiduplici diebus infra octavam ipsam.

Hinc est propterea quod dies VIII, ratione maioris ritus, in concurrentia cum die VII habet integras I vesperas, quae sumuntur e I vesperis diei festi, ut ait rubrica.

Infra octavas non fiunt Suffragia consueta de Sanctis, quia huiusmodi suffragia, nonnisi commemorationes sunt, com-

munes tamen, quae in semiduplicibus admittuntur, quales dies infra octavam sunt. Nihilominus in his semiduplicibus excluduntur, ait Cavalerius, ad maiorem celebritatem, quam octavae significant et indicant (tom. II, cap. XXXIII, n. 1). Dies enim infra octavas, licet semiduplici ritu recolantur, solemnitatem festi quod in ipsis continuatur et producitur, non amittunt, ideoque suffragia, quae dicuntur tantum in diebus infimae solemnitatis, infra octavas omittuntur. Item, ob eandem rationem *nec dicuntur preces ad Primam et Completorium, etiamsi fiat officium de dominica, vel de festo semiduplici*; quia quodvis officium, quod celebratur infra octavas, sit semiduplex Sanctorum, sit dominicale, in partem quodammodo venit solemnitatis, quae octavae inest, de qua saltem fit commemoratio.

CAPUT XLII.

DE DIVERSA NOTIONE FESTORUM QUAE SIMUL OBVENIRE POSSUNT

208. Iam a primis saeculis christianis, statis diebus per annum, consuevit Ecclesia memoriam agere sive mysteriorum vitae et passionis D. N. I. C., sive B. Mariae Virginis, sive Sanctorum martyrii.

In seligendis autem hisce diebus, in quibus memoria illorum erat celebranda, sancti patres nostri ex rerum natura ducti illos dies statuerunt, in quibus vel mysteria ipsa impleta fuerant, vel Sancti ex hac vita decesserant.

Super hoc praeclarum testem habemus s. Cyprianum Carthaginensium episcopum, qui saeculo III floruit, in epistola 37, quam dedit ad diaconos suae Ecclesiae; scribit enim: « Denique et dies eorum, quibus excedunt, annotate, ut commemorationes eorum inter memorias martyrum celebrare possimus ».

Etiam s. Ioannes Chrysostomus in homilia 26 super Epistolam II ad Corinthios dicit: « Dic mihi, ubi sepulchrum est Alexandri illius magni? Ostende mihi, et dic qua die mortuus est? At vero servorum Christi vel monumenta ipsa sunt illustria, quae regiam et dominam omnium civitatem obtinuerunt; tam mortis illorum dies noti sunt omnibus, qui festi per totum orbem aguntur ».

Ceterum, quisquis libros evolvit Bosii, Boldetti, Zaccariae, de antiquis; Garrucci, De Rossi, Marucchi et P. Sixti Scaglia ex recentibus, facile invenerit in romanis catacumbis diem obitus Martyrum in epitaphiis saepissime notatum fuisse; rarius annus signabatur, quem nomina consulum aliquando indicant; communiter vero fit mentio de die et mense in quo Martyr occubuit.

Unum ex his epitaphiis recenter inventum in crypta s. Agnetis, sic legitur:

SECVNDINVS
DEP[ositus] TERTIO KALENDAS AVG[usti] (1).

(1) ARMELLINI, *Il cimitero di S. Agnese*, pag. 424.

Inter alia documenta antiquitatis christianae, de festi primis saeculis celebratis, omnium pretiosissimum est illud quod archaeologi vocant *Catalogum Filocalianum*, eo quod scripsit et decoravit Furius Dionysius Filocalus calligraphus, qui floruit sub Liberio et Damaso pontificibus (336-354). Hunc catalogum publicavit ex Bollandistis P. Bucherius, in eoque, ex. gr. legimus:

prid. Kal. Ianuar. Silvestri in Priscillae.

. . . . . .

non. Octob. Marci in Balbinae...

. . . . . .

XIII Kal. Feb. Fabiani in Calisti et Sebastiani in Catacumbas.

XII Kal. Feb. Agnetis in Nomentana.

. . . . . .

VIII Kal. Mart. natale Petri de Cathedra.

. . . . . .

III Kal. Iul. Petri in Catacumbas et Pauli Ostiense.

. . . . . .

III id. Aug. Laurenti in Tiburtina.

Item in Martyrologio Hieronymiano, a Bollandistis recenter edito, signantur festa Domini et B. Mariae Virg. ac Sanctorum iisdem diebus, quibus adhuc recoluntur.

Quodcumque festum ergo suum proprium diem habebat et habet, et nunquam a sua sede amovendum esset, nisi aliquando alia festa incidentia in eamdem diem illud impedirent.

Si annus diebus constaret numero 364, et festum Paschatis in quadam fixa die quotannis celebraretur, dies dominici nunquam mutarent sedem in mense, et festa tam solemnissima quam minoris solemnitatis quotannis sua die recolerentur, ideoque nunquam opus esset officia transferre. Cum vero annus dies 365 habeat, et si bissextilis 366, necessario dies dominica, quae unaquaque hebdomada succedit, omnibus annis mutat sedem in diebus mensis. Insuper, cum festum Paschatis, e quo pendent cetera festa mobilia, a Septuagesima usque ad festum Corporis Christi, ex Nicaeno concilio celebrandum sit dominica die, quae proxime succedit XIV lunae mensis Martii, necessario infra annum intervenit, ut nonnulla festa diebus mensis affixa simul incidant in eamdem diem, cum aliis festis mobilibus.

Ex. gr. dies 24 Februarii in calendario Filocaliano, et etiam nunc, assignatur ut sedes fixa s. Mathiae Apostoli, et anno 1902 eadem die 24 Februarii accidit dominica I Quadragesimae; cum autem unum tantum ex his duobus officiis celebrari debeat, aliud opus est *transferre*, et in casu nostro transfertur s. Mathias. Hinc rubricae tradere debuerunt regulas huius festorum *translationis*.

Nihilominus, non tentum datur locus translationi festorum, ob mutabilitatem sedis diei dominicae in mense, ot ob mobilitatem Paschatis, sed etiam ob celebrationem festorum particularis alicuius ecclesiae, quae obveniunt in eamdem die in qua universalis Ecclesia aliud festum celebrat.

Ex. gr., die 6 Augusti in calendario universali agitur festum Transfigurationis Domini, et commemoratio s. Xysti II; cum autem in ecclesia dicata eidem s. Xysto eius festum, uti titularis, solemniter sit celebrandum, memoria Transfigurationis in diem 9 transfertur recolenda in ipsa s. Xysti ecclesia. Duabus ergo de causis translatio habetur vel ob alia festa mobilia, *accidentaliter* eo anno eadem die obvenientia, vel ob alia festa fixa quotannis in eamdem diem *perpetuo* incidentia.

209. Ex dictis liquido profluit, nonnulla festa impediri, quominus celebrentur in sua die, propter adventum alterius festi mobilis; nonnulla alia impediri quotannis, quia in eamdem diem duo festa incidunt celebranda. Primum dicitur *impedimentum accidentale*, sive temporaneum, accidit enim eo anno; aliud dicitur *impedimentum perpetuum*, eo quod quotannis obveniret, nisi unum ex duobus festis alia die celebraretur.

In duobus allatis exemplis, memoria s. Mathiae ob *impedimentum accidentale* dominicae I Quadragesimae, celebratur in alia die non sua; sed anno proximo, uti patet, deficiente impedimento, in sua die 24 Februarii celebrabitur.

Memoria vero Transfigurationis Domini, ut in exemplo secundo, pro ecclesia s. Xysti ob impedimentum *perpetuum* ipsius sancti titularis, non uno anno tantum, sed quotannis celebrabitur alia die.

Quapropter, sicut dantur duo impedimenta, accidentale unum, perpetuum aliud, item dantur duae species translationis: translatio *accidentalis*, et translatio *perpetua*. Prima uti patet, oritur ex conflictu duorum officiorum, quorum unum fixum, mobile aliud; secunda oritur ex conflictu duorum festorum, quae in unam eamdemque diem fixa incidunt.

Quoniam vero, uti videbimus infra, non parum differunt leges translationis *accidentalis*, et leges translationis *perpetuae*, opportunum doctoribus liturgicis visum est in gratiam maioris perspicuitatis, retinere vocem *translationis*, *transferre*, et officii *translati*, quando agitur de accidentali; quando autem agitur de perpetua translatione, haec vocata fuit *mutatio festi*, *assignatio* vel *repositio officii*.

Ex quibus liquido profluit, dari duas species festorum; festa *mobilia* et festa immobilia seu *fixa*. Dicuntur *mobilia* festa illa, quae stabilem sedem in die mensis et anni non habent, uti Paschatis, Pentecostes et Corporis Christi, quae unoquoque anno mutant diem in qua celebrantur; *fixa* dicuntur ea, quae stabilem sedem habent in die determinata alicuius mensis, uti ex. gr. Nativitas, Circumcisio et Epiphania Domini, quae perpetuo incidunt respective in dies 25 Decembris, 1 et 6 Ianuarii; Immaculata Conceptio, Nativitas et Assumptio B. Mariae V., quae pariter semper incidunt in dies 8 Decembris, 8 Septembris et 15 Augusti; et sic dicatur de ceteris festis Sanctorum.

Haec festa fixa, ita in sua quaque die determinata, in calendario assignantur, ut pro mutatione sive sedis in qua celebratur Pascha, sive litterae dominicalis, semper affixa remaneant in propria die.

Mobilia festa alia pendent a sede solemnitatis Paschalis, ut sunt dominicae a Septuagesima usque ad Corpus Domini, quorum cyclus mutatur iuxta mutationem lunae XIV mensis Martii; alia vero pendent a mobilitate litterae dominicalis, ac proinde, licet non habeant stabilem sedem in determinata die mensis, nihilominus cyclus eorum mutationis constringitur in hebdomada dierum, eo quod assignantur in aliqua dominica mensis celebranda, uti sunt ex. gr. festum Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C., VII Dolorum B. M. V., etc.

Festa huiusmodi, quae a mobilitate sedis diei dominicae dependent, lato sensu mobilia ergo dicuntur; quia licet non assignentur diei mensis determinatae, ideoque vere *fixa* dici nequeant, aliquo modo fixa sunt, eo quod in tali dominica assignantur. Hinc, stricte loquendo, ita est fixum festum s. Francisci die 4 Octobris, sicut est fixum festum Rosarii dominica I eiusdem mensis.

210. Non casualiter hic usi sumus verbis: *mutatio festi* et *assignatio officii*; aliud enim est *festum* et aliud *officium*.

Festum dicitur dies illa ab ecclesia selecta, ut cultu litur-

gico memoria recolatur alicuius mysterii vitae Domini nostri, vel B. Mariae, vel alicuius sancti solemniter vel non solemniter; hinc ex. gr. die 1 Ianuarii agi dicitur *festum* Circumcisionis Domini, ritu duplici II classis cum feriatione; feria VI post octavam Corporis Christi dicitur agi *festum* SS. Cordis Iesu, ritu duplici 1 classis sine feriatione; et die 11 Novembris *festum* s. Martini ritu duplici, die autem 1 Septembris *festum* s. Aegidii Ab., licet habeat ritum simplicem.

Festum ergo dicitur non tantum dies illa, in qua celebratur memoria cum solemnitate et cum abstinentia ab operibus servilibus, sed illa quoque dies, in qua recolitur memoria alicuius mysterii D. N. I. C., vel B. Mariae V., vel alicuius sancti.

Hoc sensu *festum* apud liturgicos opponitur *feriae*, ita ut habeantur dies festivi et dies feriales, sicut officium festivum et officium feriale. In hoc ergo distinguitur *festum* alicuius sancti ab eius *officio*. *Officium* enim dicitur complexus precum liturgicarum, quibus in festis vel feriis celebrandis utitur Ecclesia.

Hinc patet, non posse, nec debere confundi notionem officii, et notionem festi. Licet ergo aliquando, sine periculo ambiguitatis, unum pro alio ab auctoribus sumatur, quandoque tamen omnino distinguenda sunt, ad praecavendas aequivocationes, quae saepe confusiones gignunt.

In Martyrologio edito in alma Urbe anno 1867, habetur appendix pro clero romano, in qua pluries legitur vox *officium*, in sensu diviso *a festo*.

Ex. gr., die 24 Iulii habetur: *Officium s. Vincentii a Paulo*, quia a clero romano recitatur *officium* eius, ea die 24 Iulii assignatum ex die 19, in qua fit de s. Symmacho. Nihilominus *festum* s. Vincentii affixum manet sua die 19, ita ut Presbyteri Congregationis Missionis, qui illum ut fundatorem venerantur, festum eius agant illa die, et officium s. Symmachi, viceversa, die 24 Iulii persolvant. Quare hoc? Quia licet assignetur *officium* recitandum alia die, relativum *festum* non amovetur a sua die, in qua Apostolica Sedes illud celebrandum constituit.

Igitur quando in unam eamdemque diem plura festa incidunt, ut in casu s. Symmachi et s. Vincentii, alterutrum fieri potest ab Apostolica Sede; aut pro uno ex festis *mutatur* dies in qua celebretur eius *festum*, et tunc non solum *officium*, sed *officium* et *festum* perpetuo reponuntur in die mutata; aut relicto *festo* in sua die, reponitur *officium* solummodo illius in alia die persolvendum.

Primum fecit ex. gr. Pius Pp. IX pro s. Paulo a Cruce, cuius *festum* celebrandum esse constituit die 28 Aprilis, licet sanctus obierit die 18 Octobris; secundum fecit Leo Pp. XIII, quando instituit festum s. Bedae, die 27 Maii recolendum, quae est eius natalitia, et *officium* s. Mariae Magdalenae de Pazzis, inde amotum, assignatum fuit diei 29 eiusdem mensis; primum dicitur *mutatio* diei *festi*, secundum dicitur *assignatio* vel *repositio officii*.

211. Iam supra notavimus a primis saeculis consuevisse Ecclesiam festa celebrare diebus ipsis recurrentibus, in quibus vel Domini mysterium impletum fuit, ut Nativitas Domini die 25 Decembris, aut sancti martyrium subiere, ut s. Laurentius die 10 Augusti. Dies ideo, in quibus haec festa celebrantur, dicuntur *propriae*; scilicet dies 25 Decembris est *propria* pro Nativitate Domini, 10 Augusti propria s. Laurentii; dominica proxime succedens lunae XIV mensis Martii, est dies *propria* Paschatis Resurrectionis, et feria V post Trinitatem est dies *propria* Corporis Christi. Notandum tamen est, quod non tantum quaedam festivitates Domini, vel B. Mariae Virginis, celebrantur in diebus non determinatis ex historico eventu, sed delectis ab Ecclesia, uti Transfiguratio Domini, Visitatio B. M. V. et Rosarium eiusdem, pro sua voluntate; sed nonnulla etiam festa Sanctorum, uti iam vidimus, non celebrantur in die eorum obitus, ex gr. s. Vincentius a Paulo, s. Paulus a Cruce et alii plurimi.

Ideoque, sicut dicitur dies *propria* 10 Augusti pro s. Laurentio, 15 Augusti pro Deiparae Assumptione, etc., ita dies *propria* dicitur 6 Augusti pro Transfiguratione, 2 Iulii pro Visitatione B. V., dominica I Octobris pro s. Rosario, 28 Aprilis pro s. Paulo a Cruce, et 19 Iulii pro s. Vincentio. Quacumque enim ex causa aliqua dies eligatur ab Ecclesia ad celebrandum festum aliquod, eo ipso dies illa *propria* evadit pro tali festo, sive fixum sit sive mobile, natalitia vel non natalitia.

Attamen, sicut habentur dies *propriae*, habentur etiam dies *non propriae*. Quando enim separatur officium a suo festo, ut supra declaravimus, dies, in qua officium assignatum est, dicitur et est *dies non propria*. Hinc in allatis exemplis dies 29 Maii, in qua repositum est officium s. Mariae Magdalenae de Pazzis, et dies 24 Iulii pro clero romano, in qua agitur officium s. Vincentii a Paulo, dicuntur *dies non propriae*; dies namque *propria* illius s. Virginis est 25 Maii, et dies *propria* s. Vincentii, prout vidimus, est semper 19 Iulii.

Natalis sanctorum, seu eorum *dies natalitia*, iuxta sensum christianum piissimum et suavem, non est in qua ortum quis sumpsit in terra, bene vero illa, in qua vitam aeternam obtinuit in coelo. S. Augustinus (Serm. 113 *de diversis*) haec habet: « Ecclesia... natales vocat praetiosas martyrum mortes... Quid est hoc fratres? Quando natus est (s. Cyprianus) ignoramus, et quia hodie passus est, natalem eius hodie celebramus; sed illum diem non celebramus, etsi noscamus, illo enim traxit originale peccatum, isto autem die vicit omne peccatum ». Attamen, non tantum dies martyrii, sed et dies mortis naturalis, seu dormitionis aut depositionis alicuius sancti confessoris vocatur ab Ecclesia *dies natalitia*, ob eamdem rationem. Id testatur s. Ambrosius (Serm. *de deposit. s. Eusebii*) scribens: « Depositionis ipsa dies natalis dicitur, quo delictorum carcere liberati, libertati nascimur Salvatoris ».

Hinc passim in Martyrologio legimus, non tantum pro martyribus, sed et pro confessoribus, die 10 Ianuarii: *Natalis s. Pauli Eremitae*; die 2 Maii: *Natalis s. Athanasii*; die 4 Octobris: *Natalis s. Francisci*; etc. Et sic communiter scriptores sacri.

Haec autem vox *Natalis* in ecclesia accepta est pro die festo, ita ut in citato cathalogo Filocaliano, etiam festum Cathedrae s. Petri, die 22 Februarii, vocatur Natale: VIII Kal. Mart. Natale Petri de cathedra. Cum quo concordat s. Augustinus (Serm. 15 de Sanctis) qui, de Cathedra eadem alloquens, dicit: « Recte ergo Ecclesiae natalem sedis illius colunt, quam Apostolus pro Ecclesiarum salute suscepit ». Dicitur ergo *dies natalitia* alicuius sancti, illa in qua obdormivit in Domino, sive morte naturali, sive morte ex martyrio.

Quoniam vero, uti iam vidimus, Ecclesia consuevit determinare aliquando dies festos sanctorum diversos ab eorum natale, hinc ipsimet dies omnia possident iura diei natalitiae, et opportune vocantur dies *quasi-natalitii*. Iam S. R. C. hoc implicite declaravit (decr. 28 Nov. 1682 n. 3007 ant. coll.): « Dies natalitii ii omnes habendi sunt, qui licet vere non sint dies obitus, tamen in calendario uti propria sedes a decreto Apostolico assignati sunt ».

In nullo equidem scriptore hanc locutionem invenimus, nos ipsi tamen eam in nostris scriptis iam ab anno 1890 induximus, ut videre est in *Ephemeridibus liturgicis* anni eiusdem pag. 592, necessitate ducti; et laetamur quod non solum alii scriptores eam acceptarunt, sed ipsamet S. R. C. in suo generali decreto

21 Novembris 1893 n. 3811 suam fecit decernens: « Si duo festa, alterum antiquum, alterum novum, ambo sint in die propria, natalitia, scilicet, aut quasi-natalitia », etc.

Id agere oportuit pro necessaria perspicuitate; dicemus itaque, diem 10 Augusti *natalitiam* esse s. Laurentii, quia in ea martyrium sumpsit, sicut diem 28 Iulii *natalitiam* esse ss. Nazarii, Celsi et Victoris I martyrum ac Innocentii I; sed dicemus quoque diem 28 Aprilis esse *quasi-natalitiam* s. Pauli a Cruce, diem dominicam infra octavam B. M. V. esse *quasi-natalitiam* s. Ioachim.

212. Notandum item est, quod utraque dies, *natalitia* et *quasi-natalitia*, ut dicit S. R. C. in citato decreto 3811, est vere *propria* illius festi, atque omnibus iuribus et privilegiis diei propriae fruitur.

Hic placet referre quod ad rem scribit more suo clarissimus Guyetus (*Heortologia* lib. 2, c. 2, qu. 3): « Festa cum transferuntur, alio maiori officio impedita, sic a suo die proprio abscedunt, ut ipsi nihilominus semper addicta remaneant, adeoque sublato alio impedimento, in eo iugiter celebrentur. Quae vero mutantur in alium diem, hunc abdicato penitus pristino die, firma deinceps ac perpetua statione quasi proprium sibi vindicant ».

Cum ergo ob impedimentum temporaneum seu *accidentale* aliquod *officium* transfertur, imo, et quando ob impedimentum *perpetuum* aliquod *Officium* alia die *assignatur*, sublato impedimento, officium illud in suam diem *propriam* in qua affixum remansit, *festum* redire debet. Quando vero, ob causas sibi benevisas existimavit Ecclesia *mutare* diem festum alicuius sancti, tunc dies *mutata* evadit *quasi-natalitia*, ac si esset in sua sede (1).

(1) Ci ca diem *quasi natalitiam*, ad maiorem elucidationem haec veniunt notanda.

In usu semper habuit Ecclesia festa sanctorum quae in breviarium invexit romanum, in eorum die natalitia assignare, si haec non sit impedita. Dies autem natalitia recensetur aliquando impedita licet occurrat festum inferioris ritus. Ita ex. gr. festum *duplex* s. Petri Chrisologi, cuius natalis dies est 2 Decembris, cum hac die a saeculis celebretur festum s. Bibianae, etsi *semiduplex*, die 4 assignatum fuit. Hoc autem arbitramur factum fuisse ne turbaretur, in calendario universali, ordo festorum; etenim in documentis antiquis saepe saepius dies actorum exprimitur non numero ordinali quem habent in mense,

Quatuor indicat Guyetus (loc. cit.) causas, cur Ecclesia consuevit aliquando mutare dies *natalitios* sanctorum, et in alios *quasi-natalitios* transferre. Prima, quando natalis dies occupatur a digniore festo, ut s. Basilius e die 1 Ianuarii in 14 Iunii mutatus est, qua fuit ordinatus.

Secunda, tempus minus idoneum ad festa celebranda; sic Decollatio s. Ioannis Baptistae, circa Paschae festum interfecti, indicta est die 29 Augusti, quando, ut habet Martyrologium Romanum, « eius venerandum caput, secundo inventum fuit, ac postea Romam translatum ».

Tertia causa, quia nonnunquam dies translationis seu inventionis, seu ordinationis celebrior est die ipso natali.

Quarta, denique, in iis martyribus locum habet, qui cum plures sint numero, nec omnes una die perempti, omnium tamen natalis simul una die consignatur, ut s. Mauritio et sociorum.

Quinta alia causa nunc adduci potest, quae Guyeto aliisque scriptoribus aufugit, et est, ut aliquod festum solemnius celebretur cum feriatione, sicque, a die natalitia ablatum, in aliqua dominica recolendum assignatur, ne festa de praecepto multiplicentur.

Hac ex causa, Clemens Pp. XII, preces excipiens Caroli VII imperatoris, anno 1738 festum s. Ioachim a die 20 Martii ad dominicam infra octavam Assumptionis B. M. V. transtulit.

Idem dicatur de festo SS. Nominis Iesu, quod in dominica II post Epiphaniam ex decreto Innocentii XIII celebratur, et de

sed nomine sancti cuius tali die agebatur festum, idest: *Actum die s. Bibianae... actum in festo s. Margaritae...* etc. Ergo valde opportunum fuit ut diebus suis relinquerentur antiqua festa, licet minus digna, ne in historicis munumentis confusio oriatur et errores in actis inducantur.

Ex hoc patet quantum differat mutatio festorum quae ab Apostolica Sede fit in decreto concessionis alicuius festi, et assignatio quae ab episcopis aliquando agitur iuxta rubricas. Illa fit a Romano Pontifice in die quae magis lubet, sive ante sive post natalitiam diem etiamsi haec non impediatur nisi a festo inferiori; assignatio vero, quam ordinant episcopi, fieri debet, non tantum post diem natalitiam, séd in die vacua seu non impedita. Ratio disparitatis in hoc sita est, quod mutatio, ab apostolica sede operata, est revera novi festi institutio, in die quae magis arridet; assignatio vero non est aliud nisi officii repositio in die prima libera, iuxta rubricas.

festo s. Nominis Mariae V., quod iussu Innocentii XI in dominica infra octavam Nativitatis eiusdem peragitur.

Ex hac causa pariter hodie, ut plurimum, festum dedicationis omnium ecclesiarum, alicuius dioecesis, sive religiosae familiae, celebratur in aliqua dominica, ut feriatio diei dominicae addicta, in honorem transeat festi ipsius dedicationis.

Sed et distinguuntur festa in *generalia* et *particularia*; festum generale inscribitur in calendario breviarii romani: festum vero *particulare* sive *proprium*, illud dicitur, quod vel ex antiqua consuetudine ultra centenaria ante Pium V, vel vi Rubricarum, ut titulus et dedicatio ecclesiae et loci patronus, vel ex Apostolicae Sedis indulto celebratur in aliqua dioecesi, vel civitate, vel religione, vel etiam in aliqua particulari ecclesia.

Unde sequitur inter festa particularia dari aliam subdistinctionem, *festa propria* et *festa magis-propria*. Ex. gr. in dioecesi P. die 9 Augusti agitur festum s. Xysti Pp. Mart., cum autem in collegiata quadam eiusdem dioecesis P. eadem die celebrandum sit festum s. Firmi M. ratione reliquiae insignis, in hac collegiata dicta die agitur festum s. Firmi M. eo quod est *magis proprium*, et s. Xysti persolvitur officium alia die. Quia hoc principium retinendum est in commensuranda praestantia plurium festorum eamdem in diem incidentium, ut « primum locum habeat officium Ecclesiae particularis; secundum Ordinis seu Religionis; tertium Dioecesis; quartum Nationis: et quintum Ecclesiae universalis, ut decrevit S. R. C. die 5 Maii 1736 ad 1, Reliqua dubia, n. 2319. Ad rem scribit Cavalerius (T. 2, C. 26, dec. 223): « festa, quae magis sunt propria et particularia, aliis, quae magis universalia sunt praeferuntur »; quia, subdit de Herdt (p. 4, n. 29) « quo magis festa propria et particularia sunt, eo magis sunt celebria, maioremque habent relationem ad locum et personas, ubi et a quibus celebrantur ».

Hoc autem principium, non est contrarium legibus translationis, de quibus nunc nobis agendum est; licet enim festa quaedam universalis Ecclesiae solemniora, semper praeferenda sint festis particularibus, attamen principium intactum remanet. Ratio est, quia huiusmodi festa tali tantaque religione et solemnitate ex Ecclesiae instituto ubique celebrari debeant, ut dedeceret quidem in aliquibus locis vel ecclesiis, diversum obiectum recoleretur illis diebus, quibus universalis Ecclesia, quasi uno ore et corde, illas praecipuas solemnitates concelebrat. Aliis verbis: festum particulare, quia, ut magis proprium, maiorem

habet relationem ad locum ubi celebratur, ideo praefertur festo generali; festa vero solemniora Ecclesiae universalis, cum et ipsa strictissimam habeant relationem cum omnibus locis, ecclesiis et personis, evadunt et ipsa *particularia* et *propria*, ideoque haec semper et ubique praevalent omnibus aliis festis. Allatum ergo principium in nihilo laedit leges translationis.

CAPUT XLIII.

DE OCCURRENTIA ET TRANSLATIONE FESTORUM

213. Quidquid sit de genuina significatione, quam in lingua Latii habebat et habet verbum *occurrere*, omnes liturgici auctores ac rubricae breviarii et missalis romani, hanc significationem tribuunt illi, quasi diceret: *incidere*, aut *simul incidere*. Quando duo vel plura festa in eamdem diem incidunt, dicuntur *occurrere* tali die; et eorum incidentia dicitur consequenter: *occurrentia*, aut etiam *occursus*. Hae voces adhibentur ergo tantummodo in scientia liturgica, non vero in aliis.

Occurrentia itaque, est quidam conflictus duorum vel plurium festorum aut officiorum, quae in una eademque die sedem propriam habent, ita ut, ait Guyetus (l. 4, c. 7), « si neutrum cum sola commemoratione peragi queat, necesse sit alterum dimitti ».

Ex usu autem, licet non semper detur huiusmodi conflictus, dicitur similiter ex. gr. Epiphaniam *occurrere* die 6 Ianuarii, et Assumptionem B. M. V. die 15 Augusti; et in hoc casu, *occurrere* idem est ac in tali die sedem suam habere. Ex quo patet, dari posse occurrentiam perpetuam, et occurrentiam accidentalem; secundum quod conflictus est perpetuus, ut ex. gr. die 8 Septembris, inter Nativitatem B. M. V. et s. Hadrianum: vel est temporaneus, ut quando s. Andreas Ap. simul incidit cum dominica 1 Adventus. De quo vide quid docuimus supra, de impedimentis perpetuo et accidentali.

Quando ergo aliquod festum a nobiliori officio impeditur *transfertur* dicit rubrica, (tit. X, n. 1) et licet ibi recenseantur festa mobilia et immobilia, nihilominus hoc verbum *transfertur*, antiquitus non intelligebatur, nisi in sensu translationis temporaneae. Ideoque officium perpetuo impeditum non erat tunc affixum in die stabili et perpetuo, sed quotannis in prima die libera celebrabatur, sicut cetera officia a festis mobilibus impedita.

Non satis intelligitur quomodo ita interpretabantur calendariorum redactores hunc locum rubricarum, maxime quia Ga-

vantus sensum genuinum hac super re exposuerat (sect. 3, c. 10, n. 15) scribens: « Quod si quotannis accidat occursus, assignanda erit dies sequens in perpetuum ».

Quam Gavanti sententiam secuta est S. R. C. in suo decreto in indice a Merati, n. 80, relato d. 29 Novembris 1659.

Nihilominus postea, et liturgici scriptores, et ipsamet S. R. C. in suis decretis 28 Augusti 1706 ad 5, n. 3749, et 14 Decembris 1700 ad 2, n. 3819, quae in nova collectione merito omissa sunt, contrarium sentierunt. Procul dubio tunc S. Congregatio hoc sensu accipiebat rubricam istam, ac proinde reiecit in allato decreto sententiam Gavanti, atque implicite revocavit aliud decretum anni 1659.

Veritas tamen paulo post emicuit, cum enim haec eadem quaestio reproducta fuisset, S. R. C. exquisivit votum eximii viri Ioan. Bapt. Gambarucci, caeremoniarum apostolicarum praesidis et archiepiscopi Amaseni, quo audito, die 2 Iulii 1712, n. 2214, statuit: *Faciendum esse de officiis de quibus agitur* (nempe perpetuo impeditis), *sub diebus respective perpetuo assignatis, etiam in occursu dominicae.*

Quam rubricarum interpretationem constanter eadem Congregatio secuta est in variis decretis, praesertim in decreto 5 Maii 1736, ad dubium 1, circa titulum X rubricarum; quod dubium, nunc in nova Collectione n. 2319 expunctum fuit, non quidem quia erratum, sed quia hodie prorsus inutile.

Regula ergo, quam tradunt rubricae, inservit tam pro impedimentis accidentalibus, quam pro perpetuis; et sensus huius vocis *transfertur*, duplex est, exprimit enim tam *translationem* officii impediti aliquo anno a festo mobili, quam *repositionem* festi perpetuo ab alio impediti.

Fatendum tamen, quod tabella occurrentiae, quae habetur in breviario, ita ets adhuc disposita, ut tantummodo inserviat pro occurrentiis accidentalibus, nihil enim docet, quid sit agendum, ex. gr. quando duo duplicia minora perpetuo simul occurrunt. Sed de hoc suo loco tractabimus.

214. Officium itaque impeditum transfertur in primam diem festo duplici vel semiduplici non impeditam. Qui calendarium observat, in principio breviarii dispositum, plurimos dies videt plane vacuos, scilicet absque ullo festo inscripto, ut ex. gr. dies 13, 16 et 17 Februarii; nonnullos vero dies, in quibus inscribitur aliquod festum ritu simplici celebrandum, eo quod caret adnotatione ritus duplicis vel semiduplicis, ut ex. gr. dies 14

et 15 eiusdem mensis Februarii, in quorum primo inscribitur festum s. Valentini, in altero ss. Faustini et Iovitae. Tam dies omnino vacui, quam illi in quibus invenitur inscriptum aliquod festum *simplex*, dicuntur *non impediti*, imo *perpetuo non impediti*.

Quando ergo agitur de impedimento perpetuo, festum impeditum reponitur perpetuo in prima die, quae vel omnino vacua, vel cum inscripto festo simplici invenitur post diem in quo cadit impedimentum. Hinc ex. gr. ex novo decreto concessionis festi s. Bedae, die 27 Maii sua natalitia celebrandi, inde amotum fuit officium s. Mariae Magdalenae de Pazzis, et hoc, ex dispositione huius rubricae, repositum fuit, non sequenti die 28, quia iam occupato a festo s. Augustini Cantuariensis episcopi, sed die 29, quia est prima dies libera post 27.

Ex notionibus iam supra a nobis datis de die *assignata*, evincitur non posse considerari tamquam liberum diem illam, in qua assignatum sit officium aliquod, ita ut aliud festum, licet dignius et anterius, in ea transferri possit. Quocumque enim titulo aliquod festum quamdam diem occupat, haec dies, ut patet, iam impedita est; ideoque S. R. C., die 22 Aprilis 1871, n. 3248, ad 6, declaravit: « Dies liberi ii tantum censendi sunt, quibus nullus sanctus, etiam translatus, est assignatus ». Subintellige sub ritu saltem duplici vel semiduplici.

Si vero agatur de impedimento *accidentali*, tunc dies non impediti dicuntur illi, qui in calendario illius anni liberi ut supra inveniuntur. Diximus: *in calendario illius anni*, quia in eo quamplures dies, qui liberi sunt in calendario perpetuo, non amplius liberi esse possunt in calendario cuiusvis anni. Exemplum rem melius illustrabit.

Anno 1902, Ascensio Domini occurrit die 8 Maii, cum autem ea die occurrat quoque Apparitio s. Michaelis Archangeli, *duplex maius*, hoc festum transferendum erit.

Prima dies libera in calendario perpetuo est 11, eiusdem mensis; sed cum eo anno 1902 dies 11 Maii fuerit dominica, in eo nullimode officium s. Michaelis transferri potuit. Ratio est, quia rubrica bene et adaequate loquens, dicit: *in primam diem* festo *duplici vel semiduplici non impeditam*; atqui Dominica, est *festum semiduplex*, ergo libera non est dies 11 Maii, pro anno 1902, ut possit admittere officium translatum s. Michaelis.

Si argumentum nostrum alicui non faceret satis, in promptu est S. R. C. decretum 12 Martii 1618 n. 361 ad 1, in quo decla-

ratum fuit: « appellatione festi novem lectionum venire et intelligi etiam diem dominicam », et, prout infra videbimus, sub vocabulo *festi novem lectionum*, intelligitur quodvis festum duplex vel semiduplex, ergo.

Propterquod anno 1902 Apparitio s. Michaelis celebrata est die 13 Maii, quae fuit prima libera in calendario illius anni. Neque obstat quod occurrat haec dies, infra octavam Ascensionis, quia etsi dies infra octavam sit ritus semiduplicis, nihilominus non excludit officium translatum. Et sane, rubrica non dicit: *in primam diem* ab officio *semiduplici non impeditam*, sed, *a festo*; atqui dies infra octavas non venit sub nomine *festi*, ergo.

Quod hic dicimus de diebus infra octavam Ascensionis, qui non excludunt officia duplicia translata, dicendum quoque est de reliquis octavis non privilegiatis, quia octavae Epiphaniae, Paschatis et Pentecostes in hoc loco rubricarum recensentur inter officia, quae excludunt festa ipsa occurrentia, ergo a fortiori festa translata. Idem dicatur de diebus infra octavam Corporis Christi, qui admittunt occurrentia festa duplicia, sed excludunt translata.

CAPUT XLIV

DE TRANSLATIONE FESTORUM OCTAVAM HABENTIUM

215. « Quando festum habens octavam transfertur; ait rubrica, ut non ideo dies octava transferatur, sed ipsa die de ea fiat commemoratio, quae alias erat octava, si festum non fuisset translatum ». Quod facile intelligitur: agitur enim de translatione accidentali festorum, non de perpetua repositione. Festum enim habens octavam, si impediatur quominus sua die celebrari possit, transfertur in primam ex diebus liberis infra eius octavam, quia a propria die amoveri non potest aliud duplex, vel etiam semiduplex, infra octavam occurrens, ut huius loco celebretur, nam liberi non sunt. Hoc privilegio, fruuntur tantummodo festa Purificationis et Annunciationis B. M. V. et s. Ioseph ac Nativitas s. Ioannis. Quod si festum post integram suam octavam transferatur, nullo amplius gaudet privilegio, et suo ordine transferri debet: si tamen dies non impedita occurrat, priusquam octava finem habeat, in repositione praeferendum est aliis festis prius translatis. Hoc probatur ex S. R. C. decreto d. d. 13 Martii 1804, in antiqua collectione sub N. 4493, quod ita se habet.

« Festum gaudens octava si transferri contingat, et dies non impedita occurrat prius quam octavam finem habeat, in repositione praeferendum esse aliis festis etiam maioris ritus, vel dignitatis prius translatis, quae tamen vel non gaudent octava, vel post eam transferuntur » (1).

Quae praeferentia exurgit e pulcherrimo principio, quod

(1) Quoniam vero hoc decretum aliquid disponat quod non continetur, neque in reformatis rubricis, neque in ullo alio decreto in nova collectione inscripto, citari adhuc bene potest, et vim suam non deperdit. Hoc absolute, et sine formidine errandi dicimus, quia decretum 16 Februarii 1898, quo probatur nova collectio, « statuit decreta hucusque evulgata in iis quae a decretis in hac collectione insertis disonant, veluti abrogata esse censenda »: Atqui hoc, non tantum *non dissonat*, sed novum decretum n. 3853 complet, ergo non est abrogatum.

suum fecit S. R. C., in decreto 2 Septembris 1741, n. 2365: quo declaravit, non esse faciendam mutationem tertii versus in hymno *Iste confessor*, quando officium sancti habentis octavam, non ultra octavam transfertur; *quia*, en principium admissum, « quia tota octava nihil aliud est quam extensio ipsius festi ».

Quod privilegium, addit De Herdt, « habet non tantum in die infra octavam, sed etiam in ipsa die octava, si haec aliter non sit impedita ». Notentur haec verba.

Ad rem S. R. C. die 23 Aprilis 1895, n. 3853, novum emisit decretum, quod plura alia antiquae collectionis sub nn. 4493, 4494, 4728, 4992, et 5904 ad IV, nunc expuncta, comprehendit.

En verba decreti N. 3853: « Sacra Rituum Congregatio declarat: festum duplex habens octavam, quando in die sua celebrari iuxta rubricam haud valeat et infra totam suam octavam transferri nequeat, transferendum esse in ipsam octavam diem, quamvis in dominicam incidat; dummodo non occurrat aliud festum vel ritu, vel primarii qualitate, vel dignitate superius: quo in casu S. R. C. iubet ut illud de more transferatur in primam diem liberam iuxta rubricas ».

Curnam in ipsius octava die erit transferendum festum sua die impeditum? Duabus ex causis: 1. quia dies infra octavam, imo dies ipsa octava, reputantur dies propriae festi translati, ut declaravit S. R. C. in citato decreto 2365; 2. quia in casu dies octava revera evadit libera.

Quae sit dies libera iam supra declaravimus, illa nempe in qua non occurrit *perpetuo* aliquod officium novem lectionum, vel *accidentaliter* aliqua dominica, aut feria maior. Clare patet, quod si nulla habetur dies libera infra octavam, festum infra ipsam octavam celebrari non poterit; ideoque quando festum celebratum non fuit neque die sua, neque in aliquo ex diebus infra octavam, quomodo agetur dies eius octava? Quale in ea fiet officium? Non de octava, quia festum adhuc celebratum non est; ergo libera quodammodo evadit dies ipsa octavae; quod si vacua efficitur, bene potest in ea reponi festum; imo debet, conclamantibus rubricis, de festo translato fieri in prima die libera officium.

Aliis verbis; cum de die octava fieri nequeat, dies ipsa octava evadit dies festus, propter pulcherrimam rationem quam nobis exhibet ipsa S. R. C. ut supra retulimus. Itaque quando festum habens octavam, neque sua die, neque infra octavam celebrari possit, recolitur in ipsa die octava, quae nihil aliud est quam extensio ipsius festi, et ideo adhuc in eius festo sumus.

216. In allato decreto n. 3853, duae habentur clausulae, quae indigent illustratione; prima dicit: « quamvis in dominicam incidat » (dies octava); secunda habet: « dummodo non occurrat aliud festum vel ritu, vel primarii qualitate, vel dignitate superius ». Videamus quousque extendantur; sit ergo prima: « quamvis in dominicam incidat ».

Hac voce dominica, intelligine debet tantummodo dominica per annum, seu minor, aut etiam dominica maior, seu secundae classis?

Suppone patroni festum occurrere in dominica *in Albis*; cum haec sit maior et I classis, festum impeditur. Cum autem dies eius octava necessario occurrat in dominica II post Pascha, licebit ne in hanc dominicam transferre festum patroni? Procul dubio licebit, dicit enim decretum nostrum: « quamvis in dominicam incidat ».

Et sane. Cum dies octava ritu duplici recolatur, ipsa praefertur officio dominicae minoris; hinc si iam festum patroni celebratum esset, in dominica II ageretur de die octava cum commemoratione dominicae; igitur, quando festum nondum celebratum sit, in die dominica, loco officii diei octavae, agitur festum ipsum patroni.

Hoc plane concordat cum iis quae supra disseruimus. Fac autem quod dies octava occurrat, non in dominica minori seu per annum, bene quidem in dominica maiori, quid erit tunc agendum?

Ecce tibi exemplum. Quando s. Andreas Apostolus incidit in dominicam I Adventus; in ecclesia ubi est titulus, festum eius celebratur cum octava. Cum autem infra eius octavam nulla inveniatur dies libera, transferendum ne erit in dominicam sequentem II Adventus, quae est dies eius octava?

Ita concludi poterit forsan ab eo, qui verba decreti nimis late accipiens, diceret: ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus. Atqui prima clausula habet: « quamvis in dominicam incidat » sine ulla distinctione, ergo comprehendit quoque dominicas maiores.

Sed contra. Ante omnia, si hoc argumentum valeret, comprehendendae essent dominicae quoque I classis, quod est falsum omnino; quia si huiusmodi dominicae excludunt festum duplex primae classis occurrens, tanto magis translatum.

Sed neque hanc conclusionem deduci posse credimus ex verbis decreti, quia hoc esset penitus contrarium rubricis, quae

numquam admittunt fieri translatum officium, licet primae classis, in dominicis II classis; sed et contrarium spiritui Ecclesiae, quae statuit dominicas Adventus et Quadragesimae recolendas esse ubique terrarum speciali solemnitate. Etenim decretum ponendo clausulam, « quamvis in dominicam incidat », loqui intellexit de dominicis minoribus tantummodo, non de maioribus. Si enim in hoc contra rubricas et spiritum Ecclesiae aliquid statuere voluisset, explicite id innuisset dicens: « quamvis in dominicam incidat licet secundae classis ». Non tamen id dixit, ergo noluit.

Ratio est omnino perspicua, quia: cum dominica dicitur, numquam maior intelligitur sed semper *minor*, nisi additum *maioris* exprimatur. Cum ergo in decreto *dominica* tantum nominetur, iam patet in eo non de maiori dominica verba fieri, sed tantummodo de minori. Atqui in decreto nominatur dominica ullo sine addito; ergo per hanc appellationem dominica minor tantum intelligitur, et maior excluditur. Aliunde privilegium festi, huiusmodi non magis convenit ut extendatur, quam verba ipsa significant.

Rubricae speciales breviarii franciscalium, quae non sunt nisi elucidationes e S. C. R. desumptae, ad rem habent (n. 74): « Si festum alicuius sancti II classis, habens octavam, a propria die transferri contingat ob aliquod impedimentum (dummodo aliud festum pariter impeditum habens octavam, infra suam octavam prius reponendum non sit), reponi debet infra octavam in prima die non impedita festo novem lectionum, si adsit, sin minus in die octava, etiam si incidat in dominicam non privilegiatam ».

217. Nunc ad secundam clausulam decreti, quae dicit: « dummodo non occurrat aliud festum... superius ». Sed hoc festum, de quo dicitur esse debere superius ut praevaleat, cuinam dicit relationem? Festivitati die suo impeditae, an diei octavae? Hunc enim duplicem sensum decretum habere potest, hoc est: festum die sua impeditum reponi debet in die octava nisi aliud festum superius *se* occurrat: hic est primus sensus. Alter est: festum die sua impeditum in die sua octava reponi debet, nisi aliud festum occurrat superius *die ipsa octava*. Iam nunc primus sensus, nobis exorbitare ita videtur, ut admitti non possit, cum aliter caeterum explicari decretum possit. Hinc alius est amplectendus sensus, ut festum in die octava occurrens debeat semper fieri, quando die ipsa octava superius est.

Si aliter decretum accipiendum esset, haec incongruentia ex ipso manaret: festum classicum, quod celebrari nequit diebus infra suam octavam, ob occurrentiam festorum duplicium minorum imo semiduplicium, celebrari posset in die octava sua, licet occurrat in ea festum classicum, non tamen superius *ritu*, vel *primarii qualitate*, vel *dignitate* ipso festo transferendo: quod est inauditum.

Concludendo itaque dicimus, quod decretum n. 3853, intelligendum est iuxta spiritum rubricarum, sensum S. R. Cong., et doctrinam scriptorum, qui magis sunt accepti; ideoque decretum ipsum ita est interpretandum quasi diceret:

« Festum habens octavam quando in die sua celebrari non valeat, si infra totam suam octavam transferri nequeat, transferendum est in ipsam octavam diem, quamvis in dominicam incidat minorem, et dummodo octava ipsa ab officio maiori iuxta rubricas non sit impedita ».

Haec nostra sententia et interpretatio plane concordat cum doctrina Guyeti, qui (lib. 4, c. 12, q. 2) scribit: « Si ipsamet octava fuerit prima dies libera, fiet in ea de festo translato... » ergo si dies octava impediatur ob officio nobiliori occurrenti, sive sit dominica maior, sive duplex I vel II classis, non amplius est *dies libera*, neque in ea celebrari poterit festum translatum.

218. « Quod si festum post totam suam octavam transferri contigerit, illo anno celebratur sine octava ». Clarius habetur in notandis ad tabellam occurrentiae n. 7: « dies octava numquam transfertur »; sed, ut iam diximus, rubrica loquitur de impedimento accidentali, dicit enim: « illo anno celebratur sine octava ». Nihilominus liturgici auctores hunc locum rubricarum interpretabantur etiam de impedimento *perpetuo*. Sit pro omnibus De Herdt in sua prima editione (p. 4, n. 33): « Si festum sive accidentaliter, sive perpetuo transferatur post totam suam octavam,... celebratur sine octava, nisi speciali privilegio aliter fieri liceat ». A Carpo autem idem tenet, quasi iisdem verbis (p. 2, n. 19), sed alibi (p. 1, n. 307) sibi contradicit docens: titulare perpetuo translatum servare octavam, citans S. R. C. decretum 12 Augusti 1854 in *Lucionen.* quod numquam inter authentica editum fuit.

Sed et S. R. C., primum non distinguens inter festa *accidentaliter* vel *perpetuo* impedita, semper negabat octavam quando transferabantur post eam, ut videndum est in decretis

16 Septembris 1741 ad 1, n. 4122, et 1 Septembris 1866, n. 5370, antiquae collectionis, quae ex nova editione sunt expuncta.

Nunc vero S. R. C. quaestionem hanc e medio detulit ut videre est in duobus suis decretis, 12 Iulii 1889, n. 3714 ad 3, et 20 Iunii 1899, n. 4034 ad 2.

In primo edixit, quod in locis ubi *perpetuo* festum titularis s. Christophori M. affixum est diei 27 Iulii, eo quod dies eius natalitia impediatur a s. Iacobo Apostolo patrono nationis, octava eiusdem s. Christophori similiter affigenda est non die 1 ad 3 Augusti; ergo cum *perpetuo* reponitur festum habens octavam, dies etiam octava celebratur, octo post dies, scilicet octava quoque reponitur.

In alio decreto, n. 4034, ad dubium 2: « Si accidat ut titulus ecclesiae vel loci patronus transferri debeant ad aliam diem, quaeritur: Num respective octavam servabunt? » Respondet: « Affirmative si agatur de translatione perpetua, secus negative ». Nil clarius; ideoque non solum titulus ecclesiae, quasi ex privilegio de quo loquitur rubrica paulo infra, sed et patronus loci, licet celebrentur *perpetuo*, extra eorum sedem in alio die assignatam, ius retinent ad eorum octavam perfectam. Hinc, et imo magis, dedicatio etiam ecclesiae hoc idem ius habebit, eadem ratio enim militat in casu.

Hoc advertant, ex. gr., rectores ecclesiarum, quae titularum habent s. Zenonem Ep. die 8 Decembris, occurrentem; cum enim, antequam Immaculata Conceptio B. M. V. ad ritum I classis primique ordinis elevaretur, titularem ipsum die 8 Decembris celebrarent, postea id fieri nefas fuit, cum s. Zeno sit duplex I classis secundi ordinis. Sanctus porro titularis, nunc colendus erit die 9 Decembris, et eius octava dies 16 erit.

Et sane; si verba huius rubricae, quae dicit: « Octava nunquam transfertur » intelligi deberent, non de sola translatione *accidentali*, sed de *perpetua* quoque repositione, hoc grave inconveniens obveniret, quod titulus ecclesiae, et loci patronus, in casu perpetui impedimenti, nunquam gauderent iure suae octavae, quod a rubricis eis tribuitur. Iustissime ergo S. R. C. quaestionem diremit, et iuribus horum festorum, quae tanta solemnitate celebrantur opportune providit.

Rubrica tamen addit: « ... nisi titularis ecclesiae privilegio aliter fieri oporteat »; quia, cum stricte observanda sit lex octavam non transferendi, alicubi privilegium translationis concessum est, ut monachis s. Benedicti (Meratus sect. 3, c. 8), et

fratribus s. Francisci a Paula (Guietus loc. cit.), pro octava respective eorum fundatorum. Cum enim occurrant diebus 21 Martii, et 2 Aprilis, frequentissime, et fere quoque anno, impediuntur ab hebdomadibus maiori et paschali, ideoque ad nihilum valeret privilegium octavae, nisi et translatio huiusmodi eis indulgeretur, licet agatur de accidentali impedimento. Videntur ergo haec verba rubricae intelligenda esse de *privilegio* concedendo festis per accidens impeditis, quia ut notat Guietus (l. 4, c. 12, q. 5), non ex privilegio, sed ex consuetudine pluribus in locis iam celebrabatur vel titulus, vel patronus cum octava perpetuo translata.

Hoc fortasse usque modo nullus attigit ex scriptoribus; neque Gavantus, Guietus, Meratus, Cavalerius, De Herdt, A Carpo, ut de novissimis sileamus; nemo enim suspicatus est hanc rubricam: nisi *titularis ecclesiae privilegio aliter fieri oporteat*, accipiendam esse quasi diceret: si festum habens octavam aliquando a maiori officio impediatur, *illo anno celebratur sine octava*, nisi alicubi *ex privilegio* aliter fieri concessum sit.

Hic est verus et unicus sensus huius loci rubricarum, nec alius esse potest, si contextus diligenter perpendatur. Siquidem, sub hac rubrica non cadit impedimentum *perpetuum* sed tantum *accidentale*, dicit enim *illo anno* celebratur sine octava; et sane, quia in casu impedimenti perpetui titulus ecclesiae ex alia rubrica (tit. VII, n. 1) quacumque die celebretur, natalitia vel assignata, ius habet ad octavam, quod illi non aufert haec rubrica neque implicite neque explicite.

Quapropter, procul dubio nobis videtur, quod non tantum titularis ecclesiae, vel dedicatio, vel loci patronus, sed quodcumque aliud festum, licet II classis, habens octavam, et *perpetuo* sua die impeditum, celebrari debet in die sibi assignata cum integra sua octava.

Quod hic dicimus ratiocinando, liquido profluit ex spiritu tam rubricarum quam citati S. R. C. decreti n. 4034, alioquin, quid valeret, ut diximus ius ad octavam si in facto numquam eo uti posset festum perpetuo sua die impeditum?

CAPUT XLV.

DE REGULIS SEQUENDIS IN PRAELATIONE FESTORUM

219. Cum plura festa simul eodem die obveniunt, quid sit agendum docet rubrica, eius tamen locutio evidenter indicat agi de occurrentia tam accidentali quam perpetua; sequidem accidentalis obvenire nequit nisi inter duo officia, unum mobile aliud fixum. Verumtamen ultimis hisce temporibus, ex concessione festorum mobilium, quae quibusdam dominicis sunt affixa, occurrentia accidentalis quandoque dari potest etiam inter tria officia. Ex. gr. decreto d. d. 14 Iunii 1893 S. R. C. concessum est petentibus novum officium Sacrae Familiae, dominica III post Epiphaniam celebrandum. Cum autem accidat quod habeatur epacta XXIII, et littera dominicalis G, necessario dominica Septuagesima occurrit die 21 Ianuarii, quae pariter erat III dominica post Epiphaniam. Ecce tibi tria officia simul eadem die accidentaliter occurrentia, nempe festum s. Agnetis die 21 Ianuarii fixum, festum S. Familiae eidem diei dominico assignatum, et dominica Septuagesimae.

Quum vero haec rubrica iam legeretur sub Clemente VIII, quando scilicet huiusmodi festa dominicis affixa non habebantur, (saltem in mensibus Ianuario, Februario, Martio et Aprili, in quibus maxime obveniunt officia mobilia), omnino comprobatur rubricam ipsam factam esse pro omnibus occurrentiis accidentalibus et perpetuis; quod summopere attendendum est, quia reformatio rubricarum, prout peracta fuit, respicit tantummodo occursus accidentales, sicut et tabella occurrentiae, ut demonstrabimus suo loco. Nihilominus locutio rubricae: *si duo vel plura festa simul eodem die veniunt*, valet etiam pro occurrentiis perpetuis. Cum enim una die, ut videre est in martyrologio, multa festa occurrunt, aliquibus in locis possunt celebrari duo vel plura festa ex ipsis: ex. gr. die 25 Maii pro urbe Romae occurrunt 4 festa: ss. Gregorii VII, Urbani I, Bonifacii IV, et s. M. Magdalenae de Pazzis; et est occurrentia perpetua; cum autem unum tantum ea die celebrari fas est, necessario alia transferri debent et perpetuo alia die reponi.

Itaque a rubrica traduntur regulae pro mensuranda cuiusvis festi mobilitas, ut unum aliis praeferatur. Prima ergo ratio huius praelationis, est *ritus superior*: ait enim rubrica: « fit de festo potioris ritus prae alio ritus inferioris ». Evidenter hic agitur de diversitate *gradus* in eodem ritu duplici, vel semiduplici. Nam antea dicitur, *at si omnia duplicia, vel omnia semiduplicia.* Namquam rubricae verbo *ritus* utuntur in sensu, quem habet hic locus novissime emendatus. Omnia enim festa quae habent ritum duplicem revera eumdem habent ritum, sit I, vel II classis, sit mai. vel min. Nihilominus ex usu scriptorum saepe saepius accipitur ex. gr. duplex I clas., quasi sit *diversi et potioris ritus*, quam dupl. II clas. Dum rectius dici debet ritum *dupl.* in varias classes et ordines distingui.

Quibus explicatis, hoc sensu accipienda est haec rubrica, nempe, praeferendum esse dupl. I clas. prae dupl. II clas. et hoc duplici mai., ac istud duplici min. habito quoque respectu ad diversitatem ordinis cuiuscumque festi. Et similiter dic de semiduplici.

Alio sensu accipi quoque potest haec rubrica; quando enim simul occurrunt duo festa, quorum unum *cum feriatione* aut cum magno populi concursu celebratur, huic credimus praeferentiam concedendam esse. Id docent cl. Cavalerius (c. 26, decr. 4), De Herdt (p. 4, n. 286 reg. 6), et A Carpo (p. 2, n. 148, IV), maxime innixi super duobus S. R. C. decretis antiquae collectionis d. d. 5 Maii 1736 n. 4044 et 11 Ianuarii 1749 n. 4198, ait enim Cavalerius (ibid.) « solemnitas et populi concursus disparitatem invehunt in festa ». Cum autem dispositiones in citatis decretis comprehensae in novissima collectione omissae fuerint, dubitare quis poterit an hodie illae amplius vim aliquam habeant.

Nos autem propter tria adhuc hanc doctrinam sustinendam esse contendimus: 1. quia in alio loco rubricarum (tit. XI n. 2 in fine) dicitur: « Festa illorum sanctorum, qui in propriis locis vel ecclesiis *solemniter* celebrantur, praeferuntur aliis in Calendario descriptis », ergo si ratione *solemnitatis* in loco praeferuntur in concurrentia, ita ut integrae vesperae sunt de festo aequalis ritus, sed *solemniori* in loco, cum commemoratione alterius, tanto magis in occurrentia, uti patet; 2. quia in rubricis Missalis Romani (tit. VI), legimus: « In dicendis missis servetur ordo breviarii... In ecclesiis autem ubi titulus est ecclesiae, vel *concursus populi* ad celebrandum festum quod

transferri debet, possunt cantari duae missae, una de die alia de festo » etc. Igitur si *concursus populi* admittitur uti causa canendi duas missas, non exclusis diebus aliquibus solemnissimis 1 classis, a fortiori causa sufficiens erit ut praeferatur, ceteris paribus, in occurrentia festum cum feriatione aut cum populi concursu. 3. In S. R. C. decreto generali (4 Februarii 1896 n. 3881) habetur: « Dedicationis ecclesiae esse festum Domini, nihilominus patroni festum, cuiuscumque sit personalis dignitatis, *ratione feriationis*, illi praeferatur ».

Itaque *feriatio* apud S. R. C. adhuc est causa sufficiens, ut festum feriatum aliis praeferendum sit. Quidquid sit ergo de expunctione dictorum decretorum, procul dubio nobis videtur eorum dispositiones adhuc vim legis habere.

Et sane, quando populus ex. gr. adveniente die solemnitatis sui Patroni, vel ecclesiae titularis ad templum accedit, illos veneraturus, omnis ratio suadet ut devotioni populari fiat satis, celebrando festa huiusmodi potius quam alia, eiusdem ritus et classis.

Secunda ratio praelationis traditur his verbis a Rubrica: « in paritate ritus de primario prae secundario ». Iam supra diximus quid sibi velint hae voces *primarium* et *secundarium* in festis; quae ratio seu qualitas in eis tunc est attendenda. quando agatur de occurrentia duorum officiorum eiusdem ritus, et classis et ordinis.

Tertia ratio est dignitas: nempe inter duo festa eiusdem ritus quae sintambo primaria, vel ambo secundaria, illud prae fertur festum quod est *dignius*, ratione dignitatis personae.

Ordo autem huiusmodi dignitatis in casu habetur in rubrica (tit. XI, n. 2) et melius declarabatur a S. R. D. decreto n. 3841 (antiquae collect.) idest 1. festa Domini; 2. B. Mariae Virg.; 3. ss. Angelorum; 4. s. Ioannis Baptistae; 5. s. Ioseph; 6. ss. Apostolorum; 7. Ceterorum sanctorum et sanctarum Dei. In rubrica et in citato decreto, non fit mentio de Evangelistis; nihilominus, cum S. R. C. in alio decreto (17 Iulii 1706 n. 2171) declaraverit, in casu quo transferri contingat eodem anno festum s. Marci Evang. a sua die 25 Aprilis et festum ss. apostolorum Philippi et Iacobi, a die 1 Maii, *praeferendum esse officium s. Marci*; ergo tam Apostoli quam Evangelistae ad eumdem ordinem pertinent quoad dignitatem in rubricis.

Quoad vero dignitatem exiguam, ut aliqui vocant (Cfr. A Carpo, *Biblioth.*, p. 2, n. 148, ad VIII), illam scilicet quam

habet martyr pontifex prae martyre tantum, martyr prae confessore, papa prae episcopo, episcopus prae confessore tantum, confessor prae virgine licet martyre, virgo et martyr prae virgine tantum, martyr non virgo prae vidua, non esse attendendam putamus, nisi in casu quo coeterae omnino pares sint conditiones tam praecedentes, de quibus iam egimus, quam sequentes de quibus infra. Et quamquam cl. Guyetus (l. 4, c. 7, q. 3) sic doceat: « Haud tamen valet in romano, quod habet meldense breviarium, festa aequalia martyrum prius transferenda quam confessorum, et confessorum quam virginum. Non enim ut angelornm et apostolorum, sic martyrum supra confessores et confessorum supra virgines, datur praecellentia quoad occurrentiam, nec quoad concurrentiam, ut infra docebitur »; nihilominus haec dignitas omnino secundaria et exigua attendi poterit, in sola occurrentia perpetua, quando utrumque festum occurrens omnino sit aequale in omnibus, etiam quoad antiquitatem.

220. Quarta ratio praelationis est, qualitas festi, scilicet festum *fixum* praefertur festo *mobili*. Supra iam diximus, quae sint festa *fixa* et quae *mobilia*: hic tamen pro maiori huius regulae intelligentia aliud est addendum. S. R. C. die 21 Februarii 1896, n. 3885 respondit: « Ex duobus festis primariis aut secundariis eiusdem ritus et classis, praecedentia competit digniori : in paritate dignitatis, competit festo diei mensis affixo ». Quae nova regula alio decreto 27 Iunii 1896, n. 3919 ad 3 confirmata est, ac proinde in postrema emendatione rubricarum inducta hocce in loco, et vim legis habet omnino, uti noviter declaratum est in decreto 20 Iunii 1899, n. 4034 ad 1. Nihilominus, cum in nova collectione expunctum non fuerit decretum 18 octobris 1818, n. 2591, in quo nonnullae pretiosae habentur notiones circa naturam festorum mobilium, dicendum est adhuc haec principia retineri posse (1).

In praedicto decreto haec duo principia statuuntur: *a*) festa certis dominicis perpetuo assignata, nisi per accidens transferenda sunt; *b*) dominica, in qua festum erit perpetuo fixum, perinde habenda est ac si esset in die propria.

In volumine IV Collectionis novissimae decretorum (pag. 184) habentur cl. Gardellinii adnotationes super hoc decreto, et ad

(1) Imo S. R. C. ea retinuit, cum ex illius decreti dubiis, tantum expunxit illud quod sub n. 14 ultimo loco habebatur in antiqua editione.

dubium 2 legitur: « Festa perpetuo affixa certae dominicae, adnumeranda non sunt festis *mobilibus* nisi lato modo, quia scilicet non semper eodem die mensis celebrantur: habent tamen *certam sedem* a qua nonnisi accidentaliter queunt amoveri. Vere *mobilia* censentur et sunt illa, quae pendent a cyclo Paschali... ».

Iuxta ergo S. R. Congregationis mentem, luculentissime ab eius assessore Gardellinio declaratam, festa aliquibus dominicis per annum adsignata *non sunt mobilia*, ideoque omnibus iuribus gaudent, quibus fruuntur festa *fixa*.

Quibus duabus rationibus tertiam adiicendam esse nos credimus, non minoris, imo procul dubio maioris, ponderis. Pius Pp. VII, in suo brevi d. d. 10 aprilis 1818, n. 2589 numerum festorum reducens edixit ut festa patronorum celebrarentur in dominica sequenti. Item id praescripserat pro Galliarum ecclesiis Card. Legatus Caprara per indultum, adhuc in usu, d. d. 9 Aprilis 1802. Quanam autem ex causa huiusmodi festa in dominica celebrari debent? Omnibus patet: quia nempe *festivitas*, quae adnexa est diei dominico, in honorem accederet hisce festis abrogatis. Ergo, ex hac causa festa dominicis diebus adsignata, maiori vinculo, ut ita dicam, dominicis ipsis devinciuntur, quam festa sanctorum quae per accidens aliquo anno in dominicam incidunt.

Ergo, huiusmodi festa quae aliquibus dominicis diebus sunt adsignata, in iisdem dominicis celebranda sunt, non tantum quia occurrunt in *propria die*, sed quia occurrunt in *propria die feriata*; ut nimirum gaudeant feriatione, quam amiserunt in sua die, adnexa dominicae in qua sunt celebranda.

Sit casus: festum s. Ioachim *dupl. II classis*, in dominica infra octavam Assumptionis B. M. V. recolendum est; haec dominica incidit die 20 Augusti, et in mea ecclesia agitur festum s. Bernardi Ab. pariter sub ritu *duplici II class.* Agitur de duobus festis quae paria sunt omnino: *a*) quoad *ritum* et *classem*; *b*) quoad qualitatem *primarii*; *c*) quoad *dignitatem*.

Nihilominus, si ad litteram rubricae dispositio accipiatur, festum s. Bernardi, *uti fixum diei mensis*, videretur praeferri debere festo s. Ioachim, quod videtur *mobile*, utpote adsignatum diei dominicae.

Sed lectores nostros animadvertant rogamus: 1° quod festum s. Bernardi, nec iure nec privilegio recolendum est cum feriatione; 2° quod licet dies 20 Augusti sit *propria* ipsius s. Bernardi, est etiam *propria* s. Ioachim, quando ea dies sit dominica; 3° quod si dies 20 Augusti est dominica, propter feriationem ad

quam ius habet s. Ioachim, est magis propria huic sancto B. M. V. parenti, quam s. Bernardo: 4° quod festum s. Ioachim, licet ratione mobilitatis litterae dominicalis, dicatur *mobile*, revera, ut dicit S. R. C. in citato decreto n. 2591, et ut melius declaratur in subiecta adnotatione cl. Gardellinii, *non est adnumerandum festis mobilibus*. Ergo in casu praeferendum est festum s. Ioachim, et transferendum officium s. Bernardi.

Si aliter esset, sicut tempore Clementis XII praevidendum erat, pluribus in locis occurrere potuisse festa *fixa* eiusdem ritus, quae s. Ioachim celebrationem impedirent, hoc inconveniens non parum grave eveniret, quod dum in die sua fixa 20 Martii cedere debebat tantummodo festis maioris ritus et dignitatis, post eius adsignationem ad dictam dominicam, cedere deberet quibuscumque festis eiusdem ritus, hac sola ratione quia haec sunt *fixa*. Sicque, licet Clemens XII assignando celebrationem festi s. Ioachim ad dominicam eius honorem adaugere intellexit, e contra illius festum depressisset.

Itaque, sicut in occurrentia festorum vere *mobilium*, quae pendent ex mobilitate Paschatis, ipsa praeferuntur festis fixis, non tantum in paritate ritus, sed multoties etiam quando mobilia officia sunt inferioris ritus; ita et in casu nostro, pro festo s. Ioachim, et pro ceteris similibus festis primariis, quae cum solemnitate aguntur in dominicis, hac ratione, ut feriatio dominicae ad eorum honorem redundet.

Quid ergo dicendum? Num reformata rubrica quam hic exponimus, corrigenda erit?

Distinguendum est; habentur quamplurimae festivitates, minoris nobilitatis, quae adsignantur certis dominicis diebus celebrandae, uti ex. gr. Maternitas, Puritas, Patrocinium B. Mariae Virg. etc. Hae festivitates, quae aliquibus in locis multiplicatae sunt supra modum, si bene considerantur, propter duo concessae fuerunt: 1° Quia populus, certis dominicis diebus quasdam festivitates celebrare coepit, eo quod ob abstinentiam a servilibus operibus, facilius ad ecclesiam mane et vespere accedere potest ut suae devotioni satisfaciat. 2° Quia, quum hodie maxime, uti legitur in S. R. C. decreto generali d. d. 5 Iulii 1883, n. 3581, *imminuto Cleri numero auctisque aliis eius oneribus minime convenire existimatur*, ut augeatur onus officiorum ferialium, ideoque eodem decreto concessum est *indultum generale* pro officiis votivis, eadem, imo maiori ex causa, idem dicendum est de officio dominicali.

Hinc ad solatium cleri, loco officii de dominica, quod est longior, conceduntur officia haec secundaria quidem, sed certe breviora.

Haec officia *mobilia*, pluribus ex decretis S. R. C. (nn. 1721, 2417, 2745, 3607, et 18 Iunii 1885, n. 3637 ad 4) omittenda sunt eo anno in quo a festis nobilioribus impediuntur, neque sunt transferenda, nisi obtineatur speciale privilegium. Lex ista melius comprobatur et exponitur in alio decreto (d. d. 25 Septembris 1852, n. 3508 ad 1) in quo legitur perpulchrum principium: « huiusmodi festa uti mobilia assignata sunt dominicis diebus, quae tamen non sunt dies propriae »; ergo revera non celebrantur tamquam festa in propria die, sed tamquam officia subrogata officiis dominicalibus.

Quamobrem, nulla ratio suadet ut huiusmodi officiis mobilibus concedatur ius translationis quando impediuntur. Non prima, nempe devotio populorum, in cuius gratiam instituta sunt, quia adveniente ex. gr. dominica III Octobris populus ad ecclesiam concurrit ut Puritatem B. Mariae concelebret, licet clerus aliud officium persolvat; aliis verbis, festum populus agit, forsan etiam magna cum processione, nihil inquirens utrum clerus privatim officium festo respondens recitaverit an non. Neque secunda ratio quid valet, solatium nempe cleri; quando enim impeditur aliquod ex his mobilibus festis, festum impediens suum habet officium procul dubio iam brevius quam officium dominicale. Cum itaque clerus ab onere huius longioris officii est sublevatus, finis iam obtinetur, quin opus sit ut mobile festum ad aliam transfertur diem.

Quod si duabus hisce de causis, quae sunt devotio populi et cleri solatium, visum est expedire ut huiusmodi festa mobilia concederentur, probe etiam deducitur convenentia iisdem festis ius translationis negandi.

Sed ob causas easdem satis quoque comprobatur principium, in hac rubrica statutum, nempe: ex duobus festis primariis aut secundariis eiusdem ritus et classis praecedentia competit digniori: et in paritate dignitatis competit festo diei mensis affixo; ideoque haec rubrica reformata dicit: *in paritate dignitatis fit de fixo prae mobili.*

Hoc ergo principium, et lex ista ab eo proveniens, optime applicatur festis *mobilibus* huiusmodi, quae minoris sunt nobilitatis, et uti subrogata officiis dominicalibus conceduntur; non vero festis illis solemnioribus, quae eo ipso in die dominica adsi-

gnata sunt ut cum feriatione celebrarentur. Hac facta distinctione, facillime intelligitur hic locus rubricarum.

Festa nempe solemniora uti s. Ioachim et ss. patronorum, quia teste S. R. C. *non sunt vere mobilia*, ceteris paribus praeferuntur festis *fixis* eadem die dominica occurrentibus; Festa vero minoris nobilitatis uti Maternitas et Puritas B. M. V. quia teste S. R. C. *vere sunt mobilia* et assignantur diebus dominicis, *quae tamen non sunt dies propriae*, ceteris paribus locum cedunt festis diei mensis *affixis*.

221. Quinta ratio praeferentiae est qualitas magis *proprii* ut fiat « ceteris paribus, de magis proprio prae minus proprio ». Alibi docuimus quae festa dicantur *propria* vel *particularia*. Hic addimus quae ad rem optime scribit Guyetus (l. 1, c. 1, q. 4): « Quot et quibus titulis festum allquod censeatur proprium? Sunt ii tituli omnes quotquot colligi potuerunt, numero tredecim, ad quos vix contingat ut non facile revocentur; quicumque a nobis omissi, ab aliis forte suggeri poterunt.

« 1. Dedicatio ecclesiae; 2. titulus ecclesiae; 3. patronus loci; 4. inventio, translatio, ordinatio, aut alia sanctorum patronorum, praeter natalem seu depositionem, solemnitas, quam commodo vocabulo secundariam appellamus; 5. reliquiae; 6. sancti locorum naturales, seu indigenae, seu advenae; 7. ecclesiarum, aut sanctorum inter se societas, affinitas, cognatio, vicinitas, etc.; 8. votum seu devotio publica; 9. fundatio seu devotio particularium; 10. consuetudo; 11. sancti regularium institutores, restauratores, professores; 12. patronus aut titulus sodalitatis seu confraternitatis; 13. patronus aut titulus cappellae vel altaris ».

Quoad dedicationem ecclesiae, distinguendum est inter dedicationem cathedralis et ecclesiae particularis; haec evidenter *magis propria* est quam illa, licet ambo propriae sint, relatione habita ad festa generalis Ecclesiae.

Idem dicatur de titulari ecclesiae propriae et de loci patrono, in conflictu cum titulari cathedralis aut cum dioecesis vel regionis vel nationis patrono, quod similiter intelligendum est de festis secundariis (inventio, translatio, etc.), de festis ratione reliquiae, et ratione ortus alicuius sancti, vel incolatus vel obitus, ac etiam ratione consuetudinis.

Haec omnia festa ex natura sua localia sunt et particularia seu propria, sicut sunt propria pro regularibus festa fundatoris, etc. Omnia ratio suadet, haec festa, quia propius tangunt

loci, vel ecclesiae, vel instituti religiosi personas, caeteris paribus, praeferenda esse festis ecclesiae generalis, quae minori et laxiori vinculo illis devinciuntur.

Notandum tamen est, quod in nonnullis calendariis dioecesanis vel regnlarium, hodie praesertim, multa inscribuntur festa, quae revera dici *propria* non possunt, nisi quodam lato sensu. Praeter enim festa vere propria, nempe dedicationem et titulum ecclesiae, loci patronum, sanctos concives aut illos qui ratione reliquiae excoluntur, alia plurima a S. R. C. obtenta sunt, precipue ut pauciores sint in calendario dies vacui.

Ex his, ex. gr., sunt officia mysteriorum passionis D. N. I. C., nunnulla festa B. M. V. uti Desponsatio, Maternitas, Puritas, Patrocinium, Cor purissimum, festa ss. Gabrielis et Raphaelis Archang. necnon ss. Ioannis Nepom., Isidori agr. etc. Num huiusmodi festa dicenda sunt *propria?*

Si haec vox *proprium* sumenda sit uti contraria voci *universale*, certo certius praedicta festa erunt *propria* dicenda, observandum tamen est non omnia festa, quae particularia dicuntur, idcirco propria esse.

Iuxta enim Cavalieri (c. 26, dec. 8, III) illi vere sunt sancti proprii « qui vel ortu, vel occubitu, insigni commemoratione, praecipuo aliquo munere, advectione suarum reliquiarum, invectione fidei, eiusdem promotione et dilatatione, signis aut gratia aliqua inibi fuerunt illustres: . . . habenturque prae ceteris ut particulares patroni, in necessitatibus a populis assolent invocari, particularemque ad respectiva loca quamdam habent attinentiam ac cultum, connaturalem solemnitatem sibi vindicant ».

Diversa tamen ratio est quoad officia, quae alicubi ex speciali recitantur indulto, sicut illa quae supra memoravimus, quaeque idcirco aliis officiis eiusdem ritus et dignitatis praeferri nequeunt. Hoc probatur ex S. R. C. decreto, d. d. 31 Martii 1821, et a Pio VII adprobato die 3 Aprilis, sub n. 4581 ad 3, antiquae collectionis, quod hic referri debet, quia adhuc illud vim habere iure credimus cum nulli novo decreto contradicat.

Ad quaesitum enim 3. « An officia specialiter concessa Patribus Congr. SS. Redemptoris consideranda sint tamquam propria Ordinis, ac propterea in paritate ritus sint praeferenda in occurrentia sanctis, qui sunt in calendario dioecesano, iuxta quod unaquaeque domus tenetur recitare horas canonicas? » S. R. C. respondit: *Negative.*

Et cl. Gardellinius in nota ad hoc decretum haec habet: « Quoniam alumni Congr. SS. Redemptoris calendario dioecesano uti debent, et officia peculiariter ipsis concessa, vere propria congregationis non sunt, quamvis improprie tali dicantur ab iis, qui eodem calendario utuntur, ideo ad propositum dubium S. R. C. respondit: *Negative*, quod idem est ac si dixisset, in occurrentia, caeteris paribus, praeferentiam dandam esse sanctis, qui in calendario dioecesano notantur. Aliud certe fuisset responsum, si festa illa, quae in dubio propria dicuntur, ad eandem congregationem iure quodam pertinuisset, utpote sanctorum, quos aluit, vel quorum regulam sequendam sumpsit ».

Iure ergo distinguenda sunt festa *propria* a festis particularibus, quae licet sint *de praecepto*, utpote acceptata ab Episcopo, ab eoque dioecesi suae imposita, nihilominus rationem habent officiorum quasi *ad libitum*. Hinc prius agenda sunt festa vere praeceptiva generalis Ecclesiae et postea illa quae, quasi facultativa, sunt particularia sed non *propria*, uti supra explicavimus.

Decretum S. R. C. in *Vilnen.* d. d. 22 Aprilis 1741 n. 4110 antiquae collectionis quod in nova reperitur sub. 2360, expunctis tamen sex ex septem dubiis, haec habebat ad dub. 6, nunc expunctum: « In occurrentia festorum eiusdem ritus, et alias quomodocumque parium talis ordo servetur, ut locum habeat: 1. officium ecclesiae partidularis; 2. ordinis seu religionis; 3. dioecesis; 4. nationis; 5. Ecclesiae universalis ». Subintellige tamen dummodo sint vere *propria*.

222. Hae leges pro repositione officiorum, quando perpetuo impediuntur, observari debent etiam in translatione annuali; rubrica enim ad rem praescribit: « Quod est magis solemne semper prius transferatur et prius celebretur ». Nempe, ordinator calendarii alicuius anni, sibi in parte describat omnia officia transferenda illo anno, et eadem disponat, assignando primas dies liberas ad officia *magis solemnia*, seu nobiliora iuxta iam traditas regulas. Ita enim ordinanda erunt: 1. officia ritus superioris; 2. in paritate ritus officia primaria; 3. in paritate qualitatis primarii aut secondarii, officia digniora, ratione personae; 4. ceteris paribus officia propria; 5. officia ritusinferioris.

« Alioquin si sint aequalia... unum ante aliud transferatur eo ordine quo erant celebranda in propriis diebus ». Ordo enim in casu iam habetur a dispositione dierum in quibus festa trans-

ferenda impediuntur; ita ut officium Ianuarii prius transferatur quam officium Februarii; sicque officium impeditum ex. gr. die 9 Februarii celebrabitur ante aliud, quod translatum est a die 10 eiusdem mensis.

In dispositione translatorum alicuius anni, antea non dabatur praeferentia officiis *propriis*, sed collocatis prius officiis dignioribus, ut supra, reliqua eiusdem ritus et nobilitatis, nullo habitu respectu ad proprietatem, ordinatim disponi prout erant celebranda. Hanc legem nobis exhibebat celebre decretum in *Einsiedlen.* d. d. 5 Maii 1736 n. 4044, antiquae collectionis, quod in nova relatum fuit sub n. 2319, expunctis tamen 33 dubiis. Haec habebat ad dubium 5 *de translatione.* « Pro translatione festorum talis ratio habeatur, ut prius fiat officium de prius descripto in calendario, nullo habito respectu quod officium translatum sit Ecclesiae universalis, nationis, dioecesis, ordinis, et ecclesiae particularis ». Haec dispositio adhuc vim habet? Negative respondendum est: 1. quia dubium expunctum fuit; 2. quia rubrica reformata unicam legem ponit pro repositione et translatione.

Contingere tamen potest, ut ob multitudinem translatorum, praesertim in quibusdam regularium calendariis, dies intra annum non sufficiant pro omnium eorum translatione; compertum est enim, ut diximus, annum pro transferendis officiis impeditis, esse civilem qui incipit 1 Ianuarii et desinit die 31 Decembris, et ea anticipari non posse ex alio decreto 27 Augusti 1836, n. 2746. Hoc in casu regula certa habetur in decreto 19 Septembris 1750, n. 2410, in quo S. R. C. edixit: « Sanctos, qui in fine anni supersunt, non esse ad annum sequentem transferendos; sed quoties toto anni decursu de illis celebrari non valeat, tunc in illo anno diebus eorum propriis considerandos eos esse tamquam simplices, faciendo illorum commemorationem..... ». Attamen etsi die 11 Martii 1837, n. 4810 antiquae collectionis, eadem S. C. decreverat, agendam esse commemorationem de officio, quod supersit, « omnibus in festis et duplicibus tum I tum II classis, excepto ultimo triduo maioris hebdomadae, festis Paschae et Pentecostes cum duobus sequentibus feriis tantum », nunc, hoc decreto expuncto, tenet dispositio rubricae reformatae (tit. IX, n. 7), ex qua *in omnibus duplicibus primae classis*, prohibetur fieri quaecumque commemoratio officii ad ritum simplicem redacti, exceptis dominicis occurrentibus, diebus octavis, et diebus infra octavis privilegiatis,

prout iam explicavimus. Hinc si aliquod duplex doctoris ecclesiae, vel duplex maius, impeditum a duplici I classis nequeat transferri, quia desunt dies liberi, eo anno penitus omittendum est.

223. Regulae quas hic tradidimus pro celebratione festorum, novam elucidationem accipiunt, ex S. R. C. decreto, d. d. 21 Novembris 1893, n. 3811: «super duobus festis vel officiis eadem die occurrentibus» in quo dicitur: I. Si duo festa, alterum antiquum alterum novum, ambo sint in die propria, natalitia scilicet aut quasi-natalitia, ceteris paribus antiquum celebretur, novum vero in primam diem liberam perpetuo transferatur. Ceteris vero non paribus, si alterum prae altero sit potioris ritus, praeferatur illud quod ritu nobiliori gaudet. In paritate ritus, si unum sit primarium, aliud secundarium, primarium praeferatur. Si denique utrumque fuerit eiusdem dignitatis, festum magis proprium minus proprio praeferatur.

II. Si ex duobus festis, quorum alterum sit antiquum, alterum novum, unum sit in die natalitia, aliud in quasi-natalitia, illud ceteris paribus huic praeferatur. Si vero quod est in die quasi-natalitia fuerit potioris ritus, aut aequalis quidem sed proprium, vel primarium, vel potioris dignitatis, alteri praeferatur.

III. Si ex duobus sanctis, quorum alter antiquus alter novus, unus sit in die natalitia, aut quasi-natalitia, alius in die assignata, seu non-propria, aut tamquam propria: ille ritu, ratione primarii, atque etiam dignitate posthabitis praeferatur huic.

IV. Si duo officia, alterum antiquum, alterum novum, ambo sint in die assignata; antiquum novo praeferatur, quamvis nobiliori vel etiam ab anteriori die translato, ritu etiam, aut ratione primarii vel dignitate posthabitis. Cum nihilominus perpetuum alicuius ecclesiae calendarium reformari contingat, serventur, si adfuerint, ordo, ritus, ratio primarii, excellentia dignitatis ac prioritas translationis.

V. Quemadmodum autem pro die natalitia sanctorum illa est intelligenda qua iidem sancti aeternam ingrendiuntur vitam, atque illa pro quasi-natalitia, quam S. Sedes elegit extra natalitiam ad liturgica festa recolenda; ita S. R. C. declarat illam intelligendam esse pro die assignata, quae prima post propriam libera fixe in calendario iuxta notas occurrentiae leges ab Ordinario inscribitur, sicuti pro translata, illam, quae pariter post impeditam prima a calendariorum ordinatoribus ad annum libera reperitur.

Notio hic tradita quoad diem *assignatam* et diem *translatam* plane cohaeret cum principiis de quibus suo loco egimus; quia vero in fine huius decreti legimus *assignatam* diem eam esse, « quae iuxta leges occurrentiae *ab ordinario* praescribitur » aliquid de huiusmodi potestate ordinariorum dicendum est. Post bullam Pii V, *Quod a nobis* circa novum breviarium, et S. R. C. decretum 13 Ianuarii 1631, n. 555, hodie nihil aliud possunt Episcopi in sacra liturgia nisi haec duo: 1. subditis suis imponere *sub praecepto* officia, quae ab Apostolica Sede alicubi indulgentur sine praecepto; 2. assignationem, seu repositionem agere iuxta rubricas cuiuslibet officii sua die perpetuo impediti. Primum probatur ex decreto 23 Maii 1835, n. 4746 ad 10, secundum ex alio 22 Augusti 1744, n. 4161, quae in nova collectione desunt.

Cum itaque haec duo decreta expuncta sint, dubitare quis poterat utrum loci Ordinarius adhuc iis iuribus potiatur in Liturgia. Quoad primum, dubium manet, quoad alterum, iam dubium exulat, ex hoc novo decreto.

Quod plane cohaeret cum citato decreto 22 Augusti 1744, in quo dicitur; « Prima dies proxime non impedita assignanda est cuilibet festo a sua die ob perpetuum impedimentum translato, ita ut dies propria et fixa sit festi translati; iustificatis tamen apud Episcopum loci Ordinarium translatorum numero et causis dierumque assignatorum ordine et qualitate ».

Ex littera tamen et ex spiritu huiusmodi decreti n. 3811, eruitur, posse Episcopum non solum ordinare assignationem alicuius officii, quando novum inscribitur in calendario festum, sed etiam novam sui dioecesani calendarii perpetui reformationem seu *reordinationem* (parcant puriores latinistae) peragere.

Bene attendant lectores; non dicimus posse Episcopum suum calendarium perpetuum novis officiis ditare, sed dicimus illud reformare posse, cum novam editionem proprii dioecesani parat.

CAPUT XLVI.

DE NOVA LEGE QUOAD DUPLICIA I ET II CLASSIS, TRANSFERENDA, ET DUPLICIA MINORA ET SEMIDUPLICIA COMMEMORANDA.

224. Quoniam pluribus in locis ita calendaria festis redundant, ut saepe nulla sedes maneat libera ad celebranda officia I et II classis impedita, S. R. C. decreto 2 Decembris 1891 haec statuit:

« I. Duplicia II classis diebus suis impedita, si dies liberi pro iis reponendis in decursu anni non suppetant, licite posse reponi ac debere in aliis diebus proximioribus, quamvis in his festa semiduplicia, in horum defectu duplicia minora (non tamen doctoris Ecclesiae) occurrant, quae pro eo anno commemoranda erunt iuxta rubricas »,

« II. In praedictis vero adiunctis, ut praestantiora officia aliis praeferantur in proximioribus diebus ea esse reponenda, quamvis in his duplicia aut semiduplicia occurrant, haud obstantibus diebus liberis postea subsequentibus, in quibus alia officia minus solemnia reponentur, communibus ceterum translationis regulis servatis; si nihilominus semiduplicia vel duplicia *ad libitum* in calendariis habeantur, haec prae aliis de praecepto pro repositione seligantur ».

« III. Quocumque autem casu, ita calendariorum ordinatores se gerere debent, ut in unoquoque mense, nonnullos dies liberos, quantum fieri possit, relinquant pro missis de Requie celebrandis ».

Licet hoc decretum loquatur de duplicibus tantum II classis, nihilominus eius dispositio valet quoque pro duplicibus I classis, ut clare patet. Nemo est qui huiusce decreti non videat gravitatem, et nescimus, quomodo in postrema rubricarum reformatione, anni 1897 peracta, huiusmodi lex nova inducta non fuerit.

Revera accidit aliquando quod in decursu anni, dies liberi non suppetant, ad translationem officiorum. Hoc evenit praesertim, de officio s. Thomae apostoli, quod occurrit die 21 De-

cembris; cum enim in aliquibus calendariis dies 22, 23 et 30 illius mensis sint occupati a duplicibus inibi perpetuo repositis, quando s. Thomas impeditur a dominica IV Adventus, locus non haberetur pro eius celebratione; nam ex dictis, ut iam vidimus, translationes non sunt faciendae nisi intra annum communem. Ne ergo duplicia classica officium eo anno deperdant, hoc privilegio donata sunt. Fit autem translatio in aliis diebus proximioribus sequentibus, non praecedentibus. Si enim S. R. C. horum duplicium II classis translationem anticipari voluisset, in defectu dierum sequentium, id explicite dixisset.

« Quamvis in his festa semiduplicia, in horum defectu duplicia minora occurrant ». Singulare prorsus est hoc privilegium; agitur enim de *officiis* translatis, quae occupare debent diem in qua occurrit *festum natalitium*, ritus semiduplicis, et etiam ritus duplicis minoris. Primum ergo videndum est, an post officium II classis transferendum, habeatur aliquod *semiduplex*, et tantum in defectu semiduplicis, transferendum est in diem a duplici minore occupatam.

In II paragrapho S. R. C. melius regulam explicare voluit, in praedictis casibus, qui evenire possunt multipliciter. Quia vero aliquando dari potest casus quo plura festa classica impediantur, et desint dies ut transferantur, in his adiunctis, en regula sequenda: « ut praestantiora officia aliis praeferantur, in proximioribus diebus ea esse reponenda, quamvis in his duplicia aut semiduplicia occurrant, haud obstantibus diebus liberis postea subsequentibus ». Licet prima fronte obscura videatur huiusmodi locutio, nihilominus ex contextu clare apparet quid sibi velit S. R. C. Quando plura sint officia classica transferenda, de more *praestantiora*, seu digniora, et nobiliora, prius sunt celebranda, et dein minus digna. Dicit autem decretum, ad collocanda haec officia translata, necesse non esse, ut nobiliora occupent dies liberos in fine anni, ne agantur in dies a semiduplici festo impeditos, sed *non obstantibus diebus liberis subsequentibus*, digniora officia reponantur in diebus, qui festis iisdem sunt *proximiores*, *quamvis in his* diebus *duplicia aut semiduplicia occurrant* (1).

(1) Rem melius explicabit exemplum. In calendario ecclesiae Regularium N. haec habebantur festa impedita: 1. S. Felix a Cantalicio C. *dup. II clas.* e die 20 Maii. 2. Dedicatio Ecclesiae *dup. I clas.* e 29 Maii. 3. SS. Nomen B. M. V. *dup. mai.* e Dom. infra oct. Nativ.

Aliam tamen regulam, hac de re, sequendam esse putamus. Quoniam ex decreti huius dispositione *officia* translata occupare debent *festa* occurrentia, licet inferioris ritus, credimus conformius esse menti Ecclesiae, ut in selingendis his officiis semiduplicibus, prius inspiciatur an adsint officia *assignata*, et haec occupentur facilius, quam dies in quibus occurrit revera *festum* aliquod. Ratio est, quia officium *assignatum*, iam non agitur in die sua, ac proinde minus aestimatur quam *festum*. Cum autem in § tertio huius decreti, ordinatoribus calendarii aliquntula libertas relinquatur in electione dierum, videtur non esse contrarium decreto, si eligatur dies a semiduplici *assignato* impeditus, etsi posterior, quam dies a *festo* semiduplici occupatus, licet proximus. Paulo inferius rationem producemus, qua facilius et cum minore fractione legum festa classica impedita celebrari possint.

225. Ante annum 1882, festa duplicia et semiduplicia, quando impedita aliquo anno erant, transferabantur: Leo tamen XIII, sua constitutione *Nullo unquam* d. d. 28 Iulii 1882, hanc translationem abstulit, his verbis: « Quo vero in utroque kalendario tum universali tum cleri romani habeantur sedes liberae ad nova officia introducenda, eadem auctoritate nostra volumus ac praecipimus, ut rubrica generalis breviarii romani tit. X de

4. S. Andreas Ap. *dup. II clas.* e 30 Nov. 5. S. Ambrosius Ep. Doct. *dup.* e 7 Dec. 6. S. Thomas Ap. *dup. II clàs.* e 21 Dec.

Cum autem unica supersit libera in calendario dies 30 Decembris, quomodo ordinanda erit horum officiorum translatio? Num SS. Nomen B. M. V. sedem hanc liberam occupabit, eo quod alia officia classica in dies a semiduplici impeditos transferri possunt? Num in hac die 30. reponetur dedicatio ecclesiae, quia est prima libera post eam? Certo certius, nisi haberetur decretum hoc, quod exponimus, in citato exemplo de sex festis transferendis, unius tantum ageretur translatio, nempe nobilioris, dedicationis ecclesiae, in die 30 Decembris, et de ceteris sola commemoratio fieret in suis diebus. Quia vero ex sex festis transferendis, quatuor sunt classica, et ius habent occupandi sedem a semiduplici impeditam, duo vero, nempe SS. Nomen B. M. et s. Ambrosius, ut patet huiusmodi iure privantur, haec posteriora simplificanda sunt; et alia transferenda.

Cum porro una tantum dies habeatur libera, et quatuor officia transferenda, unum ex his occupabit diem liberam et alia tria diem e semiduplici impeditam; atque, cum decretum dicat *praestantiora officia aliis praeferantur*, dies a semiduplici impediti ex proximioribus primum seligendi erunt.

translatione festorum hac ratione mutetur; videlicet: "Festa duplicia minora (exceptis illis sanctorum Ecclesiae doctorum et festa semiduplicia, si occursu dominicae vel maioris festi seu officii quomodocumque impediantur, non transferuntur, sed ipso die quo cadunt, de eis fit in utrisque vesperis et laudibus commemoratio, cum nona lectione historica, sive una ex duabus aut tribus, si tamen haec eo die fieri possint; secus huiusmodi festa duplicia et semiduplicia eo anno penitus omittuntur, ut de simplici cautum est in rubric. tit. IX, num. X, tit. X, num. VIII":

Porro in rubricis generalibus, haec nova dispositio inducta fuit, quando rubricae ipsae emendatae fuerunt. Igitur hodie festa duplicia minora, et semiduplicia non amplius transferuntur, quando impediantur accidentaliter. Noluit tamen Leo XIII iure translationis privare festa doctorum, ut clerus gloriosa gesta eorum sub oculis semper haberet. Similiter ex S. R. C. decreto generali 5 Iulii 1883, n. 3581, ne nonnulla alia duplicia minora aliquam iacturam paterentur, elevata sunt ad ritum duplicem maiorem, nempe festa: « ss. Angelorum, commemoratio s. Pauli ap., s. Benedicti ab., s. Dominici et s. Francisci Assisiensis confessorum »; et recte, quia festa angelorum, et commemorationis s. Pauli, pro eorum dignitate personali, unica erant in breviario ritu duplici minori inscripta; quoad vero festa ss. Benedicti, Dominici et Francisci, cum hi fundatores sint trium ordinum principalium, et suum nomen in Litaniis sanctorum iam antea haberent, opportune ad maiorem ritum elevata sunt, ut ius translationis non amitterent. Eamdem ab causam Dedicationes quoque basilicarum SS. Salvatoris et ss. Apostolorum Petri et Pauli ritum duplicem maiorem obtinuerunt ex alio S. R. C. decreto 27 Augusti 1893, n. 3810.

Duplicia ergo minora et semiduplicia, quando impediuntur, commemorantur in sua die, sicut de simplici cautum est; cum autem de simplici nulla fit commemoratio, si incidat in festo I classis, ita et de impeditis duplicibus et semiduplicibus. Cum hac tamen distinctione, quod festum simplex omittitur tam in impedimento accidentali, quam in perpetuo, ut fit ex. gr. in ecclesiis s. Iacobo Apostolo dicatis, in quibus numquam agitur commemoratio s. Christophori.

« Iisdem comprehenduntur regulis alia festa duplicia quorum translationi in toto anni decursu locus non superest ». Igitur festa doctorum Ecclesiae, et duplicia maiora, si impediantur, et nulla habeatur dies libera, de iis fit commemoratio et legitur

IX lectio ut supra, in sua die. Quod si occurrant in aliquo festo duplici primae classis, tunc eo anno et ipsa penitus omittuntur, quia ut vidimus in *omnibus duplicibus primae classis* nulla fit commemoratio nisi occurrentis Dominicae aut feriae maioris, aut etiam diei octavae, aut diei infra aliquam octavam privilegiatam.

« Festa tamen duplicia minora quamquam non sint doctoris Ecclesiae, et etiam semiduplicia si quotannis a digniori officio impediantur, reponuntur in prima die libera tamquam in sede propria perpetuo recolenda ». Integra haec rubrica adiecta fuit in quarta rubricarum emendatione, per speciale S. R. C. decretum d. d. 11 Decembris 1897. Cum enim, ut supra innuimus, ex abrogatione translationis duplicium et semiduplicium dubitare quis posset, maxime ob dispositionem reformatae tabellae occurrentiae, an eorum quoque *perpetua* repositio sublata fuisset, necesse erat ut omnis quaestio e medio prorsus tolleretur, quod factum est cum introductione huius § in rubricis. Officia ergo quae perpetuo impediuntur, in alia die reponuntur fixe celebranda tamquam in propria sede, sive sit dies assignata, sive sit dies quasi natalitia, ut superius explicavimus; non tantum duplicia, sed et semiduplicia.

226. Non est abs re, ut hic aliquid dicamus de singulari privilegio, quod rubricae, et plurima S. R. C. decreta, semiduplici impedito tribuebant. En verba antiquae rubricae: « Semiduplex occurrens in dominicis infra illas octavas, in quibus fit de festis occurrentibus, transfertur in sequentem diem, cum commemoratione octavae; quae, si fuerit alio festo duplici vel semiduplici impedita, praedictum festum semiduplex veniens in dominica transfertur post octavam; ita ut festum semiduplex infra octavam non transferatur, nisi in proxime sequentem diem ».

Haec rubrica, post abrogationem translationis omissa est, et bene; amplius enim hodie non tenet. Nihilominus, cum haec dispositio circa semiduplex festum accidentaliter impeditum, sensum et voluntatem Ecclesiae in translatione sanctorum apprime manifestet, eam referre oportunum putavimus, ut inde corollarium non parvi momenti deducamus. Ante omnia observandum venit, quod festum semiduplex accidentaliter impeditum, transferri non poterat infra aliquam octavam, sicut duplex. Attamen vigore rubricae huius, illud transferri poterat tantummodo in proxime sequentem diem. Id tamen fas erat infra octavas communes, nunquam infra privilegiatas; dicebat enim rubrica: « Se-

miduplex occurrens in dominicis infra illas octavas, in quibus fit de festis occurrentibus », etc.

Igitur semiduplex occurrens in dominica infra octavam non privilegiatam, aut etiam in festo habente octavam (S. R. C. 16 Febr. 1737, n. 4056 ad 2, antiquae coll.) transferendum erat immediate in sequentem diem, non impeditam, licet reponendum esset quodcumque officium prius translatum etiam ex solemnioribus (S. R. C. 19 Iunii 1700, n. 3567). Quod si dicta dies ab alio festo impedita fuisset, tum semiduplex transferendum erat post octavam, iuxta ordinem translatorum illius anni « Ita ut, concludebat rubrica, festum semiduplex infra octavam non transferatur nisi in proxime sequentem diem ». « Ratio est, docet Gavantus (hoc loco), quia amisso iure vicinitatis ad proprium diem, non est maior ratio cur citius celebretur ».

Quam causam melius, et cum maiori auctoritate exponit S. R. C. in decreto d. d. 21 aprilis 1736, n. 4041 antiquae collectionis, quod pro sua gravitate hic referre opus est.

« Utrum officia semiduplicia, quae occurrunt in dominica infra octavam non privilegiatam, die lunae sequentis non impedito officio novem lectionum fieri debeant, in exclusione duplicis praecedentis transferendi? Et S. R. C. respondit iuxta votum eminentissimi ponentis, nempe quod in exclusione duplicis praecedentis transferendi, in diem lunae immediate sequentem non impeditam, debet fieri officium de semiduplici, quod occurrit in dominica infra octavam non privilegiatam; *quia eo casu talis dies est assignata pro dicto semiduplici* ».

Raro S. R. C. solet rationem reddere suae responsionis, et hoc in casu mentem suam perbelle exprimit. Res est profecto maxima animadversione digna; hinc audiatur Cavalerius, dictum decretum illustrans (t. 2. c. 20 dec. 4): « I. En rationem validam, ob quam semiduplex incidens in dominicam infra octavam, reponi debet in die immediate sequenti in exclusionem cuiuscumque duplicis licet I. classis et praecedenter translati, quaeque argumenta omnia, quae in contrarium adduci unquam possunt, vel excogitari, penitus enervat et dissipat; *Quia eo casu talis dies est assignata pro dicto semiduplici*; hoc enim ipso, quod ea feria est illi assignata, in hac accidentariam subit immutationem, in eaque censetur occurrens, unde ab eadem quodcumque translatum abigit. Cui assignationis fortasse favent ea verba rubricae de translat. n. 5: *Transfertur in sequentem diem non impeditam* ».

« II. Privilegii autem haec est ratio. Ne a frequenti semiduplicium translatione, quae ceteroquin eiusdem ritus sunt cum die infra octavam, nimis de facili obruerentur octavae, ab his illa reiecta fuere, solo reservato casu diei proximae sequentis, ad quam *ius quoddam vicinitatis habent*. Quae reservatio ne in irritum recideret ob duplicia translata, sequens dicta dies *ut propria* fuit in iisdem assignata, quia alias horum repositio usque post octavam differri deberet, ubi duplicia adhuc locum habent in qualibet die infra octavam, et nonnisi per accidens, ratione scilicet totius octavae, per festa impeditae, ultra octavam protrahuntur ».

227. Nimis prolixi essemus, si omnia S. R. C. decreta in medium proferre velimus, quibus hoc principium recognoscitur et statuitur, quod festum in crastino celebratum, tamquam in sua die habetur. Hinc, ex. gr. in hymno *Iste confessor* dicendum est *meruit beatas* ad matutinum et secundas vesperas quando festum alicuius s. confessoris a die sua natalitia in proxime sequentem transferri per accidens vel perpetuo contingat si capitulum habuit. Ita S. R. C. die 13 Iunii 1899, n. 4033.

Similiter advertendum est, quod ex rubricis specialibus festa Purificationis et Annunciationis B. M. V., s. Ioseph, et s. Ioannis Baptistae, et Pretiosissimi Sanguinis D. N., si sua die impediantur, celebrari debent in proxime sequenti die, licet occurrat aliud festum, non tamen dignius aut nobilius, tamquam in sede propria. Eodem privilegio gaudebat Immaculata Conceptio, quando ritu II classis recolebatur; et adhuc gaudet Nativitas B. M. V. in diaconia s. Hadriani, ubi celebratur die 9 Septembris licet occurrat Romae festum duplex (S. R. C. Decr. n. 3876 ad 4).

Ex quibus dispositionibus liquido profluit Ecclesiam semper reputasse, et nunc quoque reputare, diem proxime sequentem, tamquam sedem subrogatam, sed adhuc *propriam*. Quod facile intelligitur; compertum est enim festa duplicia et semiduplicia binas vesperas habere.

Festa quoque simplicia, licet non habeant secundas vesperas, duobus in diebus naturalibus celebrantur; ideoque hodie ex. gr. habent primas vesperas, cras vero ceteras horas usque ad nonam. Dies porro ecclesiastica longior est quam dies naturalis: ideoque quando festum aliquod in crastinum celebratur, primae eius vesperae locum tenent secundarum eius, si in sua die celebratum fuisset. Igitur festum in crastinum celebratum adhuc est in sua ecclesiastica die, in qua saltem habet primas vesperas.

Quibus expositis, nimis nos audere existimet nemo, si propositionem, novam quidem primo obtutu, antiquam vero quoad Ecclesiae sensum, proferimus.

Privilegium quo gaudent adhuc festa Purificationis et Annunciationis B. M. V., s. Ioseph et s. Ioannis Baptistae, ac Pretiosissimi Sanguinis D. N. ut celebrentur tamquam *in sede propria* in crastinum, translato alio festo aequalis ritus, non tamen nobiliori, tribuatur omnibus festis duplicibus I et II classis.

Quamquam ex professo nemo ex liturgicis scriptoribus unquam protulit huiusmodi propositionem, nihilominus plus minusve duo, et quidem celeberrimi, ad eam proxime accesserunt, Gavantus nempe et Guyetus. Hinc est propterea, quod nos maiori et tutiori animo eam hic exponimus, sperantes fore ut facilius lectores nostri illam fausto vultu sint accepturi.

Gavantus (sect. 3, c. 10, n. 1) ait: « Quaesitum est aliquando, quid agendum esset in ecclesia Regularium, in qua occurrebant duo festa eodem die, patroni principalis loci, et titularis ecclesiae illorum Regularium ». Et postquam dixerit agendum esse de loci patrono, subdit: « quod si quotannis hic accidat occursus, assignanda erit dies sequens in perpetuum, titulari illius ecclesiae ».

Sed melius et clarius, in sua *Heortologia* (lib. 4, c. 8, q. 6) hanc quaestionem sibi proponit Guyetus: « In quam diem transferri oporteat duplicia I classis? » respondit iuxta rubricas, nempe in primam diem liberam; et sequitur dicens; « Et haec quidem certa sunt ex rubricis; dubia vero quae sequuntur. Primo, an festum patroni seu dedicationis aut aliud simile, quod usu proprii loci consuevit transferri... *in proxime sequentem diem*... an inquam, debeat festum illud fieri tali die, translato alio duplici aut semiduplici, quod eadem quoque die occurrerit? Respondeo usum *eiusmodi posse retineri*, ob eam maxime causam, quod talis translatio, non tam censenda sit translatio, quam mutatio, haud illa perpetua quidem, sed ordinaria in tali casu, in eo loco et *tali anno est dies propria praedicti festi*. Imo seclusa etiam festivitate publica... aio consuetudinem eiusmodi, *utpote laudabilem, posse retineri*. Quam ego argumentationem in eo potissimum casu valere contendo, in quo festum solemne longius esset differendum, propter occurrentiam festi alicuius inferioris recenter inducti, v. g. festum s. Ioannis ante portam Latinam, quod est 6 Maii, occurrens in die Ascensionis Domini, transferebatur alias in sequentem proxime diem nempe 7,

nunc vero, cum dies ille 7 occupetur festo s. Stanislai a Clemente VIII addito, reiiciendum est predictum festum s. Ioannis... quod sane incommodum valde est ecclesiis, in quibus festum illud sic impeditum consueverat olim postridie celebrari. Unde, si suam illam antiquam consuetudinem retineant, *nonnisi laudabiliter mihi facere videntur* ».

Iuxta ergo clarissimum Guyetum, festum ex solemnioribus decet celebrari in crastinum, cum impediatur.

Item, privilegium, quo gaudebat semiduplex occurrens in dominicam infra octavam, ut celebraretur feria II, si libera erat, tribuatur duplicibus maioribus et minoribus ac semiduplicibus, ita tamen, quod si dies proxima libera non sit, tunc duplicia minora et semiduplicia eo anno in sua die commemorentur aut penitus omittantur iuxta rubricas; duplicia vero maiora et doctorum Ecclesiae, ulterius transferantur.

Haec nostra propositio si S. R. C. placeret, nonnulla consectaria induceret, valde rationabilia et congruentia, ac lex translationis facillima evaderet: 1. Quia non omnino periret aliquod festum duplex vel semiduplex; 2. In Quadragesima praesertim non amplius obveniret, quod celebretur officium dominicae cum commemoratione occurrentis duplicis vel semiduplicis, et in crastino, officium votivum, vel feriale; 3. Non amplius opus esset privilegio quod concessum fuit duplicibus I et II classis, cum impediuntur, et locus in anno non superest, ut celebrari queant in diebus a festo semiduplici aut duplici impeditis. Quod id fiat quando duplex I classis celebratur in crastino, nihil est contra ius, agitur enim de *festo* quod adhuc in sua die substituta celebratur; quando vero transfertur longius in festo semiduplici, agitur vere de *officio translato* quod occupat *festum* diem alterius sancti; hoc autem nisi ex necessitate concessum fuisset, sub forma privilegii, conforme non esset legibus et principiis liturgicis; 4. Neque amplius opus esset recurrere ad regulam, pro festis octavam habentibus, iuxta decretum n. 3853, quod nisi legitima interpretatione illustretur, non pauca inconvenientia aliqui ab eo deducunt; 5. Leges translationis novae, post breve *Nullo umquam* in rubricis inductae, starent omnino, et paucis verbis adiectis, propositio nostra, si S. R. C. placeret, facile inseri posset.

CAPUT XLVII.

TABELLA NOVA OCCURRENTIAE

228. In fine rubricarum Breviarii ponuntur duae tabellae occurrentiae et concurrentiae, quae dicuntur *ex rubricis generalibus excerptae;* nempe rubricae ipsae, ut facilius et promptius a clericis prae oculis haberentur, hisce in tabellis, quasi in speculo, reductae fuerunt. Nihilominus sicut generales rubricae occurrentias respiciunt tam perpetuas quam accidentales, ita et tabella, ante annum 1884 quo emendata fuit, pro utraque inserviebat; nunc vero post dictam emendationem pro accidentalibus occurrentiis tantummodo valet (1).

Attamen facili negotio tabella confici potest, quae pro occurrentiis omnibus valeat, et hic eam in lectorum servitium ponimus. In ea necessario locutione *translatio* vel *repositio* in regulis 1, 2, et 8 uti opus fuit, quia notum est: in occurrentia accidentali datur *translatio*, in perpetua vero, *repositio;* imo tres leges addi debuerunt 9, 10 et 11, ut pro duplicis et semiduplicis occurrentia perpetua quid agendum esset doceretur, nec non lex 12 pro speciali casu occurrentiae accidentalis duplicis minoris et doctoris. Licet haec vix dari possit, nihilominus in hac tabella pro ea regulam 12 induximus, nam, du-

(1) Ecce tibi casum: In dioecesi R. die 29 Maii occurrit dedicatio cathedralis *dupl. I class.* cum autem ex decreto Leonis XIII, qui festum s. Bedae doctoris die 27 celebrandum indixit, ea die 29 recolendum sit festum s. Mariae Magdalenae de Pazzis, quid in dicta dioecesi erit agendum? Interrogemus occurrentiae tabellam: *Si occurrat eodem die duplex I classis* (Dedicatio ecclesiae) *et duplex per annum minus* (S. M. Magdalena), in quadrangulo in quo sibi occurrunt haec duo officia invenimus numerum 6, scilicet fit *officium de primo nihil de secundo.* Quae regula valet pro occurrentia accidentali, non autem pro perpetua, uti suo loco iam vidimus.

Similiter pone omnes casus occurrentiae duplicis minoris per annum et semiduplicis, et regulas sub numeris 3, 4, 5, 6, 7 et 8 invenies, quae pro accidentalibus occurrentiis valent, non autem pro perpetuis.

plex minus, non doctoris, cum in occurrentia accidentali translationis iure caret, ideo de eo officium agi debet: cum doctor e contra alia die celebrari potest. Absque ulla formidine hoc docemus, quamquam nemo ex liturgistis hunc casum respexerit, quia fundamentum habet in rubricis quae praeferentiam dant diei octavae, utpote intransferibilis, super alia duplicia etiam maiora.

Mens enim Ecclesiae est, ut quoad fieri potest, nihil pereat de officiis; atiqui, si in casu nostro de doctore fieret in sua die, aliud duplex solam haberet commemorationem, ergo melius est ut de hoc fiat totum officium, cum doctor alia die item cum toto officio cclebrari possit.

Adverte quod in sequenti tabella nullus alicubi apponitur numerus, quia occurrentia ibi impossibilis est.

Tabella pro occurrentiis tam accidentalibus quam perpetuis.

SI OCCURRAT EODEM DIE

	» Vigilia	» Feria maior	» S. Maria in Sabbato	» Simplex	» Semiduplex *perpetuo*	» Semiduplex *accidentaliter*	» Dies octava	» Dies infra octava	» Duplex minus *perpetuo*	» Duplex minus *accidentaliter*	» Duplex doctoris ecclesiae	» Duplex maius	» Duplex II classis	» Duplex I classis	» Dominica per annum	» Dominica II classis	et Dominica I classis
Duplex I classis	6	4	0	6	10	6	4	6	10	6	2	2	2	8	4	4	1
Duplex II classis	4	4	0	4	10	4	4	6	10	4	2	2	8	1	4	1	1
Duplex maius	4	4	0	4	10	4	1	4	10	4	2	8	1	1	4	1	1
Duplex doctoris ecclesiae	4	4	0	4	10	4	1	4	11	12	11	1	1	1	4	1	1
Duplex minus *accidentaliter*	4	4	0	4	0	4	3	4	0	7	12	3	3	5	4	3	3
Duplex minus *perpetuo*	4	4	0	4	10	0	9	4	11	0	11	9	9	9	4	0	0
Dies infra octavam	4	4	0	4	3	3	3	7	3	3	3	3	5	5	3	3	3
Dies octava	4	4	0	4	10	4	7	4	10	4	2	2	3	3	4	3	3
Semiduplex *accidentaliter*	4	4	0	4	0	7	3	4	0	3	3	3	3	5	3	3	3
Semiduplex *perpetuo*	4	4	0	4	11	0	9	4	9	0	9	9	9	9	0	0	3
Simplex	3	3	3	0	3	3	3	3	3	3	3	3	3	5	3	3	3
S. Maria in Sabbato	5	5	0	4	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0
Feria maior	6	0	6	4	3	3	3	3	3	3	3	3	3	3	0	0	0
Vigilia	0	5	6	4	3	3	3	3	3	3	3	3	3	5	0	0	0

1. Translatio vel repositio de primo, officium de secundo.
2. Officium de primo, translatio vel repositio de secundo.
3. Commemoratio de primo, officium de secundo.
4. Officium de primo, commemoratio de secundo.
5. Nihil de primo, officium de secundo.
6. Officium de primo, nihil de secundo.
7. Officium de digniori, commemoratio de minus digno.
8. Officium de digniori, translatio vel repositio de minus digno.
9. Repositio de primo, officium de secundo.
10. Officium de primo, repositio de secundo.
11. Officium de digniori repositio de minus digno.
12. Officium de dupl. translatio doctoris.

CAPUT XLVIII.

DE SANCTIS SOCIIS SEPARANDIS

229. In notis ad tabellam una habetur vera et specialis rubrica, quae in generalibus non invenitur, cuius dispositio in alia non continetur. Inducta est in breviario sub Clemente VIII, postea immutata fuit anno 1884 post breve *Nullo unquam*, et denuo, uti nunc iacet, emendata in postrema rubricarum revisione anno 1897. Inutile non erit, ut invicem conferamus tres diversas huius rubricae lectiones eas, hic prae oculis subiicere lectoribus nostris.

Vetus quae viguit ab anno 1631 usque ad 1884.	**Nova quae viguit ab anno 1884 usque ad 1898.**	**Novissima quae nunc ab anno 1898 viget.**
Si occurrat ut patronus vel titulus ecclesiae, descriptus sit eodem die in calendario cum aliis sanctis, in ea ecclesia fit tantum de patrono vel titulari absque commemoratione aliorum. Qui si in dicto calendario descripti sint sub officio duplici vel semiduplici, transferuntur in primam diem simili officio non impeditam, et de eis fiat officium semiduplex, nisi tamen sint de maioribus festis, quia tunc de translato quoque fiet officium duplex ac si proprio die celebraretur. Si vero in calendario omnes sint tamquam festum simplex, de illis nihil fit.	Si occurrat ut patronus vel titulus ecclesiae, descriptus sit eodem die in calendario cum aliis sanctis, in ea ecclesia fit tantum de patrono vel titulari. Alii si in dicto calendario descripti sint sub officio duplici minori, non tamen alicuius ecclesiae doctoris, vel semiduplici de eis nihil fit (1). Si autem sint de maioribus festis aut doctorum, transferuntur, ita ut de translato fiat officium ac si proprio die celebraretur. Si vero in calendario omnes sint tamquam festum simplex etiam de illis nihil fit.	Si accidat ut patronus loci, vel titulus ecclesiae descriptus sit eodem die in calendario cum aliis sanctis qui separari queant, in ea ecclesia, vel in loco. fit tantum de titulari vel patrono Alii si in dicto calendario descripti sint sub ritu duplici minori, vel maiori, aut semiduplici, transferuntur perpetuo in diem primam liberam, et de eis fiat officium semiduplex. Si vero sint ex duplicibus I aut II classis, similiter in diem primam liberam perpetuo transferantur, et de eis fiat officium sub eodem ritu ac si propria die celebrarentur. Si autem in calendario omnes sint tamquam festum simplex, de eis nihil fit.

(1) In prima rubricarum emendatione anno 1883 facta, hoc loco legebatur: *de eis fit commemoratio in utrisque vesperis et laudibus iuxta rubricas.* Quae commemoratio, cum in duplicibus I classis sit prhoibita, anno sequenti denuo haec emendata est.

Ex collatione lectionum, quas exhibemus, huius rubricae sequentia profluunt consectaria:

I. In prima et secunda lectione, satis obscure exponebatur distinctio inter patronum et titulum, sicut passim invenitur in generalibus rubricis; in novissima vero, perfecte, et prout res exigit, clara ponitur distinctio.

II. In novissima emendatione verba adiecta fuere: *qui separari queunt*; infra videbimus rationem huius adiectionis, et quomodo intelligenda sit haec propositio: *qui separari queant*, quia aliqui sancti, inter se copulati in eorum festo, separari possunt, aliqui vero non.

III. In veteri legebatur: « qui si in dicto calendario descripti sint sub officio duplici vel semiduplici transferuntur », in nova negabatur translatio duplicibus minoribus, *non tamen doctoris Ecclesiae*, et semiduplicibus, quod erat applicatio errata dispositionis in brevi *Nullo unquam* contentae, quia in hoc brevi ablata fuit translatio *accidentalis*, non autem *perpetua* huiusmodi officiorum. In novissima vero restituta fuit translatio perpetua tam duplici minori quam semiduplici, ut in rubricis generalibus emendatum est.

IV. In veteri et in novissima, de sanctis sociis, licet eorum festum sit duplex, vel duplex maius, praescribitur ut officium eorum perpetuo translatum fiat semiduplex; in nova vero eorum ritus retinebatur, « ita ut de translato fiat officium ac si proprio die celebraretur ». Haec clausula valet tamen hodie in novissima, sicut valebat in antiqua, pro sanctis sociis, qui coluntur sub ritu duplici I vel II classis.

Si excipiatur dispositio praedicta, celebrandi officium *semiduplex* de sanctis sociis, etiamsi eorum festum sit duplex minus vel maius, quae anno 1884 optime immutata fuerat, haec novissima huiusce rubricae correctio, multo melior evasit, quam vetus el nova non essent.

Suis locis iam diximus, dari posse patronos locorum primarios et secundarios; illi sub ritu duplici I classis, hi autem sub ritu duplici maiore recolendi sunt. Haec vero rubrica, uti infra videbimus, applicari debet patrono principali et etiam secundario. Quod item dicendum est le titulari ecclesiae, quia si ecclesia duos aut plures sanctos nabeat titulares, qui distincta die occurrant, omnes aeque sunt principales ac proinde omnes ritu dnplici I classis recoluntur.

Paulo inferius videbimus cur hodie et de patrono minus principali, licet celebretur sub ritu duplici maiori, agenda sit separatio.

230. Ad rem Gavantus (sect. 3, c. 10, n. 11) ait: « Aliqui putarunt, hanc rubricam loqui de occurrentia duorum festorum, quorum alterum est in calendario romano, alterum in calendario loci proprio, sed falluntur ex iis verbis *descriptus sit eodem die in calendario*, non ait *calendariis*, et loquitur de calendario romano, me teste, in recognitione clementina ». Adde tamen, hanc legem de separatione sociorum valere non tantum pro calendario romano, ut ait hic Gavantus, scilicet universalis Ecclesiae, sed quoque pro calendario dioecesis, aut religionis, aut ecclesiae etiam particularis.

S. R. C. in suo decreto 3431 id retinet, clarissime agens de ecclesiis dicatis ss. Iusto et Pastori, ss. Acischi et Victoriae in Hispania.

Nota autem hic dici: *descriptus sit eodem die in calendario*, non in *Martyrologio*, quia bene Cavalerius (loc. cit.) addit: « Non autem de iis qui solum in Martyrologio simul descripti sunt, quia sociis eius, de quo iuxta rubricas officium faciendum est, nullum officium habent, nec ius ad officium ». Res per se patet; nam de iis solummodo agitur officium qui in calendario proprio inscribuntur (1).

Ultima clausula, *cum aliis sanctis qui separari queant*, adiecta est, ut vidimus, in novissima recognitione, sed non ita facilis evadit eius expositio.

Videtur itaqne quod aliquando habeantur sancti socii qui a patrono vel titulo separari possunt, aliquando non. Et revera Guyetus (l. 1, c. 5, 14) scribit: « Dupliciter eontigit ut sancti aliqui sic in calendario simul inscribantur. Primo quidem *ex occasione* tantum, quia scilicet eadem die passi fuerint, vel obierint, licet forte non eodem anno, nec eodem in loco, nec eadem de causa, cuiusmodi sunt plerique inter martyres, ut ss. Fa-

(1) Ex gr.: ecclesia tua dicata est s. Claudio M., cuius memoria agitur in Martyrologio die III Decembris; tu de illo festum I classis celebrabis profecto, quia titularis est tuae ecclesiae, de eius autem uxore Hilaria et filiis Iasone et Maro, licet cum eo commemorentur in Martyrologio, nullum officium aut commemorationem facies. In ecclesia autem dicata s. Eustachio M., de uxore eius et filiis, quia non tantum in Martyrologio, sed et in calendario descripti sunt, procul dubio agendum erit officium.

bianus et Sebastianus, Vincentius et Anastasius, Soter et Caius, Cletus et Marcellinus, Cornelius et Cyprianus et alii; inter confessores item multi ut ss. Vedastus et Amandus, Lupus et Aegidius etc. (1). Secundo associantur sancti quasi *ex natura rei*, quod videlicet eodem simul die ac loco, eamdemque ob causam, cursum vitae huius feliciter consummarunt; cuiusmodi exempla in confessoribus pauca admodum suppetunt, ac vix nisi unum ss. Antonii, Meruli et Ioannis ex Martyrologio licet allegare ».

« Inter martyres frequentissime id occurrit, ut patet exemplis ss. Innocentium, Ioannis et Pauli, Cosmae et Damiani, Gervasii et Protasii, Mauritii et sociorum, Ursulae et sociarum, et aliis innumeris ».

« Primo itaque modo coniuncti nullo negotio dissociantur occurritque plurimum unum absque alio alicuius ecclesiae esse patronum, ut constat de s. Sebastiano, Vincentio, Cypriano, Aegidio et reliquis. De aliis vero secundo modo simul iunctis, non idem usus est ac par ratio. Quae enim ecclesiae s. Gervasium v. g. aut s. Cosmam patronum colunt, nequaquam ab hoc s. Damianum, nec ab illo s. Protasium solent divellere. Quae item ss. Innocentes, aut s. Mauritium, aut s. Ursulam, aliosve eiusmodi omnes ex aequo socios ac socias perinde recognoscunt; nisi forte alicubi habeatur unius nominatim corpus aut insignis reliquia ab aliis certo discreta, quae occasioni sit, ut is cuius est, singillatim patronus adhibeatur; sicut de ss. Exuperio, Candido, Victore, Innocentio et aliis ex legione Thebaea posset accidere, item de s. Cordula, una ex sociabus s. Ursulae, aliisque similibus ».

Huc usque Guyetus. Iisdem fere verbis loquitur Cavalerius (t. 1, c. 5), qui de sanctis ex *natura rei* invicem coniunctis non tantum dicit: « debent eodem die, eodem anno, eodem in loco, et eadem de causa ex hac lacrymarum valle esse sublati »; sed addit quoque: « et insuper (debent) inter sese aliquam affinitatem, vel consanguinitatem habere; cuius rationis sunt ss. Gervasius et Protasius, Cosma et Damianus, qui fratres erant; Symphorosa et Filii aliique similes ». Quod idem docet Meratus (sect. III, c. 10, n. 8).

E contra S. R. C. suo decreto 16 Ianuarii 1677, in nova collectione servato sub n. 1589 ad 2, quaesitum: « an duae lectio-

(1) Hodie in calendario universali habetur festum VII fundatorum ordinis B. M. V.

nes ut ss. Gervasii et Protasii legendae sint in officio duplici illius cuius reliquia habetur, et de socio facienda tantum sit commemoratio » respondit: « Si hoc casu lectiones disiungi commode possunt, legenda est illa de sancto cuius fit officium duplex propter reliquiam insignem... si vero non possunt commode disiungi lectiones, utraque ponenda est in 2 nocturno,... et in hoc casu lectio nona pro festo simplici repetenda non est, fieri tamen debet de eo commemoratio ». Ex quo sequitur: dari posse separationem sanctorum quorum unus sit patronus vel titulus, vel de eo habeatur reliquia insignis, licet agatur de sanctis ex *natura rei* simul coniunctis, uti sunt ss. Gervasius et Protasius.

Moderni vero rubricistae, cum Cavalerio (loc. cit. decr. 4, n. 4), et de Herdt (p. 4, n. 293) docuerunt separationem fieri, cum patronus recolatur ritu duplici I classis; cum autem agatur de patrono minus principali, aut de sancto cuius habetur reliquia insignis, separationem non esse faciendam.

Nihilominus hodie S. R. C. in aliam sententiam certissime devenit: quod probatur ex eius decretis n. 3431 (11 Augusti 1877) et 4037 (20 Iunii 1899) nec non ex novissima rubrica quam hic exponimus. In decreto 3431 ad I quaes. circa officia titularium edixit: « Praedictos sanctos (ss. Iustum et Pastorem vel Cosmam et Damianum) per se et ex natura rei coniunctos et eodem die in calendario descriptos, quorum vel alter est titularis ecclesiae (adde, ob eamdem rationem, patronus loci) vel alterius insignis reliquia asservatur in ecclesia non esse separandos ».

In secundo decreto n. 4037 ad 3, praecepit: « Quando patronus (adde titularis) aut sanctus cuius insignis reliquia habetur describitur in calendario cum aliis sanctis, quum tamen nulla inter eos necessaria consanguinitatis aut affinitatis intercesserit ratio, agenda est separatio ».

Itaque verba, quae in novissima emendatione in hac rubrica adiecta fuere: « *qui separari queant* » sensum repetunt ex his duobus decretis.

Quam ob rem clarissime nunc patet lex hodie sequenda circa separationem sociorum, videlicet:

« Si patronus loci, praecipuus vel secundarius, aut titularis ecclesiae, aut etiam sanctus, cuius in ecclesia habeatur reliquia insignis, descriptus est in calendario universali, vel particulari, cum aliis sanctis, quibus est per se et ex natura rei

coniunctus, scilicet quia inter eos necessaria consanguinitatis aut affinitatis ratio intercedit, non est a sociis separandus. Si vero illis coniunctus fuit ex occasione tantum, quia scilicet eadem die simul, vel non simul obierint, tunc a sociis separatur » (1).

Haec regula nunc valet iuxta rubricam novissimam, ac proinde qui calendarii particularis suae ecclesiae revisionem ac correctionem instaurat, officia sociorum inscribenda curabit ad normam huiusce legis; pro aliis ecclesiis, quae huiusmodi correctionem calendarii non perficiunt, aliter dicendum est (2).

(1) Hinc resolves: patronus praecipuus tuae civitatis ex. gr. est s. Gervasius martyr; patronus secundarius s. Cosma; titularis tuae ecclesiae s. Eustachius; habesque caput unius ex ss. septem Fratribus martyribus. Quia s. Gervasius descriptus est in calendario cum fratre suo Protasio, item Cosma cum fratre suo Damiano, Eustachius cum uxore et filiis suis, et omnes septem Fratres simul, patronum sive principalem, sive secundarium, titularem, ac sanctum cuius habes reliquiam insignem, a sanctis sociis non separabis, sed de omnibus simul respective festum celebrabis sub ritu duplici I classis, pro patrono praecipuo ac pro titulari; duplici maiore pro patrono minus principali, et duplici minore, pro sanctis, quorum unius reliquiam habes insignem. E contra patronus praecipuus tuae civitatis est s. Ianuarius, minus principalis s. Erasmus, titularis tuae ecclesiae s. Iustina, habesque insignem reliquiam s. Soteris, de his omnibus officium separabis a sociis respectivis. Hinc de s. Ianuario festum ages I classis, et de sociis, licet in calendario officium habeant duplex, in die opportuna ritu semiduplici persolves. De s. Erasmo, festum celebrabis duplex maius, et de Marcellino et Petro commemorationem, quia in calendario omnes sunt tamquam simplex. De s. Iustina, quia titularis, item festum duplex I classis persolves, nihil autem de s. Cypriano eius socio unquam facies. Denique de s. Sotere p. m. cuius habes reliquiam, festum institues duplex minus, seorsum a s. Caio, de quo officium semiduplex ages die opportuna.

(2) Hanc similem quaestionem nos ipsi proposuimus et solvimus in *Ephemeridibus Liturgicis* (an. 1887, pag. 178), quando scilicet prima huiusce rubricae emendatio promulgata est. Ibique inquirentes, utrum statim ubique eiusdem rubricae reformatae praescriptio esset applicanda, haec scripsimus: « Hisce non obstantibus, si liceat sententiam nostram proferre, arbitramur hic locum esse distinctioni. Scilicet, si agatur de ecclesia, quae correctionem proprii calendarii ab Apostolica Sede post Brevis *Nullo nunquam* promulgationem

231. Quando ergo separatio agitur, de sociis patroni vel titularis, vel illius sancti cuius habentur reliquiae, persolvendum erit officium alia die sub ritu *semiduplici* (nisi in calendario

non obtinuit, nihil innovandum esse putamus, et de ss. sociis titularis officium agendum esse ut antea. Si vero agatur de ecclesia quae correctionem calendarii nuper habuit, nil de illis agendum est ». Et paulo inferius: « Hoc autem sensu intelligendam esse emendatam rubricam eruitur: 1° ex natura legis, quae effectum retroactivum numquam habet, nisi exprimatur; 2° ex iure sedis propriae ac fixae, quod in casu ss. Socii iam possident; 3° ex intentione ipsius S. R. C., quae non vult dictam novam legem, sicut novas emendatas lectiones aliquorum sanctorum, statim obligationis vim ubicumque habere, sed solummodo data occasione et sensim sine sensu in calendariis inducere ». Huiusmodi resolutionem tunc dedimus, et moderator *Ephemerid. Liturg.* (loco citato) lectores suos monuit eamdem « auctoritate competenti audita, certam atque in praxi tenendam ».

Imo in decreto 22 Iunii 1895, n. 3861, expuncto tamen dubio circa ss. patroni socios, hanc nostram sententiam adprobavit S. R. C., uti notat earundem *Ephemerid.* moderator (ibid. pag. 453). Itaque ecclesiae, speciale calendarium habentes, dividendae sunt in tres classes: I. Quae, neque post brevis *Nullo unquam* promulgationem, neque post rubricarum emendationem, anno 1897 peractam, proprii calendarii reformationem exquisierunt ab Apostolica Sede. II. Quae huiusmodi correctionem obtinuerunt post dictum Breve, et ante annum 1898, in quo novissima rubricarum emendatio promulgata fuit. III. Quae hanc calendarii correctionem habuerunt post annum 1898. ecclesiae I classis, circa ss. socios nec plus nec minus se conformare debent ad calendarium, uti erat ante annum 1882, et uti nunc iacet; scilicet de sociis, qui in calendario descripti sunt sub ritu *duplici minori et semiduplici,* officium agere debent sub ritu semiduplici; de sociis vero qui coluntur ritu *duplici maiore vel I, aut II classis,* sub eorum ritu celebrare pergant, uti vult antiqua rubrica Urbani VIII.

In ecclesiis II classis, de sociis, qui in calendario cum patrono aut titulari descripti sunt sub ritu *duplici minore* (non doctoris) aut *semiduplici,* nihil fit; de aliis qui ritu coluntur *duplici minore* sed doctoris, *duplici maiore* I et II classis, fit officium in suo proprio ritu, uti praescribit rubricae huius prima emendatio. Ecclesiae autem III classis de sociis, qui ritum habent in calendario *duplicem maiorem, vel minorem, vel semiduplicem,* sub ritu semiduplici persolvere debent officium; de aliis qui duplicem I aut II classis ritum habent, suo proprio ritu celebrabunt, prout exigit novissima rubrica. Adde tamen, quod de sociis illius sancti, qui est patronus mi-

habeant ritum duplicem I aut II classis). Quid vero dicendum de ecclesiis quarum titulares sunt Nazarius et Celsus, in quibus alia die celebrandum erit officium sociorum ss. Victoris papae et martyris, et Innocentii papae confessoris?

Gavantus (sect. 7. c. 9, d. 28) docet quod transfertur in primam diem non impeditam, ritu semiduplici, de communi plurimorum martyrum, cum evang. et oratione festi eorumdem, omissis nominibus ss. Nazarii et Celsi; et ait: « Neque mirum videatur, quod s. Innocentius colatur ut martyr una cum martyre, tum 1° quia colitur in tota Ecclesia cum officio martyrum ut patet; tum 2° quia martyr, ut nobilior, ad se trahit non martyrem: tum 3° quia aliis non martyribus, seu non viris, dantur psalmi martyrum et virorum, ut videre est in festo s. Martini episcopi, ss. Agnetis et Agathae, ex speciali privilegio; quod in translatione s. Innocentii non fuit illi detrahendum. Antiphonae autem et responsoria de effusione sanguinis, et nonnulla cum demonstratione: *Istorum est enim* etc.; *Isti sunt qui venerunt* etc., ne sumas pro iis rigorose, quorum festum colitur, sed ea intellige: 1° vel de preparatione animi ad martyrium respectu s. Innocentii; 2° vel quia plurale ponitur in breviario pro singulari, et e contra, ut in festo plurium apostolorum dicimus in 2 vesp. *Collocet eum Dominus* etc. et saepius in festo unius apostoli *Isti sunt* etc.; 3° vel accipe encomiastice in laudem totius ordinis martyrum ». Haec hodie legentes, non possumus retinere quod sentimus; aliquando bonus dormitat Homerus, dicendum est; rationes enim, quas refert preclarissimus vir, ut comprobetur usus recitandi officium plurimorum martyrum in casu, nihil valent omnino.

Guyetus, alter rubricarum magister non minus insignis, has Gavanti rationes singillatim reiiciti (l. 4, c. 18, q. 35) scribens: « Gavantus inquit: " Innocentius colitur ut martyr una cum martyre „; dubia haec ratio est; etsi enim colatur cum martyre, non tamen ut martyr, cum vere talis non sit; " tum quia colitur in tota Ecclesia cum officio martyrum „; ita quidem, sed iunctus cum pluribus martyribus, non autem cum uno tantum

nus principalis, aut de quo habetur reliquia insignis, officium separatum agi non debet in ecclesiis I et II classis, eo quod decretum supra citatum, n. 4037, latum fuit die 20 Iunii 1899, ideoque illis in ecclesiis continuabitur recitatio officii de omnibus, prout notantur in breviario, usquedum nova non fiat calendarii reformatio.

" tum quia martyr ut nobilior trahit ad se non martyrem „. Tolerabilis haec ratio, sed quam subdit de psalmis martyris tributis s. Martino confessori, itidem ss. Agneti et Agathae, ut probet a pari posse confessori tribui officium martyrum, *frigida est minusque valens* ».

Nos ergo putamus et hoc tuto tenemus: de ss. Victore et Innocentio, utroque pontifice, fiat officium confessorum pontificum, recolendo duos sanctos sub communi qualitate, quam habent; eo magis quia id omne quod dicitur in commune confessorum pontificum, bene convenit et martyri in casu, non viceversa. Sicut ergo pro ss. VII. fundatoribus ord. serv. B. M. V. et pro ss. Cyrillo et Methodio ac aliis pluribus confessoribus, sumi debet officium de communi, iuxta rubricam post commune ipsum positam, ita bene de ss. Victore et Innocentio in casu, faciendum est, ut revera *officium sit utrique commune*. Ceterum in breviario non carent exempla, quae id suadent. Die 16 Septembris festum recoiitur ss. Euphemiae, Luciae et Geminiani; unius viri, et duarum mulierum, quarum prima est virgo, alia est vidua. Quia vero omnes conveniunt in qualitate martyris, officium eorum rectissime sumitur ex communi plurimorum martyrum.

Adde quod et de s. Petro apostolo agitur memoria utriusque eius Cathedras, cum officio conf. pont., quia in illis festivitatibus colitur ut pontifex, in colore albo, ita in casu pro s. Victore.

CAPUT XLIX.

DE CONCURRENTIA OFFICIORUM

232. Rubrica (tit. XI, n. 1) ait: « Concurrentia officii attendenda est in secundis vesperis quomodo sit ordinandum officium cum sequenti die. Itaque cum dicitur officium aliquod cum alio concurrere, intelligitur de praecedenti in secundis vesperis cum sequenti in primis ». Quod supra n. 213 diximus de sensu liturgico vocum *occurrere* et *occurrentia* seu *occursus*, hic revocandum est pro vocibus *concurrere* et *concurrentia* seu *concursus*, quae in Rubricis specialem habent significationem, ab illa diversam, qua communiter apud Latinos intelliguntur.

Nam, licet optime diceretur: simul *concurrere* eadem die duo festa, quando una die celebrantur, nihilominus, in sensu rubricarum, dicuntur *concurrere* duo officia, quando hodie unum, cras aliud celebrantur. Ad rem habet Guyetus (l. 4, c. 13, 1): « Duorum officiorum non tantum conflictus est mutuaque pugna si ambo una eademque die occurrant, de qua re actum a nobis hactenus, sed etiam si se invicem continuis duobus diebus consequantur, quod cum accidit, *concurrentia* est » (*concomitantiam* appellat Breviarium Ordinis Praedicatorum)... « Concurrere in iure civili dicuntur collegatarii, quibus eadem res in solidum legata fuit » (*lege 1 dig. de usufr.*).

Sic duo officia ius habentia ad vesperas unius diei, dicuntur *in vesperis concurrere*, eo quod, quasi ad haereditatis partem, concurrant. Si enim festa binas vesperas non haberent, legibus concurrentiae locus non esset; cum autem dies ecclesiastica longior sit quam dies naturalis, iuxta divinum praeceptum (*Levit.* XXIII, 32): « A vespera usque ad vesperam celebrabitis sabbata vestra », necessario secundae vesperae huius diei eaedem sunt ac primae sequentis. Hinc, quia festa habent liturgicas preces, tam pro primis quam pro secundis vesperis, huiusmodi liturgicae preces vesperales festi hodierni disponendae sunt cum precibus vesperalibus sequentis festi. Ordinatio itaque officii in vesperis, obiectum est legum concurrentiae.

Aliqui cum Guyeto (l. c.) distinguunt concurrentiam *pas-*

sivam et *activam* : « activa quae ad officium praecedens spectat, ipsumque est quod dicitur concurrere : passiva vero ad subsequens, cum quo a praecedente concurritur ». Quia vero, ut videbimus, aliquando in huiusmodi conflictu duorum officiorum in vesperis, vincit praecedens, aliquando sequens, huic distinctioni locum non esse credimus, saltem uti definita est. Notandum venit, quod festa simplicia, cum primas vesperas tantum habeant, in illis concurrere possunt cum praecedenti officio duplici aut semiduplici. Quod si duo festa simplicia duabus diebus continuis occurrant, tunc inter ipsa concursus non datur, sicut non datur inter officia ferialia, quorum officium desinit, ubi incipit aliud officium. De diebus infra octavam, suo loco dicemus.

233. Effectus concurrentiae triplex est : 1. Dimidiatio vesperarum inter duo officia sibi coucurrentia ; 2. Recitatio vesperarum integra unius officii, cum alterius commemoratione ; 3. Eadem unius vesperarum recitatio sine alterius commemoratione.

Dimidiatio vesperarum in hoc consistit, quod secundae vesperae dicantur de officio currentis diei, usque ad capitulum exclusive, et primae vesperae de officio sequentis diei, a capitulo inclusive usque ad finem, cum commemoratione praecedentis. Ex quadam locutione Micrologi, *De observationibus ecclesiasticis*, qui floruit in fine saeculi XI, colligitur, usum dimidiandi vesperas alicubi suo tempore irrepsisse, ait enim : « Non congruum est ut psalmi vespertini tantummodo praecedenti festo, reliqua vero subsequenti, tribuamus. Nam sancti Patres nullum nobis inde exemplum reliquerunt, qui potissimum nos concordiam officiorum singulari diligentia servare docuerunt ». Item Durandus, qui floruit in fine saeculi XIII, in suo *Rationale divin. off.* (c. 52) scribit : « Animadvertendum est, quod quando fuerit solemnitas novem lectionum, illius vesperae totae debent celebrari, ut in festo b. Stephani et b. Ioannis evangelistae. Post vesperas necessario dicitur collecta de sancto cuius est festum vel antiphona cum *Magnificat*. Unum tamen excipitur festum, videlicet s. Silvestri, quod etiam si novem habeat lectiones, eius tamen vesperae sunt festi sequentis ».

Guyetus quoque (ibid., q. 2) notat, inusitatam fuisse dimidiationem vesperarum in plerisque antiquis breviariis, quorum usus est ut duplici concurrente cum alio duplici regulariter dicantur vesperae de sequenti, cum commemoratione praecedentis ; quia, uti iam saeculo IX quo vixit, Amalarius (*de ordine Antiphonarii*, c. 16) notavit, secundis vesperis primae

praestare creduntur. Quod et adhuc in ritibus retinetur; cum ex Caeremoniali Episcoporum (l. 2, c. 1), primae vesperae maiorum festivitatum solemnius celebrari ab Episcopo debeant, et aliquas respuant, ut videbimus, commemorationes, quas secundae vesperae admittunt. Catalanus (*Caerem. comm.*, loco cit.) ex Paride Crasso haec refert: « Sacra capella palatii apostolici servat, ut pro unoquoque festo solemni unicas celebret vesperas solemnes, sive Papa praesente, sive absente... praecedentes (intellige primae) vesperae pontificales celebrantur regulariter ». Quod certo probat, antiquitus frequentiori populi concursu celebrari consuevisse primas vesperas, ut docet Grancolas (*Comm. hist. Brev.*, 1 c. 38) maiorique solemnitate. Ultimis autem temporibus nostris res valde immutata fuit; nam fideles rari ad primas, frequentiores vero ad secundas festivitatum vesperas adsistunt, eo quod illae in feriali, hae in festiva die celebrantur. Hinc fit, ut hodie nonnulli Episcopi pontificaliter celebrent secundas potiusquam primas vesperas, id non prohibente Caeremoniali. Quoad vero leges liturgicas concurrentiae, adhuc primae vesperae solemniores ac nobiliores sunt quam secundae.

Ex alia tamen locutione Rodulphi Tungrensis, qui in fine saeculi XIV floruit (*De canonum observantia*), liquet iam aetate sua vesperas festorum aequalium dimidiari consuevisse; ait enim: « In duabus festivitatibus continue occurrentibus (intellige *concurrentibus*), communia vespera officiari non debet ex integro ». Idest, ut notat Guyetus, « Vesperae quae utrique officio concurrenti communes sunt, non debent esse integrae de alterutro, ergo dimidiandae ».

234. Ex his notionibus liquido profluit ratio qua in concurrentia duorum officiorum, quorum unum sit maioris nobilitatis, integrae dicantur huius vesperae cum commemoratione vesperarum minus nobilis, quod est secundus effectus concurrentiae. In casu, duo festa ad haereditatem non concurrunt, ut Guyeti tropum sequamur, eadem mensura, ideoque, festum solemnius et nobilius plus accipit quam aliud, cui datur sola commemoratio.

In novissima rubricarum breviarii, opportune adiecta sunt verba ulla sine exceptione: « In paritate dignitatis a capitulo de sequenti ». Cum enim antea, ex nonnullis S. R. C. decretis docuissent auctores, vesperas non esse dimidiandas, nisi concurrentibus duplicibus minoribus et semiduplicibus, nunc vero ad mentem decretorum n. 3563 et 3603, dimidiatio vesperarum agenda et in concurrentia festorum cuiuscumque classis.

Quod si festum solemnissimum concurrat cum alio ritus inferioris vel infimi, integrae vesperae illi tribuuntur, ita ut nil restet alteri. Hic est tertius concurrentiae effectus, quod quadruplici modo eveniri potest:

a) In I vesperis duplicis I classis non fit ulla commemoratio praecedentis duplicis maioris vel minoris, et semiduplicis, ideoque nec dominicae, nec diei infra octavam; excipe tamen dominicas et octavas privilegiatas, nec non ferias maiores, de quibus fit semper commemoratio, non autem ratione concurrentiae, sed ratione venerabilitatis seu temporis seu octavarum;

b) In I vesperis duplicis II classis, non fit commemoratio praecedentis semiduplicis, ideoque nec dominicae per annum, nec diei infra octavas non privilegiatas ut supra;

c) In II vesperis duplicis I classis non fit commemoratio sequentis festi simplicis, vel sequentis diei infra octavam non privilegiatam, fit vero commemoratio sequentis duplicis minoris vel semiduplicis etiamsi ad instar simplicis sit redactum;

d) Quando duo concurrentia officia sunt de eodem mysterio et de eadem persona, vesperae integrae fiunt de officio maioris ritus, sine commemoratione alterius. Quod si eiusdem sint ritus, tunc vesperae sunt de praecedenti officio sine sequentis commemoratione, uti decrevit S. R. C. decr. n. 2514 (cfr. n. 203).

Singulare privilegium collatum fuit, in reformatis rubricis diei octavae Corporis Christi, cuius II vesperae aguntur, licet in crastinum celebretur festum S. Cordis Iesu, ritu I classis. Singulare dicimus hoc esse privilegium, nam ex lege comuni, et iuxta praxim a S. R. C. probatam, in locis, ubi iam celebrabatur festum s. Cordis ritu I classis, vesperae erant integrae de sequenti festo, absque commemoratione praecedentis.

Dominica, utpote dies Domini, inter officia semiduplicia nobilius est, ideoque in concurrentia cum sequenti semiduplici habet integras vesperas, cum commemoratione ipsius semiduplicis. Ex adverso, in primis vesperis dominicae concurrentis cum praecedenti semiduplici, de hoc fiunt vesperae, et a capitulo sunt de dominica. Ratio huius differentiae legis in hoc sita est, quod officium dominicae non incipit nisi a capitulo, ideoque, non sumuntur psalmi et antiphonae vesperarum sabbati, quae feriales sunt, sed de concurrente officio semiduplici, quod est festivum.

235. Regulae quae supra positae sunt pro *occurrentia*, sci-

licet regulae traditae ad cognoscendam praeferentiam officiorum, quando simul occurrunt, non in omnibus similes sunt regulis *concurrentiae*. In occurrentia enim ritus quandoque humilior praevalet ritui nobiliori, ut ex gr. dominicae maiores, dies infra octavas Epiphaniae, Paschatis et Pentecostes, quae licet ritu colantur semiduplici, nihilominus in occurrentia praeferuntur duplicibus. Item Feria IV. Cinerum, Vigilia Nativitatis, et feriae maioris hebdomadae, licet ritus sint simplicis, praevalent tamen semiduplicibus ac duplicibus.

In concurrentia vero, prima regula et constans praelationis, est ritus; ita ut concurrentibus duobus officiis diversi ritus, officium ritus superioris praefertur alii inferioris ritus, nullo habito respectu ad rationem praecedentis vel sequentis. Quoniam vero ritus duplex, ut suo loco vidimus, in varias classes dividitur, et in varios ordines subdividitur, primo loco rubrica loquitur de duobus duplicibus eiusdem classis et ordinis simul concurrentibus, quae omnino paribus iuribus fruantur, ita ut rite dici possit, quod *sint eiusdem solemnitatis*; et dicitur quod: « Regulariter a capitulo fit de sequenti cum commemoratione praecedentis »; *regulariter*, quia ceteris paribus revera lex est, ut vesperae dimidientur, et exceptiones confirmant regulam, eo quod aliquando paritas desit.

Quando vero duo officia non sunt eiusdem nobilitatis, quod est nobilioris classis, praevalet minori, et in paritate classis, quod est nobilioris ordinis. (Cfr. nn. 140 et 144 nec non S. R. C. decretum n. 2053). Intelligitur etiam qualitas primarii, iuxta aliud decretum generale 3808, in quo edicitur: « Festa primaria, utpote solemniora, aliis secundariis praeferenda esse tam in occursu, quam in concursu »; quae praescriptio extenditur ad duplicia etiam minora et semiduplicia ex decreto 3837. Item intelligitur dignitas personalis, ita ut festa *digniora* ratione personae, in concursu cum minus dignis, praeferantur, ut dictum est n. 219.

Quia vero rubrica uti regulam pro concurrentia ponit differentiam officiorum, quae est pro translatione festorum assignata, scilicet citatur titulus X, n. 6, ubi proponitur ordo praeferentiae festorum in occursu, primo obtutu videretur praeferentiam festi *fixi* et festi *magis proprii* prae *mobili* et *minus proprio* a citata rubrica concessam in *occursu*, vim quoque habere in *concursu*; scilicet, concurrentibus duobus festis quorum unum *fixum*, et alium *mobile*, aut unum *proprium* et aliud *generale*, fixo et magis proprio integras vesperas esse tribuendas,

cum commemoratione mobilis et generalis. Nihilominus hanc non fuisse mentem legislatoris in ultima rubricarum emendatione, aperte eruitur ex S. R. C. decreto n. 1024, in quo declaratur: « Festum fixum prae mobili, et magis proprium prae minus proprio non eadem gaudent praecedentia in concurrentia, quam habent ceteris paribus in occurrentia, iuxta Rubricas Generales, tit. X, n. 6 ».

Restat ergo quod hic tradimus, circa praeferentiam festi primarii prae secundario, et dignioris prae minus digno, quam habent in occurrentia et in concurrentia, et nil aliud.

236. Nihilominus, quando unum ex concurrentibus officiis, alicubi agitur cum solemnitate, etiam extrinseca tantum, ceteris paribus eo in loco integras vesperas sibi vindicat, ait enim rubrica: « Praeferantur ... et festa illorum sanctorum, qui in propriis locis vel ecclesiis solemniter celebrantur, aliis in calendario descriptis ». Hoc autem intelligendum est, non quod sancti locales proprii, ordinem specialem constituant in dignitate, sed quod festum *proprium solemniter celebratum*, ceteris paribus habet integras vesperas in concurrentia cum aliquo Sancto ex *aliis in calendario descriptis*, scilicet in calendario breviarii, ideoque ex sanctis generalibus. Haec praeferentia conceditur ratione, non *proprietatis*, sed *solemnitatis*.

In hoc concordes habemus omnes liturgicos auctores cum Gavanto, Guyeto, Cavalerio et Merato: scilicet, ex duobus sanctis, eiusdem ritus et classis ac dignitatis concurrentibus, vesperae erunt integrae illius, qui in aliqua ecclesia celebratur *solemniter*, idest cum festivo apparatu et concursu populi. Non pauca S. R. C. decreta citari possent hanc rubricam declarantia, sub nn. 3122[1], 3664[13], 4119[3], 4395[11], 4401[18], 4488[17], et 4878[1], quae tamen, cum ex novissima editione sint expuncta, videretur in aliam hodie sententiam S. R. C. devenisse. Nihilominus in ea adhuc legitur decretum 2378, in quo ad 2 decernitur: « Festa per annum duplicia, quae solemniter celebrantur a choro, et in populo sunt de praecepto, in concurrentia cum aequalibus quoad ritum (ceteris paribus) possunt habere integras vesperas ». Verum, ex decreto 3122 antiquae collectionis, ut integras vesperas haberet Duplex solemniter celebratum, non exquirebatur conditio quod festum esset *de praecepto*, sed satis erat *concursus populi*; et ita docebant auctores ut de Herdt (p. 4, n. 305) et A Carpo (p. 2, n. 166, 4). Quid ergo hodie dicendum? S. R. C. citata decreta, aliam ob causam ex collectione authentica expunxit, an

revera nunc exquiritur in casu, non tantum solemnitas chori et concursus populi, sed et praeceptum fori?

Nobis videtur sic huic quaesitui respondendum esse: S. R. C. aliud decretum retinuit, n. 2218, in quo ad dubium? « An festa fori cum festis chori tantum, sed eiusdem ritus concurrentia, utrasque vesperas integras habere debeat », respondit: « Negative »; igitur conditio feriationis praeferentiam non dat super festum *solemniter* celebratum *in choro*; ergo *solemnitas chori* hoc in casu aequiparatur festivitati cum feriatione. Itaque concurrente festo *solemniter* celebrato in choro, et cum *concursu populi*, et alio festo eiusdem ritus, classis et dignitatis, ille debentur adhuc integrae vesperae. Ideoque ubi adest consuetudo, et festum aliquod revera *solemniter* celebretur, nec desit *populi concursus*, licet feriatio deficiat, continuari potest ob rationes expositas.

Rubrica loquens de festis simplicibus venientibus cum sequenti festo, dicit quod fit commemoratio, « non ratione concursus, sed quia eodem die occurrunt ». Scilicet de Sanctis simplicibus, qui occurrunt in crastino simul cum alio officio duplici vel semiduplici, fit commemoratio in secundis vesperis hodiernis, exceptis duplicibus I classis.

Animadvertenda est huiusce rubricae locutio: « fit commemoratio non ratione concursus »; ergo festum cuius non agitur officium, sed tantum fit commemoratio, rigorose loquendo in vesperis *non habet concursum*. Exemplum rem explicabit. Die 21 Septembris in II vesperis (dupl. II class.) s. Matthaei ap. fit commemoratio sequentis duplicis s. Thomae a Villanova, nec non et simplicis ss. Mauritii et soc. Mm., qui simul cum s. episcopo die 22 occurrunt. De hisce ss. Martyribus agitur in II vesperis s. Matthaei commemoratio, *non quia concurrunt*, ait rubrica, de eis enim nequit Officium fieri, sed quia occurrunt, ut diximus, cum festo s. Thomae, cuius festi sunt potius veluti appendix (1). Dicendum ergo est quod simplex, in casu, licet re-

(1) Quod hic dicitur a rubrica de simplici, optime applicatur ad officium ad instar simplicis redactum. Hinc, sicut nos iam ab anno 1888 docuimus (V. *Ephemer. Liturg.*, vol. II, p. 229), et usque ad 1894, contra plurimos defendimus, festum duplex simplificatum commemorari debet post officium semiduplex concurrens, eo quod simplificatum, in casu, revera *non concurrit*. Haec nostra sententia, contra veteres scriptores, et non paucos ex recentioribus, tandem a S. R. C. uti lex statuta fuit per decretum 3843.

vera occurrat cum duplici sequenti, in II vesperis tamen festi praecedentis toto iure non concurrit; et sicut in crastino, ita et hodie in vesperis commemoratur.

237. Dies octavi festorum primariorum Domini in concurrentia praevalent non tantum duplicibus minoribus, sed et maioribus; ergo huiusmodi dies octavi, licet duplicia dicantur, ullo sine addito, nihilominus revera duplicia maiora sunt, ut n. 142 innuimus.

Quod multifarie probatur. Quomodo definiuntur duplicia maiora? Vide catalogum festorum in breviario ante duas tabellas occurrentiae et concurrentiae, et ibi hanc definitionem leges: Duplicia maiora sunt illa *quae aliis duplicibus minoribus praeferuntur*. Atqui dies octavi festorum Domini in occurrentia et concurrentia, praeferuntur omnibus duplicibus minoribus, imo et omnibus aliis maioribus, ergo ad unguem illis applicatur data definitio; ergo revera ritu gaudent duplici maiori.

Praeterea, nullus datur casus in quo officium aliquod ritus inferioris, praeferatur in *concurrentia* officiis ritus superioris. In *occurrentia* quidem pluries officium semiduplex, ut dominica maior, imo et simplex, ut feria item maior, praefertur officio duplici licet classicum sit; in concurrentia vero numquam. Atqui, si dies octavi festorum primariorum Domini, ritu gauderent duplici minori, et praeferentiam haberent, in concurrentia super duplicia maiora, hoc esset contra supradictam legem constantem, et nullam admittentem exceptionem, ergo dicendum est quod revera ritu gaudeant duplici maiori, non autem minori.

Gavantus, qui interfuit recognitioni breviarii sub Clemente et Urbano VIII[is], ac proinde intentionem genuinam reformantis Congregationis noverat, aperte hoc docet (C. 2, n. 6): «Duplicia maiora per annum, quae ut dicemus, integras habent vesperas in concursu cum aliis duplicibus minoribus, sunt haec: Transfiguratio Domini, Exaltatio s. Crucis, Festum Nivis, Visitatio, Praesentatio, Conceptio B. Mariae, Apparitio s. Michaelis, Cathedra s. Petri utraque, Festum eiusdem ad vincula, Conversio s. Pauli, Festum s. Ioannis ante portam latinam, s. Barnabae, dies octava Epiphaniae, dies item octava Corporis Christi et Ascensionis eiusdem. Sunt autem festa haec n. 16 universalis Ecclesiae». Equidem tempore Gavanti, in breviario romano, nonnisi 13 festa recolebantur sub ritu duplici maiori, quibus si adiiciantur tres dies octavae Epiphaniae, Ascensionis et Corporis Christi sexdecim erant duplicia maiora. Nescimus cur Gavantus

hic omiserit diem octavam Paschatis. Meratus autem hunc locum Gavanti exponens, licet explicite huiusmodi dies octavos inter duplicia maiora non enumeret, « in concurrentia tamen – dicit quod – sunt ad instar duplicium maiorum.

Id videtur supposuisse S. R. C. in decreto n. 4594 antiquae Collectionis; in eo enim, ad V quaesitum declaravit: « Vesperas esse dimidiandas concurrente die octava Dedicationis, ss. Angelorum, s. Io. Baptistae, s. Ioseph, ss. Apostolorum, cum alio duplici minori eiusdem ritus ». In casu enim dies octavi praedicti uti duplicia minora *eiusdem ritus* reputabantur; ergo alii dies octavi, qui non dividunt vesperas, revera uti duplicia maiora, seu *non eiusdem ritus* iure habentur.

Ceterum S. R. C. iam ab anno 1704, die 13 Septembris, decreto suo n. 2145 declaraverat: « In ecclesiis, in quibus festum SS. Trinitatis est I classis, concurrentibus vesperis diei octavae eiusdem cum duplici maiori sequenti, vesperas fieri integras de die octava cum commemoratione sequentis, ut rubrica praescribit in octavis Epiphaniae, Paschatis, Ascensionis et Corporis Christi ».

Neque opponat quis, dies octavos horum festorum inscriptos non esse inter duplicia maiora, quae leguntur in catalogo festorum ante tabellam occurrentiae, ideoque hunc ritum illis tribui non posse; ratio est, quia, de duplicibus maioribus nihil unquam dicunt rubricae generales, et nisi in eodem catalogo inscriberentur, nemo sciret quae festa tali ritu recolenda forent. Dies autem octavi praedicti hoc loco rubricarum recensentur, iisdemque ius tribuitur integras semper habendi vesperas in concursu quoque cum duplici maiori, easque non cedendi nisi duplicibus I et II classis; ergo cum de huiusmodi octavis diebus iam rubricae egerint, necesse non erat ut in catalogo praedicto denuo recenserentur.

Praeterea de duplicibus maioribus ipso in catalogo, ut vidimus, dicitur illa esse: *quae aliis duplicibus minoribus praeferuntur*, et bene; dies autem octavi festorum Domini non tantum *minoribus*, sed et *maioribus* duplicibus praeferuntur; ergo inscribi cum illis non poterant, nisi cum aliqua alia declaratione.

238. Quod melius comprobatur ex S. R. C. decreto d. d. 4 Martii 1901 in *Utinen.*, in quo ad quaesitum II: « In concursu diei octavae Dedicationis propriae ecclesiae cum festis Transfigurationis Domini, vel Dedicationis basilicarum SS. Salvatoris et

ss. apostolorum Petri et Pauli almae Urbis, quomodo ordinandae sunt vesperae? » responsum fuit: ad II: « Dies octava dedicationis Ecclesiae propriae non cedit, iuxta Rubricas, nisi duplici secundae classis ».

Ergo dies octavi festorum Domini primariorum et solemniorum, seu I classis, tum universalis Ecclesiae, tum alicuius loci ritu gaudere *duplici maiori* toto iure dicendi sunt. Igitur in locis quibus SS. Cor vel Crux D. N. I. C. sunt ecclesiae tituli, et ubi SS.Trinitas, s. Salvator etc. ritu I classis recoluntur, eorum dies octavi ritu gaudent duplici maiori.

Quod confirmatur ex alio S. R. C. decreto 24 Maii 1901, *Dubiorum* ad VII, in quo declaratur, diem octavam Dedicationis propriae ecclesiae, concurrentem cum Dedicatione ss. Petri et Pauli, quae ritu duplici maiore colitur, habere integras vesperas.

Gardellinius quoque in suffragio ad decr. n. 2632 (vol. IV, pag. 246), scribit: « Dominica in Albis est ritus duplicis maioris. Adde etiam quod S. R. C. in suo decreto n. 2928 antiq. collectionis, ad 12, aperte declarat; Dies octavae quarumcumque festivitatum (excepto die octavo Epiphaniae, Paschae, Ascensionis, Corporis Christi) sunt duplicia minora »; ergo dies octavae hic exceptae duplicia sunt maiora.

Neque valet opponere, dies octavas Epiphaniae Paschatis, Ascensionis, et Corporis Christi in breviario inscribi sub ritu *duplici*, ac proinde iuxta S. R. C. decreta 1719 et 1721, quando qualitas ritus non explicatur, vox *duplex*, ullo sine addito, intelligenda est *duplex minus*; primo quidem, quia citata decreta loquuntur de novis officiis, quae a S. R. C. conceduntur, cum notatione ritus *duplicis*, qui intelligi debet *duplex minus*, non vero de officiis breviarii; secundo autem, quia quisque novit in omnibus breviariis, ante medium saeculum XIX editis (1), tam

(1) Sub oculis habemus editionem breviarii, typis Salviucci Romae cusam anno 1848, quae hanc exhibet inscriptionem: « Breviarium Romanum etc ....a S. Rituum Congr. iuxta sancitas leges revisum », atque in fine voluminis refert: « Concordat cum originali existenti penes Congregationem Sacrorum Rituum. In fidem etc. I. G. Fatati S. R. C. Secr. ». In hac ergo editione omnia festa calendarii, cuiusque sint classis, notatum ritum cum voce tantum *duplex*, ut supra dictum est, item et in corpore breviarii, in officiis vero *pro aliquibus locis* inveniuntur festa cum adnotatione classis, ex gr. Desponsatio b. Mariae *duplex maius*, et officium proprium pro clero Urbis, Immaculatae Conceptionis cum indicatione ritus *duplex II classis cum octava.*

in calendario quam in propriis festorum diebus numquam apponebatur ulla classis mentio pro duplicibus. Ex. gr. habetur: ss. Petri et Pauli *duplex*, s. Laurentii M. *duplex*, s. Barnabae ap. *duplex*, s. Antonii a Padua *duplex*, licet sint, respective *dupl. I classis*, *dupl. II classis*, *dupl. mai* et *dupl. minus*.

Coeptum est postea, praesertim in editionibus parisiensibus, sensim sine sensu, et sine explicita S. R. C. adprobatione, festa classica ritu suo proprio consignari: nihilominus in editionibus, etiam post typicam anni 1885, adhuc prostant in proprio de tempore festa solemniora, sine ulla ritus indicatione, ex gr. *In Nativitate Domini*, *Epiphania Domini*, *Dominica Resurrectionis*, *In festo SS. Trinitatis*, quae relicta fuere absque voce ipsa *duplex*. Cum autem, marte proprio, diversae classes duplicium adnotatae sunt ab editoribus in breviariis circa medium saeculum XIX, parum interest si octavi dies Epiphaniae, Paschatis, Ascensionis et Corporis Christi voce tantum *duplex* adnotati manserint, id nihil officit ut revera sint *duplicia maiora*.

239. Si autem sequens Festum fuerit duplex II classis, et a fortiori si fuerit I classis, vesperae erunt integrae de sequenti, cum commemoratione octavae. Adverte quod aliqui dies dies octavi, de quibus hic agitur, in occurrentia excludunt duplicia ipsa I classis, ut dies octavi Epiphaniae et Paschatis et dies octava Corporis Christi duplicia II classis, nihilominus in concurrentia hisce classicis duplicibus cedunt. Ergo confirmatur argumentum nostrum iam supra allatum; si praedicti octavi dies etiam in concurrentia duplicibus maioribus praeferuntur, ritu gaudent saltem eiusdem gradus, scilicet duplici maiori.

Notandum est autem, in rubrica praecipi in I vesperis duplicis II cl. commemorationem fieri de die octava praecedenti, et bene; duplex enim II classis commemorationem non respuit duplicis maioris et minoris concurrentis; quid vero si duplex concurrens cum die octava fuerit I classis? Num et in huius vesperis agenda erit commemoratio diei octavae praecedentis? Si ageretur de diebus octavis communibus, certo certius commemoratio non fieret, dicente tabella concurrentiae: « Quando concurrit dies octava cum duplici I classis, totum fit de sequenti nihil de praecedenti ». Si agatur de diebus octavis Epiphaniae, Paschatis et Corporis Christi, certo facienda esset earum commemoratio etiam in I vesperis concurrentis duplicis I classis, eo quod, sicut commemoratio semper fit infra easdem octavas privilegiatas, a fortiori in ultimo die non erit omittenda. Si vero

agatur de diebus octavis Ascensionis, aliorumque festorum primariorum Domini, aliud dici deberet, nam huiusmodi octavae privilegiatae non sunt. Adde quod S. R. Congr. in decreto n. 3624, declaravit ad VII: « Quando concurrit dies octava SS. Trinitatis cum sequenti duplici I cl., fieri non debere commemorationem octavae praedictae, et servari rubricam de concurrentia ».

Nihilominus, aliud hodie, ob afferendas rationes, esse dicendum putamus; primo quidem, quia *Ephemerides Liturgicae*, anno 1901, pag. 338; innuerunt: in decreto 3624 ad VII, responsioni *Negative*, sufficiendum esse verbum *Affirmative*: et rubricam, quae ibi servanda dicitur, illam esse quae reformata prostat post tabellam concurrentiae; secundo, quia haec reformata rubrica explicite docet: « In secundis vesperis diei octavae festorum Domini, si primaria fuerint et solemniora, uti Epiphaniae, Paschae, Ascensionis, aliorumque, de sequenti duplici fit tantum commemoratio, nisi hoc fuerit I aut II classis; quia tunc de eo fieret officium et de octava commemoratio »; tertio, quia S. R. C. id explicite declaravit, suo decreto d. d. 4 Maii 1901; ibi enim ad dubium IX respondit: « In primis vesperis festi duplicis I classis commemorationem diei octavae dedicationis propriae ecclesiae esse faciendam ». Res ergo indubia nunc est, atque in hoc novam concurrentiae regulam habemus. Quamobrem si tu hodie ex. gr. officium persolvis diei octavae Transfigurationis Domini, vel SS. Crucis, quia tituli sunt ecclesiae, et cras celebrabis duplex aliquod I classis, in huius primis vesperis de die octava praecedentis commemorationem ages. Hanc novam legem calendariorum ordinatores prae oculis nunc habeant, et sciant quod octavae Ascensionis aliorumque festorum Domini primariorum I classis, hodie privilegiatae sunt, non in diebus infra octavam, sed in ipsa die octava cuius commemoratio deinceps omittenda non erit neque in concurreutia cum sequenti duplici I classis (1).

Non parva tamen oriri potest quaestio, quando habeatur concurrentia diei octavae alicuius festi I classis universali, cum die octava alicuius festi Domini, pariter I classis, primarii, sed particularis.

(1) Romae ergo, in ecclesia s. Eusebii, cuius festum agitur die 14 Augusti, in I vesperis s. Titularis nunc facienda est commemoratio praecedentis diei octavae Transfigurationis Domini.

Sit casus: Die 16 Decembris occurrit dies octava dedicationis meae ecclesiae, et pridie celebrata est dies octava Immaculatae Conceptionis; quomodo ordinabo vesperas? Si dies octava dedicationis hodie haberet, ut prius, ritum duplicem minorem tantum, tunc licet dedicatio sit festum Domini, cedere deberet vesperas diei octavae Immaculatae. Ratio est, quia festum Immaculatae, sicut et alia festa primaria I classis Ecclesiae universalis, recensetur inter duplicia I classis *primi ordinis*. Dedicatio vero inter duplicia I classis *secundi ordinis*; Si ergo festum istud cedit festo Immaculatae, item cedere deberet eius octava dies diei octavae Immaculatae.

Hoc autem non parvum esset inconveniens; nam in casu dies octava Immaculatae, quae vesperas cedit concurrenti duplici maiori, praevaleret diei octavae dedicationis, quae praevalet duplici maiori; quod esset contra notum adagium: *Ego vinco vincentem te, ergo vinco te.* Hoc autem inconveniens eliminatur omnino nunc, quia dies octava dedicationis, quae est festum Domini primarium, et solemnius, ritu gaudet duplici maiore, ergo vesperas non cedere non debet diei octavae Immaculatae.

240. Simplex cum alio non potest concurrere in secundis vesperis, quia concursus datur inter secundas vesperas praecedentis et primas sequentis; cum autem simplex secundis careat vesperis, nunquam concurrere potest cum alio simplici. Igitur solummodo in primis simplex cum officio semiduplici vel duplici concurrere potest, ideo si sequatur aliud simplex, psalmi erunt de feria occurrenti, et a capitulo fit de sequenti simplici; itaque cum praecedens desiverit ad nonam, de eo nil amplius fieri potest, ideoque vesperae erunt de sequenti festo simplici. Cur autem vesperae festorum ritus simplicis sumere debeant, non tantum psalmos, sed et antiphonas e psalterio, et cur a capitulo solummodo incipiantur, nullus ex liturgicis scriptoribus docet. In laudibus, festum simplex sumit psalmos de dominica et antiphonas de communi: quare non et in vesperis?

Rubrica loquens de feriarum concursu ait: « Feria non potest concurrere cum alio officio in secundis vesperis, neque cum ipsa potest esse concursus in primis vesperis, quia eius officium incipit et desinit ubi desinit et incipit quodcumque aliud officium »; illud enim incipit a matutino et desinit ad completorium, si aliud festum ad vesperas non concurrat, si autem concurrat aliud festum, officium feriale tunc desinit ad Nonam (Cf. n. 190). Aliis verbis, feria concurrere nequit, quia nunquam habet pri-

mas vesperas, et secundas sive unicas habet, quando aliud non subintrat officium.

Sequitur obscurissima rubrica, quae sic se habet: « Quamvis proprie [si ei dandum est principium], sequente feria post aliam feriam, eius officium incipiat a matutino, et terminetur, sequente alia feria ad completorium, et ideo si feria sequatur aliam feriam, in vesperis praecedentis feriae nihil fit de sequenti, quoad ea, quae in sequenti feria sunt propria ». Valde obscura videtur huiusmodi locutio; etenim, adverbium *quamvis*, cum quo incipit prima propositio, necessario relativum adverbium *nihilominus*, vel *attamen*, requirit in sequenti propositione. ut sensus habeatur. Hic vero verborum sensus suspensus remanet, usque ad finem primae et secundae propositionis, quia voces *incipiat* et *terminetur* ab adverbio *quamvis* ambo reguntur, quin sensus absolvatur. Subintrat tertia propositio: *et ideo si feria sequatur*, etc., quae sensum suum haberet, si duae praecedentes propositiones conclusionem aliquam tulissent.

Omnes breviarii editiones hunc locum rubricarum, uti iacet in novissima, referunt; non exclusa editione post correctionem Clementis VIII, et illa quam habet Gavantus in suo commentario. Haec tamen eadem rubrica n. 9 legitur in breviario Pii V, sed multo clarior ibi lectoribus apparet dicens: « Quamvis proprie [si ei dandum est principium], sequente feria post aliam feriam, eius officium incipiat a matutino, terminatur tamen sequente alia feria ad completorium: et ideo, etc. Huiusmodi locutio sensum refert expletum apertumque, ac propterea nescimus quomodo in correctione, sub Clemente VIII, corrupta, ut nunc est, evaserit, mutando verba: *terminatur tamen*, in: *et et terminetur*, quae tantam gignunt obscuritatem.

Nullus ex scriptoribus, Gavanto non excepto, qui correctioni breviarii sub Clemente et sub Urbano VIII[is] praesens fuit, mendum hoc animadvertit; quinimo etiam in ultima revisione nostris hisce temporibus facta rubricarum incorrectum remansit.

Forsan sub Clemente VIII, mutata est locutio: *terminatur tamen*, in: *et terminetur*, cum mente auferendi verba insequentia: *et ideo si feria sequatur aliam feriam*, quia tunc sensus rubricae hic esset: « Quamvis proprie, sequente feria post aliam feriam, eius officium incipiat a matutino et terminetur sequente alia feria ad completorium, in vesperis praecedentis feriae nihil fit de sequenti », etc.

Nihilominus hic locus rubricarum, quid sibi velit sufficienter

intelligitur, tum ex genuina antiqua locutione s. Pii V, tum ex sequenti exemplo quod tradit rubrica: *Verbi gratia*, etc. Hoc itaque intelligit rubrica, idest: feria non potest concurrere cum alio officio, quia eius officium incipit et desinit, ubi desinit et incipit aliud: ideoque si feria sequatur aliam feriam, in vesperis praecedentis nihil fit de sequenti, eo quod officium feriale incipit a matutino et terminatur ad completorium (Cfr. n. 189).

In Adventu et quadragesima semper fit commemoratio feriarum etiam in vesperis, cum propriis antiphonis, quacumque occurrente festivitate, ut diximus n. 189; ideoque commemoratio feriarum in vesperis, in adventu et in quadragesima, non fit *ratione concursus*, ut hic ait rubrica, quia feria nunquam concurrere potest, sed revera ratione *occursus*. Notandum ergo est, quod in casu commemoratio duplicis vel semiduplicis simplificati, in quadragesima semper facienda est in vesperis ante feriam, licet de ea in crastino persolvendum sit officium, ad mentem decreti generalis n. 3843. Ex. gr. hodie, feria VI post Cineres agitur in mea ecclesia festum Spineae Coronae cum commemoratione s. s. Casimiri semiduplicis simplificati et feriae; cras vero et sabbatum, et fit officium de eo. Quomodo ordinabo commemorationes in secundis vesperis Spineae Coronae? Citatum decretum ait: « Post orationem diei, ante ceteras commemorationes semper agendam esse de alio cuiuscumque ritus festo, quod concurrat ». Sed feria proprie non concurrit, ut expresse tradit rubrica, ergo licet de feria in crastino dicendum sit officium, nihilominus in casu proposito commemoratio feriae fiet post commemorationem simplificati s. Casimiri. Ratio est, quia diversimode sumitur officium simplicis et officium feriae. Festum simplex revera *concurrit*, habet enim primas vesperas: minime vero feria. Hinc si hodie in vesperis alicuius festi mobilis commemorare debeam festum simplificatum, huiusmodi commemorationem postponam commemorationi simplicis sequentis, si de eo cras persolvendum sit officium; non vero postponam commemorationi feriae, quae nihil habet in pridianis vesperis.

CAPUT L.

NOVA TABELLA CONCURRENTIAE

241. Ad maiorem illustrationem legum concurrentiae, ponitur in breviario tabella, sicut et proponitur pro occurrentia; sicque facilius, prae oculis habetur quid sit agendum in quibsuis casibus. Haec concurrentiae tabella in nuperrima recognitione non parvas mutationes et adiectiones passa est. Venit autem notandum, quod festa in prima tabellae parte, lineis horizontalibus descripta, concurrunt in secundis suis vesperis, cum primis festorum, quae in quarta parte lineis verticalibus inscribuntur. Hinc, cum notae numeris 1, 2, 3, 4 et 5, signatae in tertia parte tabellae dicunt *praecedens*, intelligendum est festum in prima parte tabellae inscriptum, cum dicunt *sequens*, referendum est ad festum in quarta parte recensitum.

Haec autem tabella, licet immutata, uti diximus, non distinguit festa primaria et secundaria; quapropter pro eius usu animadvertendum erit: Si festum primarium concurrat cum secundario eiusdem ritus, totum fit de primario cum commemoratione secundarii.

In breviarii tabella bene poterat omitti haec inscriptio; *Patronus, seu titulus ecclesiae*, quia duo haec festa satis abundeque sub voce *duplex I classis* iam comprehenduntur, huiusque ritus legibus prorsus reguntur. In tabella tam Pii V, quam Clementis VIII et Urbani VIII, in concurrentia duplicis I classis cum Patrono loci, seu cum titulo ecclesiae signabatur **0**, « non quia, ait Meratus (ad hunc locum), huiusmodi concursus minime accidere possit, sed quia nos remittit ad rubricas generales praesertim tit. XI, n. 2, ubi, pro huiusmodi festorum ordinando concursu, sufficienter disponitur, si recte expendantur ea quae ibi habentur ». Quae Merati ratio nimis probat, omnes enim leges utriusque tabellae iam in rubricis continentur; ideoque recte dicuntur in breviario *Duo tabellae ex rubricis generalibus excerptae.* In novissima recognitione anni 1897, pro concurrentia duplicis 1 classis cum patrono loci, seu titulo ecclesiae, et *vice-versa*, litterae 0 suffectus est numerus 6, qui ad regulam 6 mittit,

dicentem: *Totum de digniori, commemoratio de minus digno.* Quod probat, ullo sine incommodo, omitti potuisse, inter festa concurrentia, *Patronus, seu titulus ecclesiae.* Nescimus autem qua de causa in concurrentia *Patroni loci* cum *titulo ecclesiae*, omissa litteru 0, suffectus non fuerit numerus 6; casus enim impossibilis non est.

In commodum tamen tyronum hic aliam tabellam concurrentiae subiicimus, quae faciliori modo regulas tradit pro concursu, cuiuscumque sit generis.

Tabella pro quibuscumque Concurrentiis.

QUANDO CONCURRIT	cum Simplici	cum S. Maria in Sabbato	cum Officio votivo per annum	cum Die infra octavam	cum Semiduplici secundario	cum Semiduplici primario	cum Duplici minore primario	cum Duplici minore secund	cum Duplici maiore secund	cum Duplici maiore primario	cum Die octava fest. prim. D.ni	cum Duplici II cl. secundario	cum Duplici II cl. primario	cum Duplici I cl. III ord. secund.	cum Duplici I cl. III ord. prim.	cum Duplici I cl. II ordinis	cum Duplici I cl. I ordinis	cum Duplici I cl. quacumque	cum Dominica
Dominica maior	4	0	4	4	4	4	3	3	3	3	3	3	3	3	3	3	3	0	
Dominica minor	4	0	4	4	4	4	3	3	3	3	3	1	1	1	1	1	1	0	
Duplex I classis I ordinis	2	2	4	2	4	4	4	4	4	4	4	4	4	4	4	4	6	4	
Duplex I classis II ordinis	2	2	4	2	4	4	4	4	4	4	4	4	4	4	4	6	3	4	
Duplex I classis III ordinis primarium	2	2	4	2	4	4	4	4	4	4	4	4	4	4	6	3	3	4	
Duplex I classis III ordinis secundarium	2	2	4	2	4	4	4	4	4	4	4	4	4	6	3	3	3	4	
Duplex II classis primarium	4	4	4	4	4	4	4	4	4	4	4	4	6	3	3	3	3	4	
Duplex II classis secundarium	4	4	4	4	4	4	4	4	4	4	4	6	3	3	3	3	3	4	
Dies octava festorum primariorum D.ni	4	4	4	4	4	4	4	4	4	4	5	3	3	3	3	3	3	4	
Duplex maius primarium	4	4	4	4	4	4	4	4	4	6	3	3	3	1	1	1	1	4	
Duplex maius secundarium	4	4	4	4	4	4	4	4	6	3	3	3	3	1	1	1	1	4	
Duplex minus primarium	4	4	4	4	4	4	4	6	3	3	3	3	3	1	1	1	1	4	
Duplex minus secundarium	4	4	4	4	4	4	6	3	3	3	3	3	3	1	1	1	1	4	
Semiduplex primarium	4	4	4	4	4	5	3	3	3	3	3	1	1	1	1	1	1	5	
Semiduplex secundarium	4	4	4	4	5	3	3	3	3	3	3	1	1	1	1	1	1	5	
Dies infra octavam	4	0	0	0	3	3	3	3	3	3	0	1	1	1	1	1	1	5	
Officium votivum per annum	4	4	5	0	3	3	3	3	3	3	0	1	1	1	1	1	1	5	

1. Totum de sequenti, nihil de praecedenti.
2. Totum de praecedenti, nihil de sequenti.
3. Totum de sequenti, commemoratio de praecedenti.
4. Totum de praecedenti, commemoratio de sequenti.
5. Capitulum de sequenti, commemoratio de praecedenti.
6. Totum de digniori, commemoratio de minus digno: in pari dignitate a Capitulo de sequenti, commemoratio de praecedenti.

CAPUT LI.

DE COMMEMORATIONIBUS

242. Commemoratio, uti vox ipsa significat, nihil aliud est nisi ad memoriam revocatio. In sensu autem liturgico, commemorationis vocem usurparunt latini Patres, pro recitatione nominum eorum, quos *Fideles* vocant, quae fiebat in sacra missae liturgia; ita Du Cange, ad hanc vocem. In collatione Carthaginensi (cap. 230) ab eodem citata legitur: « In ecclesia sumus, in qua Coecilianus episcopatum gessit et diem obiit. Eius nomen ad altare recitamus, eius memoriae communicamus tanquam memoriae fratris »; et Fortunatus (lib. 10, poem. 10) de sancto episcopo Martino agens, eum sic alloquitur:

> Nomina vestra legat Patriarchis atque Prophetis,
> Cuius hodie in templo diptychus edit ebur.

Haec tamen commemoratio quotidiana in canone missae diversa est ab illa, quae in anniversaria die, sive natali, cuiusque sancti agebatur. In actis enim sanctorum, dies obitus vel martyrii diligenter adnotabatur, et in Martyrologiis vel calendariis postea signabatur, ut quotannis eius *memoria*, sive commemoratio ageretur. Adhuc in Martyrologio Romano saepe saepius dicitur agi *memoria* alicuius sancti, et in hoc casu vox memoria sumitur pro festo.

Similiter cum in rubricis habetur commemorationem agi alicuius festi, intelligitur memoriam fieri de festo cuius officium nequit recitari; iuxta doctrinam Guyeti (lib. 4, sect. 1, c. 1, q. 1) qui scribit: « Eius fit commemoratio, de quo fieret officium, nisi ab alio digniore impediretur. Est itaque commemoratio pars quaedam exigua officii, in ipsius integri locum substituta, et quasi vicem supplens ». Uti enim iam vidimus (cfr. n. 40) duabus de causis alicuius officii fit commemoratio, vel quia occurrit eadem die cum alio officio maioris nobilitatis, vel quia cum eo concurrit in vesperis.

Hoc porro capite agendum nobis erit de commemorationibus, causatis sive ab occurrentia sive a concurrentia officiorum, atque docebimur: 1° quibus diebus, et de quibus festis seu officiis, facienda sit commemoratio; 2° quomodo et in qua parte divini officii; 3° quo ordine, quando multae sunt simul faciendae. De his singulis singillatim dicemus.

243. Rubrica primo agit de festis simplicibus, eo quod cum festum simplex nunquam transferatur, et tamen contingat facilius impediri a nobiliori officio, utpote infimae dignitatis, saepissime contingit de eo fieri commemoratio. Mens namque ecclesiae est, ut saltem fiat commemoratio de impedito officio, de quo aliquid proprium habeatur, ne totum pereat, et omittatur. Hinc de feriis Quadragesimae et II Rogationum, quae ex proprio habent antiphonam, orationem et homiliam: de feriis Adventus quae habent saltem antiphonas ad *Benedictus* et *Magnificat* proprias; de vigiliis quae orationem et homiliam propriam habent; et de sanctis simplicibus, qui habent orationem et saepius lectionem historicam, cum impediuntur, agitur commemoratio. De feriis vero per annum, extra Adventum et Quadragesimam, quae nihil habent proprii (nisi lectiones de Scriptura, quae ut plurimum non omittuntur, licet occurrat festum), nihil agendum est, nihil enim perit de earum officio (1).

Commemoratio autem feriarum maiorum (cfr. n. 189) nempe Adventus, Quadragesimae, Quatuor Temporum et secundae Rogationum, numquam omittitur etiam in occurrentia, vel concurrentia, alicuius duplicis I classis. Commemoratio vigiliarum omittitur in officio Adventus et Quadragesimae, et in duplicibus I classis.

De dominicis maioribus (cfr. n. 182) numquam omittitur commemoratio, quando impediuntur, ex legibus sive occurrentiae sive concurrentiae. Item de dominicis minoribus; harum tamen commemoratio, omittitur in I vesperis duplicium I vel II classis.

(1) Excipe ferias II, III, IV et V post dominicam Septuagesimae, et II, III et IV post Sexagesimam, nec non II et III post Quinquagesimam, quae licet habeant antiphonam propriam ad *Magnificat*, nihilominus omittuntur omnino, quando de eis fieri nequit totum officium. Rationem huius frustra quaesivimus in liturgicis auctoribus, qui tantum notant has ferias esse communes, ideoque non commemorandas cum impediuntur.

De octavis privilegiatis (cfr. n. 200) numquam omittitur commemoratio; idem dicatur hodie de die octava cuiusvis primariae Domini festivitatis (cfr. n. 237). De octavis communibus omittitur commemoratio in duplicibus I et II classis, in duplicibus tamen II classis ad II vesperas admittitur commemoratio sequentis diei infra octavam (cfr. n. 205).

De die vero octava communi fit commemoratio semper in occurrentia, etiam in duplicibus I classis, in concurrentia vero fit, vel omittitur, commemoratio prout de aliis duplicibus edicitur. De officio sanctorum, semiduplici vel etiam duplici, et aliquando etiam de duplici doctoris Ecclesiae, vel de duplici maiore, si infra annum transferri nequeunt (Cfr. n. 225) fit commemoratio in occurrentia semper, nisi occurrat duplex I classis. In concurrentia semiduplex amittit commemorationem in I vesperis duplicis I vel II classis; duplex vero maius vel minus pariter in I vesperis duplicis I classis non commemoratur.

244. Commemorationes in divino officio fiunt in vesperis et laudibus, ac etiam quandoque ad matutinum; fiunt autem hoc modo iuxta rubricam. Post orationem diei in vesperis dicitur antiphona quae posita est ad *Magnificat*, et in laudibus, quae posita est ad *Benedictus*, de officio, cuius agitur commemoratio. Post antiphonam dicitur versus ut plurimum ex eodem loco unde sumpta est antiphona, scilicet post hymnum vesperarum vel laudum, deinde dicitur oratio.

Sicque, ut alibi notavimus (cfr. n. 40), in unaquaque commemoratione, quae non est nisi contractio seu compendium totius officii commemorati, habentur tria elementa ipsius officii, nempe e *psalmodia*, sumitur antiphona, e *lectione*, versiculus, ex *oratione*, oratio ipsa.

Ratio, dicit Gavantus (sect. III, c. 11, n. 31) « cur pro commemoratione sumantur antiphonae ad *Magnificat* et *Benedictus*, ea esse potest, quia sunt nobiliores antiphonae, tum ratione canticorum evangeliorum, tum vicinioris aditus ad orationem, seu collectam quae dicitur pro commemoratione ». Cui adstipulatur Guyetus (loc. cit., q. 2). Cum pace tamen tantorum virorum nobis placet rationem hic proferre, quae ex natura rei profluit. Commemoratio officii impediti, fit tantum in vesperis et laudibus, et dicitur IX lectio aliquando in matutino, nihil vero in aliis minoribus horis. Porro quando commemoratio fit in vesperis, naturaliter antiphona pro commemoratione sumenda est illa, quae in illa officii parte diceretur, si de festo impedito ageretur of-

ficium ipsum. Sint ergo, vel non sint, nobiliores antiphonae ad *Magnificat* et *Benedictus*, ut volunt Gavantus et Guyetus, illae, et non aliae, sumendae sunt in commemorationibus, quia respondent momento liturgico illius horae.

245. Antiphonae et versiculi pro commemorandis feriis vigiliis et dominicis, sumuntur ex psalterio et ex proprio de tempore; pro commemorandis octavis, vel ex diebus infra octavam, si habeantur propriae antiphonae, vel ex festo octavam habente; pro commemorandis sanctis sumuntur vel in proprio sanctorum, vel de communi.

Aliquando contingere potest, quod in officio de communi alicuius sancti agenda sit commemoratio alterius sancti de eodem communi; in hoc casu ne bis dicatur eadem antiphona et idem versus, pro commemorando simplici, antiphona et versus in vesperis sumuntur e laudibus, et ad laudes sumuntur e primis vesperis.

Si autem commemorandum sit aliquod festum duplex vel semiduplex ad instar simplicis redacti, tunc iuxta novam legem a nobis propositam, et a S. R. C. in ultima rubricarum emendatione admissam, in primis vesperis antiphona et versus sumuntur e secundis, in laudibus e primis vesperis, et in secundis vesperis antiphona sumitur e laudibus et versus e primis vesperis. Huiusmodi autem mutatio pro festo simplificato, locum habet tantum quando festum redactum ad ritum simplicem habere debet utrasque vesperas, hoc est, non solum in primis vesperis et ad laudes, sed etiam in secundis vesperis commemorandum est. Si enim tertia commemoratione careat, tunc vult rubrica, ut antiqua lex pro simplici assignata locum habeat. Ratio est, quia si commemoratio in secundis vesperis non habeat, tunc festum simplex et festum simplificatum nihil differunt quoad commemorationes; ergo convenit ut simplificatum sequatur legem simplicis, cui assimilatur.

Generaliter loquendo tam antiphona quam versus, qui habentur in laudibus, differunt ab illis, qui habentur in primis vesperis. Recte igitur rubrica postulat, ut antiphona ac relativus versus mutandi in laudibus, sumatur e primis vesperis, quod alteri rubricae respondet dicenti, versum ibi sumendum, quantum fieri potest, ubi sumpta est antiphona.

Itaque habemus in hac rubrica tres praescriptas commemorationes, quando variandae sunt, ne eaedem repetantur, et unaquaeque antiphona versusque variandi mirum in modum sibi

cohaerent. In primis vesperis accipiuntur antiphona et versus e secundis, quae variatio, optima est; sive quia semper ad vesperas pertinet, sive quia et antiphona et versus generaliter diversi sunt. In laudibus habemus antiphonam et versum sumendum e primis vesperis, in quibus pariter et antiphona et versus diversi generaliter sunt. Denique in secundis vesperis habemus antiphonam e laudibus sumendam, quae semper diversa est, et versum, qui generaliter idem est in laudibus et secundis vesperis, e primis vesperis sumendum. Consequenter obtinetur primo, tota variatio possibilis; secundo revera sumitur versus ubi antiphona; tertio denique quoad fieri potest minor pars perit de officio commemorando.

246. Oratio pro commemorationibus, si agatur de feria vel vigilia, vel dominica, habetur semper propria; si de octava, sumitur e festo, si de sanctis, sumitur vel propria, si habeatur, vel de communi.

Aliquando tamen occurrit ut eadem sit oratio festi de quo fit officium, et eius de quo fit commemoratio; tunc eadem ex causa, ne bis dicatur in eodem officio, ut varietur oratio pro commemoratione, sumitur alia de communi.

Ex probatis auctoribus et S. R. C. decretis, sequentia hic addere censuimus, ut regula variandi antiphonas, versus et orationes pro commemorationibus magis eniteat.

1. Si antiphona officii eadem sit ac antiphona simplicis seu simplificati, sed versus diversus, sola antiphona est mutanda.

2. E contra si diversa sit antiphona et idem versus, solus versus mutandus est.

3. Antiphona ad *Benedictus* de communi confessoris pontificis et non pontificis, licet una et eadem appareat, desinit tamen diversimode, et bene una pro officio, et altera pro commemoratione, et viceversa, deservire potest.

4. Similiter, licet antiphona ad *Magnificat* in secundis vesperis pontificis et confessoris, *Amavit*, et versus in primis, iisdem verbis constent, nihilominus adhiberi possunt in vesperis aut laudibus, non tamen pro eadem commemoratione, nempe ne antiphona *Amavit* pro officio, et versus *Amavit* pro commemoratione inserviat. Idem dicatur de antiphona in secundis vesperis martyrum tempore paschali, *Sancti et Iusti*, et ℣ in primis vesperis pariter *Sancti et Iusti*; atque de antiphona *Lux perpetua* in primis vesperis, et ℣ *Lux perpetua* aliquando sumendo ex secundo nocturno.

Sic argui debet ex Rubrica speciali posita in breviario pro vesperis sabbati infra octavam Epiphaniae, quae dicit: *Deinde fit comm. Epiphaniae per ant. quae occurrit secundum ordinem dierum infra octavam*, ℣ Omnes de Saba etc., *nisi dicta sit ant.* Omnes de Saba (quae dicitur in vesperis diei V infra oct.), *tunc enim dicitur* ℣ Adorate Deum etc.

In hoc ergo non possumus assentiri cl. De Herdt, qui docet: « eadem antiphona *Amavit*, et versus *Amavit*, pro eadem commemoratione adhiberi possunt ».

5. Si duo officia ss. doctorum simul concurrant, pro commemoratione praecedentis non est sumenda antiphona e laudibus, sed ex secundis vesperis de communi, scilicet *Amavit*, vel *Dum esset*, vel *Hic vir*, pro qualitate doctoris praecedentis.

6. Si in festo plurium sanctarum virginum martyrum, occurrat commemoratio aliarum plurium sanctarum virginum et martyrum, tunc pro commemoratione sumatur antiphona et ℣ *Istarum*, in die VII Martii, ut decrevit S. R. C. (7 Sept. 1680, n. 2298, ant. coll.).

7. Si mutanda sit oratio, et una tantum in communi habeatur, ut evenit pro doctoribus, et pro virgine non martyre, ac pro sancta nec virgine nec martyre; tunc pro commemoratione alterius doctoris sumatur alia de communi confessoris pontificis vel non pontificis prout res portat; ex recentissimo autem S. R. C. decreto d. d. 25 Iunii 1909, pro doctore pontifice sumenda est oratio *Exaudi*. Pro commemoratione alterius virginis, sumatur oratio *Indulgentiam*, de communi virginis et martyris, tacitis verbis *et martyr*; ac tandem pro commemoratione alterius nec virginis nec martyris, sumatur oratio eadem, *Indulgentiam*, tacitis verbis *virgo et martyr*, ut decrevit S. R. C. (21 Iulii 1855 ad 5, n. 5215, ant. coll.).

8. Si vero occurrunt plures commemorationes fieri de simplificatis, vel de simplicibus, eadem die occurrentibus vel concurrentibus, ab eodem communi sumendae, haec regula sequenda est, prout traditur in S. R. C. decreto 27 Iunii 1899, n. 4042 ad 5. « Quando plures commemorationes occurrunt faciendae de eodem communi (nisi aliter in breviario notetur), ad vesperas, dictis antiphona et ℣ de 1 et 2 vesperis, altera commemoratio fit per antiphonam de laudibus et ℣ ex 2 nocturno, ultima vero per primam antiphonam et ℣ ex 3 nocturno. Ad laudes vero, dictis antiphona et ℣ de laudibus, prima commemoratio fit per antiphonam et ℣ de 1 vesperis, altera vero per antiphonam de

2 vesperis et ℣ ex 2 nocturno, tertia tandem per primam antiphonam et ℣ 3 nocturni » (1).

247. Rubrica ait: « Quando fit commemoratio de dominica, vel feria, quae habent propriam homiliam, nona lectio in officio diei novem lectionum legitur de homilia dominicae vel feriae, quae erit vel prima de homilia vel tres simul in una lectione coniunctae » dominicae vero et feriae quae habent Missam propriam ideoque et proprium evangelium, et in officio homiliam relativam, sunt: 1. Omnes dominicae maiores et minores; 2. Omnes feriae Quadragesimae; 3. Feriae Quatuor temporum Septembris et Adventus; 4. Feria II rogationum; 5. Vigiliae omnes cum ieiunio et sine ieiunio, exceptis vigiliis quae occurrunt in Quadragesima, in Adventu, et in Quatuor temporibus; et exceptis quoque vigiliis quae occurrunt in festis duplicibus 1 classis, in quibus nihil fit de vigilia. Attamen in hoc casu non excipitur vigilia Epiphaniae, de qua fit commemoratio cum IX lectione etiam in duplicibus I classis; officium enim eius aequiparatur officiis dominicalibus.

Quando in principio (cfr. 16) disseruimus de obligatione rubricarum; exceptiones aliquas fecimus de locis rubricarum quae facultatem faciunt unum ex duobus sequi. Unus ex his paucissimis locis hic est, in quo rubrica facultatem facit recitantibus officium, dicendi pro IX lectione dominicae vel feriae, *vel primam* tantum *de homilia, vel tres simul in una lectione coniunctas*. Nihilominus et in hac facultate praeceptum adest, nempe, lectionem IX de homilia dicendi; et si tres coniunctae non dicantur, non una ex tribus ad libitum eligi potest, sed cum una tantum legitur, haec prima esse debet.

Quae facultas, regulariter loquendo, in sola privata officii recitatione, facta esse nobis videtur; in choro vero, ut *omnia secundum ordinem* fiant, non a lectoris placito pendere debet electio primam solum legendi, vel tres simul, bene autem ab ordinatione superioris.

Si in officio duplici vel semiduplici, agenda est commemoratio alicuius sancti, qui ritu simplici recolitur, nona lectio

(1) In hoc tamen decreto, putamus errorem scriptoris incurrisse, nam pro II et III commemoratione, tam in vesperis quam in laudibus eadem antiphona et idem versus praescribitur; dum potius in laudibus pro secunda commemoratione indicanda erat antiphona prima et ℣ 3 nocturni, et pro tertia antiphona de 2 vesperis et ℣ ex 2 nocturno.

legitur de festo trium lectionum si propriam habuerit. Non omnia enim festa simplicia Sanctorum lectionem propriam habent. Ex quo liquido patet de communi non esse sumendam lectionem horum sanctorum. Cohaeret rubrica alia (X, n. 9) ubi item praescribitur nona lectio sancti simplicis, *si propriam de vita sancti habuerit lectionem*. Siquidem, cum lectio historica legenda sit de sancto ut ex eius exemplis erudiamur, haec ratio deficit si lectio nona sumenda esset de communi, et alioquin de officio festi quod agitur, quoad fieri potest, nihil omittendum est. Idem dicendum de sancto simplificato. Quod si duae sint lectiones historicae vel tres ex duabus vel tribus fiat una lectio. Hoc in praecepto est, ut ex actis sanctorum magis instruamur. Haec autem lectio de sancto non legitur, quando de eo fit commemoratio in dominicis quae habent nonum responsorium; cum enim Responsoria relationem habeant ad lectionem praecedentem, esset incongruum legere historiam de sancto ac postea responsorium cum historia ipsa nihil relationis habens. Ad rem Gavantus ait. « Omittitur eo casu de sancto, quia responsorium nonum non bene quadrat lectioni de sancto ».

Quando in festo duplici agenda sit commemoratio alicuius dominicae aut feriae et de sancto, historicam lectionem habente, praefertur lectio IX dominicae, vel feriae, quia cum eius legatur Evangelium in fine missae, omnino congruit ut de eius quoque homilia aliquid legatur in officio.

Nona lectio historica omittitur infra octavam Corporis Christi; quando fit de ea officium. Pro festo simplici iam decreverat S. R. C. (8 Iunii 1669, n. 2843, ant. coll.), non esse legendam eius nonam lectionem infra octavam Corporis Christi, nisi quando fit officium duplicis occurrentis. In rubrica propria ante festum Corporis Christi breviarii a Clemente VIII recogniti legebatur: « Infra octavam de simplici fit tantum commemoratio ». Eadem rubrica specialis in breviariis editis post annum 1670 docet: « De simplici fit tantum commemoratio absque IX lectione de eo »; nihilominus in rubricis generalibus, nihil dicebatur.

In nova tamen emendatione rubricarum, res in aperta posita est omnino, non tantum pro simplici, sed etiam simplificato, tam in generalibus rubricis, quam in speciali, quae sic se habet: « Infra octavam non fit de festo, nisi fuerit duplex: semiduplicia tantum commemorantur sine IX lectione ».

Ratio autem huius est, iuxta Cavalerium (t. II, decr. 128, n. IV), ut quoad fieri possit de officio SS. Sacramenti nihil omit-

tatur, neque nona lectio ss. Patrum, qui de tanto mysterio adeo nos erudiunt.

Haec Cavalerii ratio valet quidem pro explicanda antiqua rubrica, quae agebat tantummodo de lectione IX sancti simplicis omittenda, quae certo certius inducta fuerat a s. Thoma Aquinate quum officium Corporis Christi confecit, ad instar alterius rubricae quae expellit IX lectionem simplicium tempore adventus et Quadragesimae.

Attamen aliud videtur esse dicendum, de IX lectione sancti simplificati, quae in Quadragesima et in Adventu admittuntur. Quando porro ablatun fuit a Leone XIII ius translationis duplicibus et semiduplicibus, hoc factum est ob necessitatem, sed mansit Ecclesiae propositum ut de sanctis ad ritum simplicem redactis, res gestae imitandae adhuc legerentur. Itaque, qui consulendum censuit, ut rubrica de non legenda IX lectione historica simplicis infra octavam Corporis Christi, ad sanctos simplificatos, magis litterae, quum spiritui Ecclesiae adhaesit; nihilo tamen secius, lex nunc est lata in reformatis rubricis, et procul dubio, usque dum non abrogetur, profecto observanda est.

248. Aliquando tamen contingere potest, quod, maxime in vesperis plures fieri debeant commemorationes, et S. R. C. rubricas hac de re reformavit, declaravitque quid in casu sit agendum suo decreto 5 Februarii 1895, n. 3843.

Antiquitus, maxime saeculo XVII et XVIII nunquam vel fere nunquam habebantur festa plurima simul occurrentia eodem die, ideoque rubrica ordinem ponebat commemorationum, iuxta casus tunc temporis possibiles, scilicet: duplex, dominica, semiduplex, dies infra octavam, feria maior, simplex.

Post breve *Nullo unquam* anno 1883 revisa rubrica fuit, atque tunc bene poterat reformari ita ut casus omnes comprehenderet, pro variis commemorationibus, attamen nonnisi post citatum decretum rubrica perfectissime reformata est.

Quando ergo plures faciendae sunt commemorationes hic ordo sequendus est: 1. *De dominica privilegiata*; 2. *de die octava*; 3. *de duplici maiori*; 4. *de duplici minori, ad instar simplicium redactis*; 5. *de dominica communi*; 6. *de die infra octavam Corporis Christi*; 7. *de semiduplici*; 8. *de die infra octavam communem, ad simplicem ritum pariter redactis*; 9. *de feria maiori vel vigilia*; 10. *de simplici.*

Et optime per omnem modum; nam licet duplex, maius vel minus, ratione ritus praestantius sit quam dominica; quando

dominica privilegiata, nempe una ex maioribus, occurrit cum duplici, utpote nobilior ratione officii, huic praefertur. Ergo etiam in ordine commemorationum, dominica privilegiata primum locum obtinet. Similiter dies octava praevalet in occurrentia super duplici minori et maiori, ergo et in ordine commemorationum. Eadem de causa dies infra octavam Corporis Christi non cedit semiduplici sanctorum, igitur in ordine commemorationum huic cedere non debet.

Hae sunt rationes quae S. R. Congregationem induxerunt ut normam certam, et principiis a rubrica traditis inhaerentem, in nuperrimo suo decreto opportunissime emitteret. Quaeres autem cur in hoc ordine omnino silet decretum de duplicibus secundae classis?

Responsum in promptu est. Decretum loquitur de duplici maiori, quod licet per se transferibile sit, nihilominus, si aliquando in fine anni desit dies libera, ad ritum semplicemre digendum est, sicut duplex minus et semiduplex: ideoque in dominicis Adventus non raro occurrere potest duplex maius, quod transferri non possit. De duplici II classis, aliter dicendum venit; cum enim impediatur, neque in fine anni aliqua supersit dies pro eius translatione, ius habet ut eius officium transferatur in diem semiduplicem, vel, hoc etiam deficiente, in diem duplicem. Impossibile ergo est quod duplex II classis ad ritum simplicem redigatur, ac proinde in allato decreto nihil de eo dicendum erat.

Sed citatum decretum, aliud praescripsit, quod pretium operis est fusius hic explicare. Dicit enim: «Post orationem diei ante ceteras commemorationes semper agendam esse de alio cuiuscumque ritus festo quod concurrit». Aliis verbis: in vesperis post orationem quae dicitur post repetitam antiphonam ad *Magnificat*, commemorari debet, ante omnia alia officia commemoranda, officium concurrens, etiamsi ritus infimi hoc fuerit (1).

(1) Lectores nostri meminerint hoc decretum novissimum, nos praevenisse iam ab anno 1888, cum in solutione cuiusdam quaestionis, in eamdem sententiam venimus, tam circa ordinem commemorationum, quam circa primam commemorationem post orationem in vesperis, prout videri est in vol. II, pag. 229 *Ephemeridum Liturg.* Haec quaestio acriter dimicata est usque ad annum 1894; nos soli fuimus contra plures, sed veritas tandem victoriam sibi vindicavit; et licet ipsa Accademia Liturgica contra nos esset, eo quod omnes scriptores concordes aliud a nobis docebant, nihilominus S. R. C. sententiam nostram penitus adprobavit, suamque fecit.

Licet aliquid novi hoc decretum induxisse videatur in regulis concurrentiae, si attendendi sunt liturgici doctores qui post annum 1759 usque ad 1895 scripserunt; nihilominus nihil aliud egit S. R. C. nisi magis explicite sensum alterius sui decreti 13 Decembris 1879 (N. 4395 ad 3) exponere. In hoc enim iam decreverat: « quoad ordinem commemorationum servetur quod prius fiat commemoratio de quo, secluso impedimento, die illa celebraretur officium aut vesperae, aut capitulum aut dimidiae ».

249. Ad huius decreti intelligentiam, videndum est, de quo impedimento hic loqui voluit S. R. Congregatio. Nam dupliciter *impedimentum* in subiecta materia intelligi potest. Primo modo, intelligitur impedimentum *occurrentiae*, quominus aliquod officium sua die celebrari queat: secundo modo intelligitur impedimentum *concurrentiae*, quominus vesperae alicuius festi inferioris nobilitatis impediantur a vesperis festi nobilioris. De primo impedimento, nempe *occurrentiae*, loqui voluit S. R. C. quando dixit: « ...de quo secluso impedimento de illa celebraretur OFFICIUM »; de secundo autem, nempe de impedimento *concurrentiae* quando dixit: « de quo secluso impedimento... celebrarentur VESPERAE, aut *Capitulum*, aut *dimidiae* ».

Prae oculis ergo habita hac impedimentorum distinctione, animadvertendum est, impedimentum *occurrentiae* prohibere quominus *officium* alicuius festi celebretur; impedimentum vero *concurrentiae* prohibere quominus *vesperae* alicuius offici celebrentur, saltem a *capitulo*, vel *dimidiae*, nempe ab initio usque ad capitulum.

Meminisse tamen oportet quod rubrica (tit. XI, n. 10) decernit: « Cum festum... in sequenti die non habeat OFFICIUM... nec etiam convenit illud habere primas vesperas in praecedenti »; ergo, iuxta hanc rubricam, festum impeditum a legibus occurrentiae, quoniam *officium* perdit, perdit quoque ius ad vesperas. Sic e. g. si in feria III ante *Cineres*, actum sit officium de ea, et in crastina feria IV commemorandum sit aliquod festum ab ipsa feria *cinerum* impeditum, feria III aguntur vesperae de ea, cum commemoratione duplicis sequentis impediti, clare sonante rubrica, quod non convenit habere vesperas festum illud, quod non habet *officium*.

E contra, festum concurrens cum alio in vesperis, si ab hoc nobiliori impediatur quominus integras vesperas habeat, vel a capitulo, de eo tamen actum est *officium*. Ergo nullimode ius amisit ad vesperas ipsas.

Igitur, etiamsi agenda sit commemoratio in vesperis de aliquo duplici maiori simplificato, de quo scilicet *officium* celebrari non potuit, commemoratio huius facienda est post commemorationem *officii* concurrentis, licet hoc sit inferioris ritus et dignitatis. Ratio est, quia, cum festum aliquod ad modum simplicis reducitur, nobilitatem propriam certe retinet supra alia inferioris ritus et dignitatis, dummodo tamen haec quoque festa ad ritum simplicem redacta fuerint. Cum vero confertur festum simplificatum, etiam duplex maius, cum festo, de quo revera agitur totum *officium*, licet sit inferioris ritus, deest fundamentum collationis. In vesperis enim respicitur primo ad *officia* proprie dicta, quae ius habent ad *vesperas*, postea vero ad *commemorationes*, quae nihil aliud sunt quam merae commemorationes.

Ad rem cl. Guyetus (lib. 4, c. XIII, q. 1) scribit: « Concurrentiam proprie non dari nisi inter OFFICIA, quae ius habent aliquod in vesperas illas veluti intermedias et utrique communes ». Et paulo ante (c. 1, q. 1), iam docuerat: « Eorum duntaxat fieri commemorationem, quorum contigit OFFICIUM impediri ».

Quando igitur in vesperis composita sunt, ut ita dicamus, iura duorum *officiorum* concurrentium, tunc cogitandum erit de ordine aliarum commemorationum. Prius ergo post orationem diei in vesperis agenda est commemoratio OFFICII concurrentis, cuiuscumque sit ritus, et postea per ordinem aliae dicendae sunt commemorationes.

Quam ob rem, si liceret, diversimode vocandae forent in casu commemorationes: nempe commemoratio maior et commemoratio minor. Maior commemoratio est, quae agitur de officio concurrenti, quod ius habet ad vesperas ipsas, ita ut cessante impedimento *concurrentiae*, vesperas sibi vindicaret. Minor commemoratio est, quae agitur de festo, cuius eo anno totum periit *officium* ita ut, licet in *vesperis* cessaret impedimentum *concurrentiae*, nihilo tamen secius nullum novum ius haberet ad vesperas ipsas, sed de sola commemoratione contentum esse deberet.

Quibus ex causis optime et opportunissime S. R. C. decretum 5 Februarii 1895 emisit, quo normam veram tradidit pro ordine commemorationum. Iure ergo hic locus rubricarum reformatus est iuxta decretum ipsum. En textus ad literam iuxta praesentem reformationem. « Quando contingit fieri plures commemorationes,

illae semper praeponantur, quae ad officium pertinent, cuiuscumque sit ritus».

250. Tractatum de commemorationibus relinquere nescimus, quin in commodum lectorum tres tabellas subiiciamus, in quibus compendiifiunt leges omnes commemorationum in I vesperis, in laudibus et in II vesperis.

Pro usu tabellarum huiusmodi adverte:

1. Licet in III tabella dicatur quod in secundis vesperis duplicis I vel II classis agenda sit commemoratio occurrentis dominicae, nihilominus, si fiat commemoratio alterius duplicis I vel II classis sequentis, tunc dominicae occurrentis commemoratio omittitur, nisi sit dominica maior.

2. Sub nomine *diei octavae Domini*, in usu III tabellae venit quoque dominica *in Albis*, et quaelibet dies octava festorum primariorum Domini (cfr. n. 237).

3. Licet pro II vesperis duplicis maioris et minoris et semiduplicis, nec non diei octavae et dominicae ponatur nota 0, in linea concurrenti cum *die infra octavam cuius cras officium fiat*, commemoratio tamen non est omittenda, et tunc est commemoratio *diei infra octavam occurrentis*, de quo in subsequenti linea.

I. Tabella commemorationum in primis Vesperis.

IN I VESPERIS	FITNE COMMEMORATIO																		
	de Simplici occurrenti?	de Die infra octavam communem?	de feria Adventus vel Quadragesimae?	de Die infra octavam privilegiatam?	de Semiduplici simplificato occurrenti?	de Semiduplici praecedenti?	de Dominica quacunque occurrenti?	de Dominica minori praecedenti?	de Dominica maiori praecedenti?	de Die octava communi occurrenti?	de Die octava communi praecedenti?	de Die octava privilegiata occurrenti?	de Die octava privilegiata praecedenti?	de Duplici minori simplificato occurrenti?	de Duplici minori praecedenti?	de Duplici maiori simplificato occurrenti?	de Duplici maiori praecedenti?	de Duplici II classis praecedenti?	de Duplici I classis praecedenti?
Duplicis I Classis	2	1	2	1	2	2	1	2	1	1	2	1	1	2	2	2	2	1	1
Duplicis II Classis	2	1	2	1	1	2	1	2	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1	0
Duplicis maioris	1	1	1	1	1	1	1	1	1	0	1	0	1	1	1	1	1	0	0
Duplicis minoris	1	1	1	1	1	1	1	1	1	0	1	0	0	1	1	0	0	0	0
Diei Octavae Domini	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1	0	0	1	1	1	1	0	0
Diei Octavae B. M. V.	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1	0	0	1	1	1	0	0	0
Diei Octavae communis	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1	0	0	1	1	1	0	0	0
Dominicae maioris	1	0	1	1	1	1	0	0	0	1	0	0	0	1	0	1	0	0	0
Dominicae minoris	1	0	1	1	1	1	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0
Semiduplicis	1	1	1	1	1	1	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0
Simplicis	1	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0

1. Fit commemoratio.

2. Non fit commemoratio.

0. Casus impossibilis vel Vesperae sunt de praecedenti.

II. Tabella commemorationum in laudibus.

IN LAUDIBUS	FITNE COMMEMORATIO											
	de Simplici?	de Vigilia?	de Feria maiore?	de Semiduplici simplificato?	de Die infra Octavam communem?	de Die infra Octavam privilegiatam?	de Dominica minore?	de Dominica II classis?	de Die Octava qualibet?	de Die Octava Corporis Christi?	de Duplici minore simplificato?	de Duplici maiore simplificato?
Duplicis I classis	2	2	1	2	2	1	1	1	1	1	2	2
Duplicis II classis	1	1	1	1	2	1	1	0	1	0	1	1
Duplicis maioris	1	1	1	1	1	1	1	0	0	0	1	1
Duplicis minoris	1	1	1	1	1	1	1	0	0	0	1	0
Diei octavae cuiuscumque	1	1	1	1	1	1	1	0	1	0	1	1
Dominicae 1, vel II classis	1	0	0	1	1	0	0	0	1	0	1	1
Dominicae per annum	1	0	0	1	1	1	0	0	0	0	0	0
Diei infra octavam privilegiatam	1	1	1	1	1	0	0	0	1	0	1	1
Diei infra octavam communem	1	1	1	0	1	0	0	0	0	0	0	0
Semiduplicis	1	1	1	1	1	1	0	0	0	0	0	0
Feriae maioris	1	1	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0
Vigiliae	1	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0
S. Mariae in Sabbato	1	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0

1. Fit commemoratio.

2. Non fit commemoratio.

0. Casus impossibilis.

III. Tabella commemorationum in II Vesperis.

IN II VESPERIS	FITNE COMMEMORATIO																	
	de Simplici sequenti?	de Semiduplicis sequenti?	de Semiduplici simplificato occurrenti?	de Feria Adventus vel Quadragesimae?	de Die infra octavam cuius cras officium dicetur?	de Die infra octavam communem occurrenti?	de Die infra octavam privilegiatam occurrenti?	de Dominica sequenti vel occurrenti?	de Die octava communi occurrenti?	de Die octava communi sequenti?	de Die octava privilegiata occurrenti?	de Die octava privilegiata sequenti?	de Duplici minori simplificato occurrenti?	de Duplici minori sequenti?	de Duplici maiori simplificato occurrenti?	de Duplici maiori sequenti?	de Duplici II classis sequenti?	de Duplici I classis sequenti?
Duplicis I classis	2	1	2	1	2	2	1	1	1	1	1	1	2	1	2	1	1	1
Duplicis II classis	1	1	1	1	1	2	1	1	1	1	0	1	1	1	1	1	1	0
Duplicis maioris	1	1	1	1	0	1	1	1	0	1	0	0	1	1	1	1	0	0
Duplicis minoris	1	1	1	1	0	1	1	1	0	0	0	0	1	1	0	0	0	0
Diei octavae Domini	1	1	1	1	0	1	1	1	1	1	0	0	1	1	1	1	0	0
Diei octavae B. M. V.	1	1	1	1	0	1	1	1	1	1	0	0	1	1	1	0	0	0
Diei octavae communis	1	1	1	1	0	1	1	1	1	0	0	0	1	0	1	0	0	0
Dominicae maioris	1	0	1	1	0	1	0	0	1	0	0	0	1	0	1	0	0	0
Dominicae minoris	1	0	1	1	0	1	1	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0
Diei infra octavam privilegiatam	1	1	1	0	0	1	0	0	0	0	0	0	1	0	1	0	0	0
Diei infra octavam communem	1	1	0	0	0	1	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0
Semiduplicis	1	1	1	0	0	1	1	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0
Feriae maioris	1	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0	0

1. Fit commemoratio.

2. Non fit commemoratio.

0. Casus impossibilis, vel Vesperae sunt de sequenti, saltem a capitulo.

CAPUT LII.

DE COMPUTO ECCLESIASTICO

251. Concilium Tridentinum (Sess. 23, c. 18 *de ref.*), inter cetera, quae a clericis in Seminariis sunt addiscenda, explicite memorat *computum ecclesiasticum*; id etiam imperat Benedictus XIII (Const. *Creditae nobis* 9 Mart. 1725), huiusmodi studium clero commendans.

Enimvero, quoniam Nicoenum concilium (325), restituto ad diem 21 Martii aequinoctio vernali, decrevit, solemnitatem Paschalem esse celebrandam in dominica, subsequente decimamquartam lunam, quae in ipso aequinoctio occurrit, vel proxime succedit; necesse est cuique, qui calendarium liturgicum annuale pro sua ecclesia construere velit, ut noscat quae sit mutatio diei dominicae, et mutatio sedis lunae XIV quae occurrere potest vel in ipso aequinoctio, vel statim post ipsum. Necesse est ergo ut aliquid dicamus de anno et de eius partibus.

Iam ab incunabulis humani generis, tempus, in varia, ut ita dicam, intervalla sibi succedentia, dividi coeptum est; ut sunt: *annus, mensis, hebdomada, dies* et *hora*.

Annus acceptus fuit pro spatio temporis illo, quo Solis revolutio completur, transeundo per duodecim eclypticae signa, quatuor producens tempestates, quae sunt hyems, ver, aestas, et autumnus. In computatione annorum, varia fuit populorum consuetudo: Iudaei enim annum incipiebant a novilunio autumnali, Christiani vero vel a die Incarnationis dominicae 25 Martii, vel a Nativitate, 25 Decembris, quod in pontificiis actis usque in hodiernum diem usuvenit; nunc vero, ex Ss. D. N. Pii Pp. X, constitutione (*Sapienti consilio* 29 Iunii 1908, c. III, § 5), qua noviter ordinata fuit romana curia, annus, iuxta universalem omnium nationum civilium rationem, incipiendus erit a die 1 Ianuarii. Annus alius est *Solaris*, alius *Lunaris*; alius *communis* dierum 365, alius *bissextilis* dierum 366, de quibus infra dicetur; alius *civilis*, alius *astronomicus*, alius *ecclesiasticus*. Ecclesiasticus ille dicitur, quo utitur Ecclesia Christi, ad repraesentandum fidelibus Divini Redemptoris vitam et mysteria; in-

cipit, uti notum est, a I dominica Adventus, nempe non ante diem 27 Novembris, nec post diem 3 Decembris.

Mensis procul dubio acceptus fuit ab antiquis ex Lunae revolutione, eo enim tempore periodum suam perficit Luna. Dividitur in menses *Lunarem, Synodicum, Periodicum* et *Civilem*; qui diebus constant 30, vel 31, et unus, Februarius, diebus 28 vel 29.

Hebdomada, scilicet divisio temporis in septem dies, accepta fuit a Chaldaeis, Aegyptiis et ab ipsis Sinensibus. Item Hebraei ea divisione usi sunt, procul dubio in memoriam mundi creationis, imo ex divino praecepto, quo sex diebus operari possunt homines, et in septimo quiescere, ut Deo soli in eo vacent. Apud Occidentales usum hebdomadae christiani invexerunt, nam apud Romanos mensis divisio erat per nonas, et apud Graecos per decades.

Hebraei primam hebdomadae diem sabbatum vocabant, alios II, III, IV, V sabbati, VI vero *parasceven*, quia erat praeparatio sabbati. Pagani autem hebdomadae dies vocabant ex nomine Solis, Lunae, et quinque planetarum Martis, Mercurii, Iovis, Veneris et Saturni. Christiani tandem, ut alibi innuimus, *ferias* vocarunt dies infra hebdomadam, mutato nomine primae diei, quae *Dominica* dicta fuit et *Sabbati* pro septimo retento.

Dies vocatum est spatium temporis quo lux et tenebrae sibi succedunt, quae successio e motu pendet terrae circa axem suam. Vario modo populi diei initium coeperunt: Graeci ab ortu Solis; Hebraei vero, sicut et Itali ac Sinenses a Solis occasu; Arabes a meridie; Romani autem antiqui, sicut et aliae nationes communiter, diem incipiunt, a media nocte. Habetur et alia dies longior, nempe dies ecclesiastica, quae apud Hebraeos et Christianos incipit a vesperis pridianis; dies tandem in horas 24 dividitur, et hora in minuta 60, minutum primum in 60 secunda, etc. Huiusmodi horarum divisione usi sunt Aegyptii, et Asiae nationes; Chaldaei vero et Hebraei, nec non Romani diem, nempe tempus quo Sol illucescit, in quatuor partes, quae dicebantur hora prima, tertia, sexta et nona dividebant; sexta hora constanter incipiebat in meridie, reliquae iuxta longitudinem diei illuminati; item dicatur de quatuor vigiliis quibus noctem, scilicet tempus quo tenebrae regnant, partiebantur.

Non una fuit antiquitus ratio computandi dies et menses in anno. Iuxta Mommsen (*Römische Chronologie bis auf Caesar*, Berlin, 1859, p. 52), primis romanae Urbis temporibus annus con-

stabat diebus 295 per 10 menses lunares distributis, postea Numa Pompilius menses duos, ianuarii et februarii, adiecit, verum annum lunarem efficiens, qui, sicut vetus annus a mense martio initium sumebat.

Ut autem huiusmodi annus cum solari concordaret, unoquoque biennio dies 22 vel 23 intercalares addi debuerant, cum errore tamen duorum dierum unoquoque biennio (Cfr. Cappelli *Cronologia*, Manuale Hoepli, 1906, p. XXVI). Id per varia saecula perduravit, ut autem error e medio tolleretur, Iulius Caesar imperator anno ab Urbe condita 708 (46 ante Christum), cum esset quoque Pontifex, alteram correctionem est aggressus.

Itaque, ait cl. Caesar Uberti (*Tract. de computo eccl.* Ravennae 1898, p. 10) « Sosigenis celeberrimi astronomi opera usus, annum solarem Aegyptiacum, constantem diebus 365 et horis 6 adoptavit; hac tamen lege, ut annus civilis initium sumeret a calendis Ianuarii, desineretque cum Decembri; neglectis scilicet per quadriennium sex horis, ex quibus (quadriennio post) dies exurgeret, quem quarto quoque anno addi voluit mensi Februario post diem 24, ita ut dies 24 et 25 unum quasi diem constituant. Ideoque tam die 24, quam die 25 Februarii dicitur: *Sexto Kalendas Martii*, ex qua repetitione annus intercalaris *Bissextilis* etiam vocatur ».

« Porro ex sacerdotum incuria, utut fuerit causa ignaviae eorum (Vide *Arte di verificare le date*, P. I, t. 4; Martelli, *La Chiave del Calendario Greg.* § 75), factum est, ut tres plus quam opus erat intercalationes extiterint, et sic tertio error in calendario irrepsit, quem Caesar Augustus sustulit iubendo, ne spatio annorum duodecim intercalationes fierent ».

Huiusmodi calendarii instauratio undequaque perfecta non evasit, et praelaudatus Uberti (ib. p. 19) ita ad rem prosequitur:

« Quamvis Iuliana correctio ingeniosissima fuerit, erat tamen defectiva. Etenim annus solaris computabatur diebus 365 horis 6 integris; e contra nonnisi diebus 365, horis 5, 48′ 45″ 6‴ constare vidimus. Computatus ergo fuit a Iulio Caesare minutis 11′ 14″ 54‴ maior quam revera est. Quapropter intercalationis lex ab eo posita modos excedebat, ex quo accidit ut ab anno 325, quo celebratum est Nicaenum concilium, ad annum usque 1582, quo Gregorius XIII calendarium emendavit, decies plus quam opus fuerat intercalatio posita sit. Hinc aequinoctium

vernum tropicum, decem diebus praeveniebat aequinoctium calendarii, scilicet a die 21 Martii (cui a laudato Concilio fuerat assignatum) ad diem 11 declinaverat.

« Sed et ex parte lunaris anni defectus oriebatur, quia quamquam verum sit novemdecim post annis lunam redire in eumdem diem, non tamen redit eadem prorsus hora, sed praevenit hora 1, 27′ 32″ 55‴. Ex hinc novilunia paulatim, sedibus relictis iam pridem occupatis, in anteriores recedunt ».

252. Ab anno autem 325 ad 1582 novilunia coelestia iam 4 diebus praeveniebant. Vix ergo huiusmodi errores manifestari coeperunt, non defuere qui reclamarent correctionem a summis Pontificibus postulantes; inter eos, qui saeculo XIII hac de re magis studiis incubuerunt, praecellunt Ioannes de Sacrobosco et Rogerius Baconus. Saeculo XIV ipsi summi pontifices hisce studiis incrementum dederunt; Clemens VI (1342–52) eximiis mathematicis commisit ut eisdem studiis vacarent; in conciliis Constantiae (1417) et Basileae (1434) coactis, cardinales Petrus d'Ailly et Nicolaus Cusanus de calendario reformando modos proposuerunt. Celeberrimus quoque Ioannes Müller, Regiomontanus dictus, ex commissione Syxti IV, paulo ante mortem (1476) et ipse correctionem proposuit.

Saeculo autem XVI, desideratae reformationis studia maiori alacritate suscepta fuere. Leo X gloriam correctionis sibi vindicare cupiens, imperatori, universitatibus, episcopis quamplurimis, nec non insignioribus sui aevi astronomis et mathematicis scripsit, et in concilio Lateranensi V (1513-17) ad hoc scripta nonnulla exhibita fuere; ita ut huius Pontificis et cl. Pauli de Middelburg merito adscribenda sit gloria reformationis calendarii, quam serius Gregorius XIII feliciter complevit (Cfr. Cappelli, ib., p. XXIX).

Hic enim, accitis viris doctissimis ex Italia et aliis nationibus, sub cl. cardinalis Sirleto praesidentia, commissionem ad hoc instituit, quae modos varios correctionis propositos examinaret.

Has inter, perspicuitate et simplicitate enituit modus ab Aloysio Lilio calabro, paulo ante e viris erepto, excogitatus, et ab eius fratre Antonio commissioni pontificiae exhibitus; qui fere integer acceptus fuit, ita ut summus pontifex sua bulla *Inter gravissimas* d. d. 24 Febr. 1581 tamdiu desideratam correctionem calendarii statuerit et universali Ecclesiae imposuerit.

Duo in ea praecipue stabilita sunt, nempe: 1. Restitutio

aequinoctii verni, quod retrocesserat ad diem 11 martii, uti diximus, in sua sede nempe die 21 martii, demptis decem diebus ab anno 1582, in mense Octobris, a die 5 ad 14 inclusive, ita ut eo anno post diem 4, in calendario inscriptus fuit dies 15 (1).

2. Quoniam minuta 11′ 14″ 51‴ computati ultra veram anni mensuram, post elapsos 399 annos coalescunt in 44888′ 5945″ 21546‴, hoc est in dies tres, horam 1, 8′ 5″ 6‴, decrevit Gregorius intercalationis legem a Iulio Caesare decretam, ita esse moderandam in annis centesimis, ut ab anno 1700 tres essent communes et quartus tantum Bissextus.

« Haec bissextilis suppressio, quae *Metemptosis* appellatur

(1) Fortuito ad manus nostras pervenit calendarium liturgicum pro anno correctionis 1582 exarato, et cum rarissima sint eius exemplaria, ita ut nec in bibliotheca Vaticana existat, magno studio illud custodimus. In eo mensis octobris sic inscribitur:

October cui desunt decem dies pro correctione anni solaris.

Epacta	Dies	OCTOBER
XXII	1	Fer. 2 S. Remigii Ep. Conf. simpl.
XXI	2	Fer. 3 de ea.
XX	3	Fer. 4 de ea.
XIX	4	Fer. 5 S. Francisci Conf. dupl.
VIII	15	Fer. 6 Ss. Dionysii Rustici et Eleutherii Mart. *semid.* (ex 9 huius) cum comm. s. Marci Papae conf. et ss. Sergii et Soc. Mart. (ex 7 huius).
VII	16	Sab. S. Callisti Papae Mart. *semid.* (ex 14 huius).
VI	17	Dom. XVIII post Pentec. III Octob. de ea *semid.*
V	18	Fer. 2 S. Lucae Evang. *dupl.*
. . . .	. . .	. . . . .

In quo patet quod littera dominicalis, quae a die 1 Ianuarii usque ad diem 4 Octobris fuerat *g*, demptis 10 diebus, a 15 usque ad finem anni immutata fuit in *c*.

Notatu dignum est, quod s. Theresia e vivis erepta est eodem anno 1582 die 5 Octobris, quae ob correctionem dies 15 evaserat, ita ut et hodie festum natalitium illius s. Virginis eodem die 15 celebratur.

a vocabulo graeco, quod latine sonat *lapsus post*, sive *retardatio*, quodammodo in calendario retinet aequinoctium. Equidem Metemptosi non admissa, die quo in tropico anno Martius inciperet, Februarius in civili anno absolveretur. Ideoque quando in isto Martius dies 21 (aequinoctii sedes) haberet, in tropico dies 32 haberentur. Contra Metemptosis, delet ab anno civili diem, qui in tropico nullatenus extat, et utrumque annum in eadem mensura conservat, et sic aequinoctium tum in tropico, tum in civili anno die 21 Martii constanter permanet ».

Idest communes retinendi sunt anni 1700, 1800, 1900, 2100, 2200 etc. bissextiles autem anni qui perfecte divisibiles sunt per 4, nempe 1600, 2000, 2400, 2800 etc.

« Neque timendum correctionis perpetuitati obstare minutiores fractiones tribus diebus superabundantes; nam quantumvis in diem coalescere possent aliquando, certe hoc futurum non erit nisi plurima post saecula.

Siquidem calendarium Gregorianum, sic vocatum a reformatore Gregorio XIII, licet summa diligentia ac ingeniosissimo studio correctum, perfectissimum non est, eo quod annus civilis adhuc excedit 0′ 24″ annum tropicum, cum autem opus est ut decurrant alii 3500 anni, priusquam praedicta minuta ita coalescant ut unum diem constituant (ita Delambre, *Astronomie théorique et pratique*, Paris 1814, III, p. 696): quidquid tunc sit futurum, non est cur nos augamur animo, maxime quia posteri nostri in eadem gregoriana reformatione fundamentum habebunt pro nova correctione instauranda.

Nam cum posteritas ea aetate pervenerit, tunc quod una dies minus deducta fuerit invenietur, ac proinde huic defectui supplebitur, efficiendo ut primus annus bissextilis, post dictos 3500 annos, habeatur ut communis.

Attamen gregoriana correctio nec statim, nec ubique in praxi admissa fuit: nam ex politicis causis, ac etiam religiosis, oborta sunt obstacula ne ubique propagaretur. Ipso anno 1582 accepta fuit in Italia, Hispania, Gallia et Lusitania; aliae nationes serius correctionem acceptarunt, nonnullae autem, nempe Russica natio, Graecia, Serbia, ceteraeque schisma orientale sectantes, etiam hodie calendarium Iulianum adhuc retinent (1).

(1) Alia correctio facta fuit a protestantibus in Germania anno 1700, in qua neglectis aureo numero, epacta, et littera dominicali, iuxta astronomicas computationes aequinoctium ac plenilunium paschale

253. Cum tamen celabratio Paschatis a motu Lunae dependeat, qui cum Solis motu prorsus non convenit, etiam de anno lunari est nobis disserendum. Antea iam vidimus quod annus solaris *astronomicus* iuxta Leverrier, comprehendit dies 365, horas 5, 48′ 45″ 6‴; tanto enim tempore Sol zodiacum perlustrat; et solaris annus *civilis* completur diebus 365 si communis, diebus vero 366 si bissextilis, neglectis horarum fragmentis.

Annus autem lunaris, brevior est, nam astronomicus constat diebus 354, horis 8, 48′ 37″; tanto enim tempore circulum suum absolvit circa orbem terrae, constat vero diebus 383, horis 21, 34′ quando est Embolismicus; nempe, eo in anno habentur *tredecim* menses lunares, et tertiusdecimus hic mensis dicitur mensis *embolismicus*.

Itaque cum annus solaris excedat lunarem diebus 11, sequitur quod si uterque annus inceperit die 1 Ianuarii, lunaris desinit die 20 Decembris, et die 21 sequenti novus annus lunaris initium habet, ac proinde novilunia contingant 11 diebus prius quam anno praecedenti, seu quod 11 dies addi debeant anno lunari, ut annum solarem exaequet; ex quo fit, quod sequenti anno lunari finis imponitur 22 diebus ante finem anni solaris, nempe die 10 Decembris, et ideo finito eo anno, novilunia contingunt 22 diebus prius quam primo anno. Hinc facile intelligitur, quod tertius annus lunaris desinit diebus 33 ante solarem, nempe die 29 Novembris, et sic semper fit per circulum 19 annorum, quo tempore annus tum solaris, tum lunaris, simul incipiunt adhuc die 1 Ianuarii.

Cum autem ex dictis, addendi sunt dies 11, ut annus lunaris solarem aequet, huiusmodi adiectio *Epacta* vocata est, ex graeco επαγειν. Epacta porro primi anni erit 11, secundi anni 22, tertii 33 etc. Haec autem epacta exprimit 3 dies et mensem dierum 30; et quoniam huiusmodi 30 dies unam lunationem constituunt, a numero 33 reiiciuntur 30, et remanet epacta 3; sicque a quavis epacta, numero 30 superante, fit eadem reiectio, ita ut cyclus epactarum sit sequens; 11, 22, 3, 14, 25, 6, 17, 28, 9, 20, 1, 12, 23, 4, 15, 26, 7, 18, 29; sunt nempe decem et novem, quo tempore denuo, uti diximus, solaris et lunaris annus eodem 1 Ianuarii incipiunt, et novus cyclus redit.

determinatur. Eo anno 1700 ablati fuerunt dies 11 a mense Februario, qui dies 18 habuit, unde calendarium a protestantibus reformatum, post annum 1700 cum gregoriano plane concordat.

Nihilominus post annos novemdecim, Luna ad diem a quo discesserat revertitur anticipando hora 1, 27′ 32″ 55‴, unde elapsis 312 annis et mensibus 6, novilunia, uno die anticipare debent. Antiquitus inventi fuerant Aurei Numeri, nempe numeri ab 1 usque ad 19 inclusive, quorum cyclus *Metonicus* dicebatur, a Metone eius inventore (1), ut facile indicarentur novilunia. Attamen in correctione gregoriana, aurei numeri huiusmodi, iuventi sunt inepti ad indicanda novilunia perpetuis temporibus futuris, et ideo e calendario eorum cyclum abstulit Gregorius XIII, et eius loco epactarum cyclum subrogavit.

« Constat hic epactarum cyclus », docet Uberti (*ib.* p. 26) « numeris viginti novem cum nota *, quae stat pro 30, propterea quod nulla epacta possit esse 30, totumque mensem epactae occupant. Attamen non omnes simul sed novenaedenae tantum pro tempore novilunia indicant, scilicet novemdecim respondentes diebus quibus aurei numeri uno quoque saeculo in calendario forent apponendi. Ex quo intelligitur epactas efformare triginta cyclos decemnovenales ».

« Itaque quoties Novilunia procedentibus saeculis uno die anticipant, toties epactae superiores inferioribus succedunt et unitate augentur (sunt enim ordine retrogrado dispositae, uti videri potest in calendario). Hoc epactarum augmentum, quia novilunia in calendario anticipare cogit, *Proemptosis* dicitur a graeca dictione, quae latine *lapsus ante* sive *anticipatio* verteretur. Ne autem in computum errores inducerentur, decrevit Gregorius huiusmodi augmenta, sive Proemptoses, fieri non semel post singulos 312 $^1/_2$ annos, sed semel tertio quoque saeculo, ita tamen ut spatio viginti quinque saeculorum octies tantum fierent Proemptoses, praetermissis scilicet quatuor saeculis post octavam tantum, antequam novum adderetur augmentum, sive antequam nova fieret Proemptosis ».

Diximus non haberi epactam sub numero 30; quando enim Luna die 31 Decembris triginta enumerat dies, annus solaris et lunaris simul complentur, nec ullus habetur excessus solaris anni supra lunarem, et ideo nulla erit epacta. Attamen hoc etiam in casu cum ponere necesse fuerit in calendario signum

(1) Dicitur a Metone Atheniensi qui saeculo quinto, ante Christum natum, floruit; ipse ab orientalibus didicerat, quod in 19 annis solaribus, menses 235 integre complebantur; quia autem huiusmodi Metonis inventio apud Graecos acceptissima fuit, ideo aureis characteribus inscripta est, ac proinde *numeris aureus* vocatus.

aliquod ad novilunia indicanda, asteriscus * positus est, uti videtur in ipso calendario breviarii romani, in quo die 1 Ianuarii epacta signatur cum *, et ita die 31, eiusdem mensis, die 1 Martii etc. ita ut post epactam 1, semper sequatur epacta *.

« Eo quod epactae repraesentant aetatem lunae in exitu anni, et ad novilunia indicanda fuerunt electae, hinc est quod retrogrado ordine in calendario distribuuntur; nempe non ordinatim ab 1. 2. 3 etc. sed a * 19. 18 etc. usque 1. Nam quanto minor est luna in anni termino, tanto longius a Ianuarii principio erit subsequens novilunium ab eadem epacta demostrandum. E contra quanto maior est luna in die 31 Decembris, tanto proximior calendis Ianuarii inveniri debet epacta sequentem Neomeniam indicatura ».

« Ex praedictis manifestum fit epactas in calendario significare annum lunarem, qui cum diebus 354 constet a totidem epactis exprimendus erat. Item in anno lunari menses alternatim pleni et cavi, idest diebus 30 et 29 constantes esse oportet; proinde in sex alternis mensibus una ex epactis, quae vigesima quinta est, extra ordinem ponitur ». Ita Uberti citatus.

In sex autem cavis mensibus, quibus extra ordinem praedicta epacta invenitur, semper dupliciter notatur. Primum charactere arabo ad latus epactae 26, deinde ad latus epactae XXIV romano charactere; quam regulam plerumque in quibusdam missalibus, breviariis et diurnis, quamvis sapientissime et non casu institutam, aegre vidimus non observatam. Quaeres qua de causa epacta vigesima quinta duplici charactere inscribatur? Dico: Ne una cum altera confundi queat. Postulas quare duobus continuis diebus notetur? Respondeo: Ne absurdum indicet. Nam si uno tantum die extra ordinem apponeretur, vel scilicet tantum e règione epactae 24, vel e regione tantum epactae 26, uterque numeros 25 et 24, vel 25 et 26, significarent, posse uno die spatio novemdecim annorum bis novilunium contingere. Quod quantum rei naturae adversetur nemo est qui non videat ex dictis. Ut autem huiusmodi absurdum e medio dimoveretur (miraberis quidem) duobus continuis diebus epacta illa inscripta est. Cfr. etiam Fanello, *Calendario Universale.* Venezia, Pasquali, 1778, et Cambi, *Computo Eccl.* Torino, Marietti, 1869.

254. Sed ad inveniendam Pascham, non solum epactam nosse oportet, sed et *Litteram dominicalem.* Ut supra innuimus, quia anno quolibet mutat sedem dies Dominica, in calendario perpetuo dies a dominica et ceterae feriae cuiusque hebdomadae,

indicari non potuere. Ad hunc scopum septem priores litterae alphabeti adlectae sunt, illas in calendario inscribendo per anni gyrum, incipiendo a die 1 Ianuarii, ut videre est in calendario breviarii romani. In eo dies omnes mensium, signantur, non tantum ordinali numero ab 1 usque ad 31, vel 28, vel 30, iuxta diversitatem mensium, sed ponitur etiam una ex primis litteris, ita ut Ianuarius incipiat: *A* 1 – *b* 2 – *c* 3 – *d* 4 – *e* 5 – *f* 6 – *g* 7, ac denuo idem ordo litterarum prosequitur: *A* 8 – *b* 9 – *c* 10 etc. etc. Hinc si dies dominica occurrit die 1 Ianuarii, cuius littera est *A*, omnibus diebus per annum illum, quae eamdem litteram habent, erunt dominicae; ac propterea, dies qui habent litteram *b* erunt feriae secundae, et ita de ceteris.

Quia vero in annis bissextilibus additur dies unus, nempe 29 Februarii, dies intercalaris, qui ponitur post diem 24, reputatur habere litteram eamdem *f*, quam habet dies 24 eiusdem mensis, et ideo dies 26, 27, 28 et 29 Februarii, retinent litteras *g*, *A*, *b*, etc. et sic ordo litterarum non variatus manet, ac dies 1 Martii servat suam litteram *d*, etc.

Quia vero ordo feriarum in hebdomada immutari nequit, in anno bissextili a die 25 Februarii, alia littera dominicalis sumitur, nempe praecedens illi, quae antea adhibita fuit; videlicet, si littera dominicalis a die 1 Ianuarii usque ad 24 Februarii fuit *c*, ab ea die sumitur *b* (1); et ideo annus quivis bissextilis

(1) Rem explicabit exemplum.

Annus communis			Annus bissextilis.		
Februarius.			*Februarius.*		
c. IX	calend.	21 Dominica.	*c.* IX	calend.	21 Dominica.
d. VIII	»	22 Feria 2.	*d* VIII	»	22 Feria 2.
e. VII	»	23 Feria 3.	*e.* VII	»	23 Feria 3.
f. VI	»	24 Feria 4.	*f.* VI	»	24 Feria 4.
g. V	»	25 Feria 5.	(*f.*)-*bis* VI	»	25 Feria 5.
A. IV	»	26 Feria 6.	*g.* V	»	26 Feria 6.
b. III	»	27 Sabbatum.	*A.* IV	»	27 Sabbatum
c. Pridie	»	28 Dominica.	*b.* III	»	28 Dominica,
			c. Pridie	»	29 Feria 2.
Martius.			*Martius.*		
d. calend.		1 Feria 2.	d. calendae		1 Feria 3.
. . . . .			. . . . .		

Ex quo patet quomodo anno bissextili si littera dominicalis est *c*, a die Ianuarii usque ad 24 Februarii, post hunc diem mutatur in *b*, scilicet semper in praecedentem.

duas litteras dominicales habet: quarum prima inservit pro mense Ianuario, et etiam Februario usque ad eius diem 24 inclusive, secunda, ab hoc eodem die usque ad finem anni.

Si quis ergo cuiuslibet anni Pascha cognoscere vult, cognita littera dominicali illius anni, et eius epacta, facile invenitur novilunium a die 8 Martii, usque ad 5 Aprilis; nam ex dictis, Pascha profecto celebrabitur dominica tertia a praedicto novilunio; adeo ut si novilunium fiat in dominica, Pascha erit decimo quinto post die: unde versus. Post Martis nonas, ubi fit nova luna require: tertia lux Domini proxima Pascha dabit.

255. Nunc ergo, pretium est operis hic tradere regulas ad invenienda, ea quae occurrunt, ut pro quolibet anno sciatur, quo die celebranda sit Pascha; sequentes normas a citato cl. Uberti traditas.

Ipse (ib. p. 45) exhibet etiam formulas opportunas totius Computi ecclesiastici moderni, ad quorum usum et claritatem, explicanda sunt signa, in iisdem formulis contenta.

A — *Annum*, seu cyphram propositum annum exprimentem significat.
B — *Bissextiles* denotat.
M — *Metemptosim* dicit.
N — *Numerum Aureum* indicat.
P — *Proemptosim* exprimit.
S — *Saecula* proposita signat.

Quoniam in expressionibus sub formula fractionaria, modo Quotientem (Residuo spreto), interdum autem Residuum (neglecto Quotiente) retinere debemus, propterea expressioni sub fractionis forma inter parenthesim clausae apposuimus Indices q hoc est *Quotiens*; r scilicet *Residuum*.

a) *Regula pro inveniendo* Aureo numero.

Ioseph Scaligerus saeculo XV, cogitavit, in chronologicae scientiae commodum, *periodum Iulianum*. Hic habetur ex multiplicationis productu cycli solaris 28, indictionis romanae 15, et cycli lunaris 19. ($28 \times 15 \times 19 = 7980$). Ex hac computatione eruitur quod anno 1 christiani aevi numerus aureus erat 2, ideoque ad inveniendum aureum numerum, anni propositi A, ei additur unitas, ut habeatur integra series aureorum numerorum quae coepta fuit 1 anno ante ordinem christianum saeculorum. Et summam dividitur per 19 ut tali modo, detractis omnibus

integre cyclis decemnovennalibus, qui a quotiente exprimuntur, per residuum dignoscatur numerus aureus illius anni, scilicet numerus annorum incepti Cycli. En formula ad inveniendam aureum numerum,

$$\left(\frac{A+1}{19}\right) \textit{residuum}$$

Quoties vero nullum tibi fuerit residuum, ex hoc intelliges una cum anno proposito absolvi cyclum, et ideo aureum numerum illius anni esse 19.

Exemplum pro anno 1910.

$$1910+1=1911:19=100$$

cum *residuo* 11, quod est aureum numerum anni 1910.

b) *Regula pro inveniendo* Numero Metemptosio.

Metemptosis, ut vidimus, exprimit quot sunt anni bissextiles, qui suppressi fuerunt post gregorianam correctionem (cf. n. 252). Quum autem huiusmodi suppressio fit tantummodo in annis saecularibus, hinc in nostra formula quilibet annus, de quo quaeritur metemptosis, notari sufficit cum solis primis cyphris, saeculum exprimentibus, ex. gr. anni 1745, 1847, 1910 exprimuntur cum 17, 18 et 19. Quia vero post saeculum 15^{um}, locum habuit correctio, ideo in subiecta formula ex numero, saeculum indicante, demi debet numerus 15. Item, quia ex 4 annis saecularibus 3 bissextiles non fiunt, haec habetur proportio,

$$4:3::S-15:M.$$

A saeculo proposito deme ergo 15, residuum per 3 multiplica, et productum per 4 divide; quotiens, neglecto residuo, numerum metemptosium dabit. En formula $\left(\frac{(S-15).3}{4}\right)$ *quotiens.*

Exemplum pro saeculo XX:

$$19-15=4;\ 4\times 3=12;\ 12:4=3;$$

ergo ab anno correctionis usque ad 1900 tres fuerunt Metemptoses.

c) *Regula pro inveniendo* Numero Proemptosio.

Uti vidimus (n. 253) Proemptosis exprimit unius diei augumentum, quod novilunia singulis 312 annis cum dimidio antici-

pare cogit, ideoque in correctione gregoriana supponitur in decursu 25 saeculorum 8 haberi proemptoses, quia

$$312\frac{1}{2} \times 8 = 2500.$$

Cum autem prima proemptosis habita fuit anno 1800, ideo in formula non ponitur S — 15, sed S — 14, eo quod 25 : 8 : : 18 — 15 : P in quo proportione haberetur $P = \frac{24}{25}$, quod primam proemptosim evenisse saeculo 18 negaret. Hinc est, quod in formula, non 15, sed 14, a S deducitur.

A saeculo proposito deme ergo 14; residuum per 8 multiplica, et productum per 25 divide: quotiens, neglecto residuo, Numerum proemptosium dabit. En formula $\left(\frac{(S-14).8}{25}\right)$ *quotiens.*

Exemplum pro saeculo XX:

$$19 - 14 = 5;\ 5 \times 8 = 40;\ 40 : 25 = 1$$

residuo relicto; ergo post annum correctionis usque ad 1900 una tantum fuit Proemptosis.

d) *Regula pro invenienda* Epacta *cuiusque anni.*

Invento *numero aureo* anni propositi, eum multiplica per 11, quia 11 dies additi sunt cyclo decemnovenali; adde *numerum proemptosium* illius saeculi, ut sciatur quot proemptoses habitae fuerint usque ad propositam annum; ab hac summa deme 10, decem enim dies ablati fuerunt anno 1582, in correctione gregoriana; et etiam deme numerum metemptosium, ut sciatur quot anni bissextiles fuerint suppressi; quod si numerus subtraendus maior sit numero minuendo, adde huic toties 30 quoties opus fuerit. Residuum, si fuerit 30 aut minor habebis epactam desideratam, si vero fuerit minor 30, divide numerum per 30, et residuum erit epacta. En formula

$$\left(\frac{N.11 + P - (10 + M)}{30}\right) \textit{resid.}$$

Exemplum pro anno 1910.

Numerus aureus ut vidimus est 11, ergo; $11 \times 11 = 121$; Peremptosis ut vidimus est 1, ergo: $121 + 1 = 122$; Metemptosis ut vidimus est 3, ergo $10 + 3 = 13$; $122 - 13 = 109$; $109 : 30 = 3$ cum residuo 19, quae est epacta anni 1910.

Nota. Haec regula eadem inservit ad inveniendam etiam litteram Martyrologii cuiusque anni, quia inventa Epacta, littera quae ei in Martyrologii tabella respondit, est littera illius anni.

e) *Regula pro invenienda* Littera dominicali.

Annum propositum divide per 4 ut habeas dies adiectos propter bissextiles; quotienti adde numerum dividendum, nempe cyphram ipsum annum exprimentem: ut sciatur numerus dierum qui fuerunt ultra 52 hebdomadas cuiuslibet anni; summae subtrahe 5 pro litteris a Gregorio XIII suppressis, ac etiam deme Metemptosim, nempe numerum bissextilium suppressorum usque ad annum propositum; residuum divide per 7 quot sunt dominicales litterae; residuum exprimit numerum ordinalem quo describuntur litterae dominicales ordine inverso, nempe

$$1 = g;\ 2 = f;\ 3 = e;\ 4 = d;\ 5 = c;\ 6 = b;$$

quod si nihil restat, sumes septimam litteram, nempe A. En formula $\left(\frac{A : 4 + A - (5 + M)}{7}\right)$ *resid.*

Exemplum pro anno 1910:
$1910 : 4 = 477$; $477 + 1910 = 2287$: Metemptosis ut vidimus est 3 cui si addas 5 fit 8, ergo: $2287 - 8 = 2279$: $2279 : 7 = 339$, cum residuo 6, quae indicat litteram 1910 esse b.

f) *Regula pro invenienda* Pascha.

Iuxta formulam a cl. Gaus traditam

$$\text{Pascha} = 22 + d + e$$

$$d = \left(\frac{19 \cdot a + m}{30}\right)_r;\ e = \left(\frac{2 \cdot b + 4 \cdot c + 6 \cdot d + n}{7}\right)_r$$

$$a = \left(\frac{A}{19}\right)_r;\ b = \left(\frac{A}{4}\right)_r;\ c = \left(\frac{A}{7}\right)_r$$

Ante annum 1583 $m = 15$; $n = 6$.

Post annum 1582 $m = \left(\frac{22 + M - P}{30}\right)_r$; $n = \left(\frac{2 + M}{7}\right)_r$

ANNOTANDA

I. Quoties erit $22 + d + e < 32$ Pascha celebrabitur mense Martio ipso die a formula expresso.

II. Quoties erit $22 + d + e > 31$ Pascha celebrabitur mense Aprilis die a formula dato demptis 31.

III. Quoties erit $22 + d + e = 26$ Aprilis, deme 7; ita ut sit Pascha die 19 Aprilis.

IV. Quotie erit $22 + d + e = 25$ Aprilis observa utrum sit $a > 10$; $d = 28$; $e = 6$, quo in casu Pascha celebrabitur die 18 Aprilis.

CAPUT LIII.

DE CALENDARIO

256. Calendarium dicitur a Calendis, quia *calendae* a Romanis dies primus mensis cuiusvis vocabatur. Haec vox numerum pluralem tantum habet; si cum littera K conscribitur, unica vox est latina quae eamdem litteram admittit. Ipsa venit a graeco verbo καλέω, quod *vocare* significat; et postea in Latii lingua transiit, *calo, as, are*, et verbum hoc invenitur in lingua sacra latinorum, eoque usus est et A. Gellius, non tamen admissum fuit a classicis scriptoribus.

Eius vestigium habetur in verbo *intercalare*, quod interponere significat. Imo ex eodem verbo καλέω procedit vox ἐκκλησία, quae significat *multitudinem convocatam.*

Aliqui volunt quod *calendae* exprimant *diem convocationis*, quia prima die cuiusque mensis, lunaris, ante Iulianam correctionem, quando prima luna lucere incipiebat, populus convocabatur apud Capitolium, ad *curiam calabram*; haec quoque vox, e verbo *calo* derivat.

Alii philologi dicunt, quod primo mensis die vocabatur *calendae*, eo quod dies erat *invocationis* Deorum: et sane *calo*, significat *convocare* et *invocare*: atque citant effatum: *Quinque dies te calo, Iuno novella*, si Nonae die 5 mensis incidebant, et *Septem dies te calo Iuno novella*, si Nonae die 7 occurrebant.

Calendarium vero, prout nunc apud nos accipitur, ordo est dierum, qui per hebdomadas et menses distribuuntur in anno, a die 1 Ianuarii usque ad 31 Decembris.

Licet enim annus ecclesiasticus incipiat a dominica I Adventus, et desinat sabato post ultimam dominicam post Pentecosten, nihilominus, calendarium ecclesiasticum, iuxta annum civilem incipit a mense Ianuario.

Ad Liturgiam quod attinet, duo habentur calendaria, *perpetuum* et *annuale*. Perpetuum illud est, in quo diversa festa, iuxta ordinem dierum, quibus quotannis sunt celebranda, describuntur, unumquodque in sua fixa sede; in hoc porro perpetuo calendario non inscribuntur festa, quae non habent sedem fixam, sed dependent ex mobilitate festivitatis Paschalis. Calendarium *annuale* est illud in quo, non tantum festa *fixa* (cfr. n. 209)

sed et festa *mobilia*, sicut et dominicae ac feriae pro aliquo determinato anno, iuxta rubricas ordinatur, atque officia eodem anno in suo die impedita, aliis diebus translata inscribuntur.

257. Sed calendarium iterum dividitur in *Universale*, et *Particulare*. Illud invenitur in principio Breviarii romani, et inservit pro universali Ecclesia; exhibet enim festa omnia quae ab omnibus ecclesiis romanum ritum sectantibus ex praecepto sunt celebranda. *Particulare* calendarium est illud, quod inservit pro ecclesiis particularibus, utpote quod, praeter festa universalia, alia quaedam festa comprehendit, quae vel a rubricis praescripta sunt, vel a s. Sede concessa alicui dioecesi, vel Ordini religioso, vel ecclesiae singulari.

Et ideo calendarium particulare adhuc dividitur in *Dioecesanum*, et calendarium *Ordinis religiosi*; illud festa de praecepto inscripta habet totius dioecesis; hoc festa totius Ordinis; ita ut datur et alia subdistinctio; habetur enim calendarium proprium alicuius particularis ecclesiae, quod conficitur super calendarium dioecesis; et calendarium proprium alicuius provinciae religiosae, ac etiam alicuius monasterii vel conventus, quod conficitur super calendarium Ordinis et Provinciae, iuxta declarationem S. R. C. decr. n. 3919 ad XVI.

Iuxta ea quae disseruimus supra n. 212, sicut habentur festa *generalia* ab universa Ecclesia celebranda, et festa *particularia*, seu *propria* pro aliqua Dioecesi, vel Ordinis, vel Provinciae, vel conventus, vel ecclesiae particularis, ita porro necessario habentur distincta calendaria.

Quivis ergo ad recitandum divinum officium adstrictus, sequi debet ordinem calendarii suae ecclesiae, nempe ecclesiae illi, cui est adscriptus, vel ratione beneficii, uti canonicus, mansionarius, parochus etc.; vel ratione servitii, uti sacerdos qui ab Ordinario adscribitur alicui ecclesiae ad sacramenta ministranda, populum docendum, parochum adiuvandum etc.; vel ratione incolatus religiosorum apud ipsam ecclesiam, ut sunt religiosi utriusque sexus. Clerici, nulli ecclesiae adscripti, tenentur recitare officium iuxta calendarium dioecesis; addito officio et octava Patroni loci, non tamen titularis et dedicationis Ecclesiae parochialis (Cfr. S. R. C. decreta 111, 1933, 2369, 2872 et 1899). Nihilominus sacerdos, qui in aliqua ecclesia quotidie, Missam celebrat, si Titulum et Dedicationem illius ecclesiae, sicut et Officia ratione reliquiae celebrat, hodie non videtur esse redarguendum: 1° Quia bene quis ex sua electione, absque ullo

emolumento, alicui ecclesiae adscribi potest, cum omni tamen subiectione Parochi sui: 2° Quia hodie sicut quilibet debet celebrare Missam iuxta ecclesiae calendarium, omnino congruit ut et officium recitet; 3° Quia utitur semper calendario dioecesis, additis ecclesiae officiis particularibus. Sacerdos vero qui in aliquo pago inabitat, Patronum habente specialem, huius officium recitare debet, ex praecepto, licet nulli ecclesiae illius pagi fuerit adscriptus. Haec omnia tamen intelligenda sunt, dummodo in casu sacerdos non sit beneficiatus.

Aliud tamen esset dicendum de sacerdote saeculari, qui in ecclesia regularium quotidie Missam celebrat: hic, nisi ex beneficio ad aliud calendarium teneatur, potest ab Apostolica Sede indultum obtinere recitandi officium iuxta calendarium Ordinis, marte autem suo, id nequiret.

Clericus autem qui ratione studiorum extra patriam deget, si beneficiatus non sit, tenetur ad calendarium loci in quo inhabitat (S. R. C. decr. 1445). Si vero itineris causa, et cum animo ad patriam redeundi, tunc potest, si vult, loci calendarium sequi, sed non tenetur.

Regularis vero, in itinere recitat officium iuxta calendarium sui coenobii, dum vero et quousque manet in aliquo alio coenobio, huius calendarium sequi debet (S. R. C. 2801 et 3001.

258. Si annus, uti innuimus, diebus 364 constaret, scilicet 52 hebdomadibus tantum, et Pascha celebranda esset quotannis in eodem die, ordo dominicarum, feriarum et festorum numquam immutaretur, ac proinde calendarium annuale construi non deberet. Cum autem mutatio sedis dominicae in mensibus, et mutatio sedis Paschatis quotannis occurrunt, necessario calendarium annuale confici debet, ut quilibet facile, et in ictu oculi, sciat quod officium et quam Missam quavis die recitare debeat.

Operae autem pretium esse ducimus methodum hic tradere construendi calendarium annuale.

Ante omnia paranda sunt folia duodecim, quot sunt menses, quae habeant tot lineas horizontales, quot sunt dies mensis, nec non et alias octo lineas verticales, inter se ita distantes, ut octo columnas diverse sed apte latas constituant.

In I columna inscribuntur *dies mensis* ordinatim a primo usque ad ultimum; in II *Dominicae et feriae* iuxta illius anni litteram dominicalem: in III *Festa fixa* in sua quaque die, prout extant in calendario perpetuo; in IV *Commemorationes fixae*, illae scilicet, quae in eodem perpetuo calendario habentur, uti

ex. gr. commemoratio s. Mauri in festo s. Pauli I Eremitae; in V *Festa mobilia* suis diebus ordinata prout exhibentur in tabella festorum mobilium, respectu habitu ad Pascha et ad litteram dominicalem illius anni; in VI *Commemorationes mobiles*, illae nempe quae festa mobilia semper concomitantur, ex. gr. com. dominicae II in festo Ss. Nominis Iesu; in VII *Officium persolvendum* ea die et *Commemorationes faciendae*; inscribitur nempe in columna VII, illud ex duobus officiis, fixum vel mobile, vel eo anno translatum, quod eo die celebrandum est, et commemorationes quae in eo fieri debent; in VIII tandem consignantur *Translationes* et *Omissiones* officiorum, videlicet in ea adnotantur officia impedita, quae transferri eo anno debent, et ea quae sunt omittenda (1).

Sequentes tabellae, rem melius explicabunt. Sit ergo conficiendum calendarium Cleri Romani pro anno 1910, cuius littera dominicalis est *b*, et Pascha occurrit die 27 Martii.

(1) In commodum eorum, quibus demandatur cura annuale calendarium conficiendi, duce Gavanto (*Thesaur. s. Rit.*, Venetiis, 1647, p. 198-259); Meratus (*Gav. comment.* t. 2, Venetiis, 1749, p. 333-590); Laboranti (*Direttorio sacro*, II, Venezia, 1770, p. 3-307); *Ordo perpetuus* (ab uno Sac. Miss. ad exter. Parisiis, 1834) ac nostra aetate Buchauer (*Ordo perpetuus*. Romae, 1891) tabulas quasdam ediderunt, numero 36, quot sunt dies, quibus Pascha occurrere potest, ubi pro quolibet anno calendarium proponitur ad unguem ac distincte redactum. Candide tamen de tabulis illis nostrum sentiendi modum exponimus: si quis eas sequi velit uti normam tutissimam ad rite suis diebus reponenda festa mobilia, Dominicas ac ferias, optime illis uti potest; quia vero tabulae ipsae constructae sunt super calendarium perpetuum universale, eo modo quo extabat in breviario, quando editae fuerunt; et quia in eis desunt festa propria Dioecesis, vel Ordinis, vel particularis ecclesiae, iam patet quod inservire amplius nequeunt, pro festorum perpetuis occurrentiis, et accidentalibus translationibus; ita ut, si constructor calendarii annualis, scientia sua probe callet, illiusmodi tabulis non indiget, si vero omnes, etiam minimas, regulas perfecte non noscit, errores non paucos, nec parvos, in suo labore inducere potest.

Hoc scienter dicimus, eo quod, cum examini nostro subiectum fuerit calendarium dioecesis... pro anno currenti 1909, in eo recte disposita non vidimus nisi festa mobilia; quoad autem translationes, commemorationes, et vesperarum dispositiones, contra S. R. C. recentiora decreta, errorres 87 reperivimus!!! Melius est ergo, ut quisque methodum nostram sequatur, et tabulis gavantianis utatur tantummodo, pro mobilibus festis et dominicis recte disponendis.

Specimen fol

Dies mensis	Dominicae et Feriae	Festa Fixa		Commemoratio Fixae
1	2	3		4
1	Sab.	Circumcisio D ni	d. II cl.	—
2	Dom.	Oct. Stephani	d.	Oct. Ioan. et Ss.
3	Fer. 2	Oct. Ioannis	d.	Oct. Innoc.
4	» 3	Oct. Innocentium	d.	—
5	» 4	Thelesphori	d.	Vigil. Epiphania
6	» 5	Epiphania	d. I cl.	—
. .	. . . .	. . . . .		. . . . .
16	Dom.	Marcelli	sem.	—
17	Fer. 2	Antonii	d.	—
18	» 3	Cath. Rom. Petri	d. m.	Pauli et Priscae
19	» 4	Canuti	sem.	Marii et Soc.
20	» 5	Fabiani et Sebastiani	d.	—
21	» 6	Agnetis	d.	—
22	Sab.	Vincentii et Anastasii	sem.	—
23	Dom.	Desponsat. B. M.	d. m.	Ioseph et Emeren
24	Fer. 2	Timothei	d.	—
25	» 3	Conversio Pauli	d. m.	Petri
26	» 4	Polycarpi	d.	—
27	» 5	Vitaliani	d.	—
28	» 6	Ioan. Chrys.	d.	Agnetis II
29	Sab.	Francisci Sal.	d.	—
30	Dom.	Felicis IV	d.	—
31	Fer. 2	Petri Nolasci	d.	—

(1) Off. de 3, vel de 5, et com. de 4, vel 6, vel 3, significat eo die fieri *officium* de f

Ianuario anni 1910.

esta Mobilia	Com-memorationes Mobiles	Officium celebrandum et commemorationes faciendae	Translationes et omissiones
5	6	7	8
—	—	Off. de 3 (1)	—
vacat)	—	De 3 com. 4 (1)	—
—	—	De 3 com. 4	—
—	—	De 3	—
—	—	De 3 com. 4	—
—	—	De 3	—
. . . . .	. . . . .	. . . . .	. . . . .
inis Iesu d. II cl.	Dom. II p. Ep.	De 5 com. 6 et 3 (1)	—
—	—	De 3	—
—	—	De 3 com. 4	—
—	—	De 3 com. 4	—
—	—	De 3	—
—	—	De 3	—
—	—	De 3	—
ptuag. S. Familiae	—	De 5 com. 4 II	transl. 3 ad 3 Mart. transl. 5 II ad 1 Mart.
—	—	De 3	—
is D.ni d. m.	—	De 5	transl. 3 com. 4 ad 6 Mart.
—	—	De 3	—
—	—	De 3	—
—	—	De 3 com. 4	—
—	—	De 3	—
Sexag.	—	De 5 com. 3	—
—	—	De 3	—

mna inscripto, cum commemoratione officii in 4, vel 6, vel 3 columna.

Specime

Dies mensis	Dominicae et Feriae	Festa Fixa		Commemoratio Fixae
1	2	3		4
1	Fer 3	—		—
2	» 4	Simplicii	d.	—
3	» 5	—		—
4	» 6	Lucii I	d.	—
5	Sab.	Casimiri	sem.	—
6	Dom.	—		—
7	Fer. 2	Thomae Aq.	d.	Perpetuae et F
8	» 3	Ioan. de Deo	d.	—
9	» 4	Franc. Rom.	d.	—
10	» 5	XL Mart	sem.	—
11	» 6	—		—
12	Sab.	Gregorii I	d.	—
13	Dom.	—		—
14	Fer. 2	—		—
15	» 3	Zachariae	d.	—
16	» 4	—		—
17	» 5	Patritii	d.	—
18	» 6	Gabrielis	d. m.	—
19	Sab.	Ioseph.	d. I cl.	—
20	Dom.	Cyrilli Hier.	d.	—
21	Fer. 2	Benedicti	d.	—
22	» 3	Catharinae	d.	—
23	» 4	—		—
24	» 5	—		—
25	» 6	Annuntiatio B. M	d. I cl.	—
26	Sab.	—		—
27	Dom.	Ioan. Damasc. D.	d.	—
28	Fer. 2	Xysti III	d.	—
29	» 3	Ioan. a Capistr.	sem.	—
30	» 4	—		—
31	» 5	—		—

ense Martio.

Festa Mobilia	Commemorationes Mobiles	Officium celebrandum et commemorationes faciendae	Translationes et omissiones
5	6	7	8
—	Fer.	S Familiae ex 23 Ian. c. 6	—
—	»	Off. 3 c 6	—
—	»	Desponsatio ex 23 Ian. c. 6	—
nerum d. m.	»	O 5 c 3 et 6	—
—	»	» 3 » 6	—
IV quadr. sem.	—	» 5 » 6	—
—	Fer.	» 3 » 6 et 4	—
—	»	» 3 » 6	—
—	»	» 3 » 6	—
—	»	» 3 » 6	—
s. Sanguinis d.m.	»	» 5 » 6	—
—	»	» 3 » 6	—
Passionis sem.	—	» 5	—
—	Fer.	B. M. I. de Lourd. 11 Feb. c. 6	—
—	»	O. 3 c. 6	—
—	»	Conv. S Pauli 25 Ian. c. 6	—
—	»	O 3 c. 6	—
or. B. M. d. m.	»	» 5 » 6	Transl. 3 ad ..
—	»	» 3 » 6	—
Palmarum sem.	—	» 5	—
Mai. Hebd.	—	» 5	Transl. 3 ad ..
»	—	» 5 c. 3	—
»	—	» 5	—
in coena D.ni	—	» 5	—
in Parasceve.	—	» 5	Transl. 3 ad 4 Apr.
Sanctum	—	» 5	—
HA d. I cl.	—	» 5	Transl. 3 ad ..
d I cl.	—	» 5	omis. 3
d. I cl.	—	» 5	omis. 3
sem	—	» 5	—
sem.	—	» 5	—

Perspicue ex duodecim foliis ita dispositis, apparet ex columna VII, quod officium, quavis anni 1910 die est celebrandum, et quae in ea commemorationes faciendae; et ideo nihil tunc restat, nisi calendarium ipsum accurate transcribere, ulla sine formidine, sive oblivionis, sive erroris in translationibus, vel in praeferentia officiorum.

Idcirco ita ex. gr. transcribi potest per ordinem calendarium pro anno 1910.

Ianuarius.

✠ 1 *alb.* Sab. Circumcisio D. N. I. C. *dupl. 2 clas.* Off(icium). pr(oprium). sine ulla com(memoratione). Mis(sa) pr(opria) cum *Gl*(oria). et *Cr*(edo). Praef(atio) et *Communicantes* Nativ(itatis). — In 2 Vesp(eris) com(memoratio). tant(um). seq(uentis) *alb.*

Vel brevius:

✠ 1 *a.* Sab. Circumc. D.ni *d. 2 cl.* O. et M. pr. Praef. et *Communic.* Nat. in V com. seq.

Martius.

1 Fer. 3 *alb.* of. s. Familiae I. M. J. *dupl. mai.* (fuit Dom. 2 post Epiph.) Off. pr. pro aliq(uibus) loc(is). 9 lect(io) hom(iliae). et com. fer. in Laud(ibus) ℣ *Qui natus es.* ad Prim(am). in Mis. pr. 2 or. fer. *Gl. Cr.* Praef. Nat. Ev(angelium). fer. in fine. — In 2 Vesp. com. seq. et fer. *alb.*

Vel brevius:

1 F. 3 *a.* s. Familiae *d. m.* (f. Dom. 2 p. Ep.) off. pr. 9 l. et com. f. in L. (℣ *Qui natus*) et M. pr. Ev. f. in fin. — In V. o. seq. et f.

October.

✠ 9 *alb.* Dom. XXI post Pent(ecostem). II Oct(obris) Maternitatis B. M. V. *Dupl. mai.* Off. ut in fest(is). B. M. et pro aliq. loc. 9 lect. hom. et com. Dom. et ss. Mart(yrum). in Laud. ℣ *Qui natus es.* ad Prim. Ad Tertiam cap(itulum) de Laud. Mis. pr. pro aliq. loc. *Gl.* 2 or. Dom. 3 ss. Mm. Praef. B. M. *Et Te in festivitate.* Ev. Dom. in fine. — In 2 Vesp. com seq. et Dom. ac ss. Mm.

Vel brevius:

✠ 9 *a.* D. 21 p. P. 2 Oct. Matern. B. M. *d. m.* Off. pr. 9. l. et

com. Dom. et ss. Mm. in L. ad Prim. *Qui natus*. Mis. pr. 2 or. Dom. 3 ss. Mm. Praef. *Et Te in festiv.* Ev. Dom. in fin. in V c. seq. Dom. et ss. Mm.

Qui tamen uti malit modo breviori, necesse est ut in initio calendarii, inter alia adnotanda pro Missis votivis et defunctorum, indicat *abbreviationum* usum et explicationem.

Tandem summa cura adhibenda est in correctione editionis typis faciendae, ac etiam multum interest, ut opportuna varietate typorum, melius se habeat ipsius calendarii venustas.

Ut plurimum constructio calendarii annualis committitur praefecto coeremoniarum episcopali; alicubi, ius eligendi constructoris, spectat ad capitulum, vel ad primam dignitatem, vel ad episcopum; huic tamen semper ius manet et onus approbandi calendarium, antequam typis demandetur. Constructor autem calendarii omnino se conformare debet rubricis Breviarii et Missalis Romani, nec non decretis S. R. C. maxime iis d. d. 22 aug. 1744 n. 2378 et 9 maii 1884, n. 3609 nec non 20 martii 1869, n. 3201.

Ad rem praestat hic pro coronide transcribere, quae s. Carolus tradidit pro sua mediolanensi provincia in I concilio provinciali (*Acta Eccl. Mediol.* pars I, p. 36. Editio 1843): « Divina officia ex ordine calendarii celebrentur; quamobrem a magistro chori cathedralis ecclesiae, vel alio, cuius id munus sit, edetur singulis annis calendarium dierum festorum, quo singulorum dierum officii ratio praescribatur. Omnes inferiores ecclesiae, quaecumque illae sint, divinorum officiorum rationem dirigant ad regulare calendarii cathedralis ecclesiae ».

In concilio provinciali IV, ne deficieret calendarium annuale, ob minus determinatam personam, ad quam eius constructio spectaret, haec sunt statuta (ibid. p. 161): « Calendarium, quod ex concilii provincialis I decreta, pro certa divini officii ratione quotannis edi oportet, si minus constat, a quo confici edive debeat, Episcopus deligat constituatve qui hoc praestet, neque id cuiquam recusare liceat. Ita vero, a quo debet, in tempore conficiatur, ut et mense saltem ante Nativitatem Domini in lucem emissum sit. Ante vero quam prodeat, Episcopo tradatur, qui recognoscat, aut ab aliquibus, quos eius rei peritos delegerit, recognosci iubeat ».

APPENDIX

I.

DE SYMBOLO APOSTOLORUM
DE ORATIONE DOMINICA ET DE SALUTATIONE ANGELICA.

259. Symbolum Apostolorum semper dicitur in officio ante Matutinum et Primam, et finito Completorio. *Symbolum*, scribit Du Cange (Gloss. med. et inf. latin. hac voce), « Christiani appellant summam fidei catholicae, quasi ut quidam censent collationem, quod, ut aiunt, Apostoli simul convenientes quod quisque sentiret et crederet, in illud contulerint ». S. Augustinus (Serm. 115 de Temp.): ait: « Quod graece symbolum dicitur, latine collatio nominatur. Collatio ideo, quia in unum collata catholicae legis fides, Petrus dixit: *Credo in Deum, Patrem* etc.; Ioannes dixit: *Creatorem coeli et terrae*; Iacobus dixit: etc. ».

S. Leo I Papa (Ep. ad Pulcheriam) habet: « Ipsa catholici symboli brevis et perfecta confessio, quae duodecim Apostolorum totidem est signata sententiis ». Huiusmodi antiqua traditio de simultanea symboli compositione, passim invenitur apud Patres primaevae Ecclesiae, ideoque citari possunt, s. Clemens papa (saec. I) ac Tertullianus (saec. III), qui ait (*De praescript.* c. 21): « Fidei regula una omnino est sola, immobilis et irreformabilis, et hanc Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo suscepit ». Hoc idem aperte tradit Rabanus Maurus *De Symbolo* (Migne, *P. L.*. 107, col. 369).

Verumtamen, quod innuit Tertullianus, bene intelligi alio modo potest, *regula* enim *fidei*, quae in symbolo continetur, ab Apostolis quidem promanavit, quin praecise unusquisque ex eis suum articulum protulerit; quod hodie non undequaque probatum putatur ab eruditis.

Non desunt qui dicunt (Cfr. Ferraris, Biblioth. hac voce), quod symbolum graece, sonet latine indicium: et sic symbolum sit quoddam indicium, sive signum, vel tessera et nota christianorum, quo veri fideles discernuntur ab infidelibus; sicut a similibus tessera milites ab hostibus vel exploratoribus discernebantur, quae item symbolum militare vocabatur.

Hinc refert Du Cange (ib.), quod *Symbolum accipere et reddere*, dicebantur baptizandi antequam tingerentur, qui symbolum memoriter proferebant. Item *Symbolum violare* idem erat ac peccare contra fidem, iuxta illud s. Laurentii Novariensis (hom. I): « Violavi symbolum meum, corrupi pactum, in ipso vestibulo fontis conscriptum ». Ex quo noscitur antiquitas ritus baptismi, in quo electus adultus dicit symbolum, et patrinus pro infante.

Tria autem habentur symbola: *Apostolorum*, de quo hic agimus, *Nicoenum*, quod dicitur in Missa, et *s. Athanasii*, de quo supra cap. 20 egimus.

Grancolas (loco cit.) ad rem habet: « Symbolum Apostolorum ex veteri fidelium more *Quotidie antelucanis horis recitandum est*, iuxta s. Ambrosium *de veland Virg.* Apud s. Augustinum quoque hom. 5. inter 50 haec habentur: « *Quotidie dicitis, quando surgitis, quando vos collocatis ad somnum* ».

Gavantus docet, quod s. Damasus decrevit ad omnes horas recitari symbolum Apostolorum; imo Durandus (l. 4. c. 25) innuit etiam suo tempore fuisse in usu hunc ritum, postea abrogatum, exceptis Matutino, Prima et Completorio. Dicitur autem secreto, ut tradit Rubrica, ante Matutinum et Primam, ac post Completorium quotidie, ulla sine exceptione: dicitur vero partim clara voce et partim secreto, quando dicendae sint preces ad Primam vel ad Completorium.

« Sciendum est, notat Grancolas (loc. cit.), olim totum alta voce in precibus Primae et Completorii recitatum fuisse. Rubrica vero, quae submissa voce *Pater*, *Ave* et *Credo* ad officii initium atque finem recitari iubet, indicat additamenta haec esse postremis hisce temporibus facta; ea enim quae ad officium spectant semper alta voce prolata fuere ». Postea, adducens rationem mysticam a s. Thoma traditam (2, 2, quaest, 9 ad 6), concludit dicens: « Qualiscumque demum sit haec s. Thomae allegorica explicatio, inde saltem discimus, s. Thomae aetate symbolum ad Primam et Completorium recitari solitum, id decantatum (lege clara voce pronuntiatum) non fuisse »

Pater noster, *Ave*, et Symbolum Apostolorum profecto videntur omnium fidelium preces fuisse, dum a lecto surgebant, et dum cubitum ibant, sicut et hodie faciunt boni christiani; easque porro monachi et clerici singillatim, uti privatam precem, ante officium, dum surgebant ad Matutinum, et postea ad Primam dicebant, sicque post Completorium, quod, ut supra, cap. 26, innuimus, in ipso loco dormitionis dicebatur.

260. Oratio dominica, quae est oratio antonomastice dicta, et cunctis venerabilior ac suncta, ab ipsis Apostolis, ut eruitur ex *Doctrina Apostolorum*, inducta fuit in primae Ecclesiae conventibus, ita ut saltem ter in die diceretur, loco orationis hebraeorum, iis horis diei, quae postea ordinatae sunt, et dicuntur horae minores (Cfr. Bäumer I, p. 56).

In Concilio Gerundensi an. 517, can. 10 (Harduin, *Coll. Conc.*, to. II, col. 1044) praescribitur: « Ita nobis placuit, ut omnibus diebus post matutinas et vespertinas Oratio dominica a sacerdote proferatur ».

Celebris est canon 10 Concilii Toletani IV de anno 633 (Harduin, to. III, p. 575), in quo, contra aliquos, qui dominicam orationem tantummodo die dominica dicendam esse contendebant, aperte et stricte praescribitur: « Nam in tantum quotidie haec oratio dicenda est, quantum et ipso titulo utitur, cum vocatur oratio quotidiana; sic enim sancti Patres nuncupaverunt... Quisquis ergo sacerdotum vel subiacentium clericorum hanc orationem dominicam quotidie, aut in publico, aut in privato officio, praeterierit, propter superbiam iudicatus, ordinis sui honore mulctetur seu privetur ».

In Antiphonario de Benchor (cod. bobiensis in ambrosiana adserv. ed. Warren in Bradshaw Society 1893-95) habentur preces *ad initium noctis*, in quibus dicendum erat symbolum et *Pater noster* (Cfr. Bäumer I, p. 240). Martène (*De ant. rit.* l. IV, c. 8, et *De monast. rit.* l. I, c. 11) refert usum monachorum dicendi *Pater* et *Credo* ante matutinum et primam.

Attamen post completorium dicenda prima vice inveniuntur in ordinationibus s. Benedicti Anianensis († 821), qui suis monachis praescripsit, ut genibus flexis ante maius altare et secrete ea dicerent.

Nihilominus, ut bene notat Meratus (hoc loco, n. 1), usus orationem dominicam, in initio officii divini, recens est; nam in nulla monachorum regula X, XI et XII saeculi occurrit, neque, in Breviario cassinensi XI saeculi, neque, ut tradit Grancolas

(lib. I, c. 25), in antiquis consuetudinibus cluniacensibus, in quibus omnibus officii principium desumebatur ab illis verbis *Deus, in adiutorium.*

Ipse s. Benedictus nec in principio aec in fine recitanda m praescribit orationem dominicam, sed inter preces dumtaxat.

Legimus monachos aliquos ante officium omnia altaria ecclesiae percurrisse, atque coram singulis *Pater* recitasse, quod non parum officium retardabat, sed huiusmodi privatae pietatis opera abrogata fuerunt, et statutum fuit ut suo quisque loco in choro orationem dominicam diceret antequam celebrans officium inciperet (Cfr. Merati, loc. cit.).

Tribus modis pronuntiatur in officio divino Oratio dominica: integre secrete, integre clara voce, et aliquando partim clara voce, et partim secrete.

Tota oratio *Pater* cum verbo *Amen* dicitur secreto in principio et in fine horarum (sicque *Ave, Maria*, semper dici debet secreto per totum). Dicitur integre clara voce, in precibus ad laudes et vesperas ferialis officii, tunc enim hebdomadarius totum *Pater noster* recitat clara voce, et chorus respondet more solito post *Et ne nos inducas in tentationem.* In aliis precibus, quae dicuntur in aliis horis, sicut et in officio defunctorum, in psalmis gradualibus et poenitentialibus, et passim in multis benedictionibus, clare proferuntur ab hebdomadario prima verba *Pater noster*, reliqua secreto dicuntur, usque ad: *Et ne nos inducas in tentationem*, quod dicit hebdomadarius, et chorus respondet, more versiculorum: *Sed libera nos a malo*, absque voce *Amen.*

Cur autem, ut plurimum, ita dicatur Oratio dominica in divino officio, nemo ex rubricarum expositoribus acceptabilem rationem adducit. Gavantus, qui nimis facile suas facit mysticas rationes Durandi, ad rem scribit: « Saepius autem totum secreto dicitur, quia Deus de corde clamantes audit ». Ex quo probaretur quod semper secreta esse deberet oratio; et statim sequitur: « Non raro clara voce, et secreto simul, primis iis verbis invitando alios: *Pater noster*; postremis requirendo eosdem ad consensum, Dur. 1, 5, c. 5, quod fit propter Sanctorum communionem, inquit Hug. in *Spec.* c. 3, quod autem dicatur in medio horarum, id fit ad humilitatem et devotionem ». Nescimus utrum lectores nostri huiusmodi rationes uti satisfacientes accipiant.

Qui autem diceret, ut nos arbitramur, usum huiusmodi ortum

habuisse ex antiqua consuetudine, de qua loquitur s. Augustinus, forsan non longe a veritate abiret. Scribit enim s. Augustinus (Epist. 107), quod sacerdos, dicturus orationem, populum invitabat dicendo *Oremus*, et postquam populus parumper in secreto orasset, sacerdos, quasi colligens preces omnium adstantium, collectam dicebat.

Itaque, quando collectae ab omnibus amplius intellectae non fuerunt, oratio secreta ab Oratione dominica substituta fuit, et sic partim alta voce, partim submissa dicendam esse statutum est. Haec nostra sententia.

261. Salutatio angelica, scilicet verba illa quae leguntur in evangelio ab Angelo Gabriele prolata: « Ave (Maria), gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus » (Luc. I, 28), et alia beatae Elisabeth: « et benedictus fructus ventris tui » (ibib. 42), invenitur in antiphonario gregoriano, uti antiphona *ad offerenda* in missa dominicae IV Adventus, uti adhuc iacet in missali pro offertorio eiusdem dominicae, nec non in festo Annunciationis, et in missa votiva de beata post Pentecosten.

Serius tamen huiusmodi salutatio a fidelibus usurpata est in privatis precibus; imo ait Grancolas (*Comm. hist. in Brev. Rom.*, c. 25): « Nullus eorum scriptorum, qui fideles et preces quasdam persolvendas hortati sunt, eius rei meminit, atque ad XI usque saeculum concilia et Patres, symboli tantum et orationis dominicae meminerunt, quae a populis disci et quotidie recitari suadebant ». Et citat concilia Foriuliense (795) et Moguntinum (813), nec non capitularia Caroli magni (l. 6, c. 71) in quibus parochis mandatur ut populos admonerent « symbolum et dominicam orationem eos scire debere, ut salutem consequi possint; atque ut omnis excusationis occasio populis tolleretur, pastoribus demandatur, ut palam alta atque distincta voce oratio dominica, symbolum et decalogum pronuncientur, ut qui ea ignorant, saepius repeti audientes addiscant ». Item notat, quod in nullis aliis conciliis de *Ave, Maria*, ulla fit mentio, neque in regulis pro fratribus laicis sive templariis aliud praecipitur, quam certus numerus *Pater noster*, iis qui officium non recitabant.

Inter preces populo praescriptas *Ave, Maria*, invenitur primum in statutis Odonis de Solliaco episcopi Parisiensis anno 1195, ubi legitur: « Exhortentur populum presbyteri ad dicendam orationem dominicam, et *Credo in Deum* et Salutationem angelicam ».

Item in statutis Lingonensibus (1404) decretum est « ut

singulis dominicis in concione recitetur intelligibili voce *Pater noster, Ave, Maria* et *Credo in Deum* ». Tunc temporis autem dicebatur tantummodo salutatio, usque ad verba *fructus ventris tui*, qualis invenitur in offertorio IV dominicae Adventus.

Iuxta Bäumer (II, p. 201) adiectum est nomen *Iesus*, quando s. Bernardinus devotionem erga Ss. Nomen propagavit ubique, et hoc maxime factum est in recitutione Rosarii, pro qua Sixtus IV indulgentias concesserat. Certo d. Thomas (opusc. VIII), in expositione *super salutat. angel.* hanc exhibet absque Ss. nomine *Iesu*.

Dom. Biron, in nota ad Bäumer (loc. cit.), docet quod secunda pars salutationis angelicae, nempe *sancta Maria*, etc., etsi non integre, prima vice invenitur in quodam achrostyco italica lingua exarato saeculo XV, nec non in breviario eiusdem saeculi Fratrum minorum. Cum enim post verba: *ventris tui Iesus*, usurpari coeptum esset secundum partem; *Sancta Maria, mater Dei, ora pro nobis peccatoribus*, Franciscani postea addiderunt postrema verba: *nunc et in hora mortis nostrae. Amen.* (Grancolas, loc. cit.).

Licet autem integra Salutatio angelica, ut ait Bäumer (ibid.), iam inducta inveniatur in officio monachorum s. Benedicti de Lotharingia, anni 1503, et etiam, ut addit Biron (ibid.), in breviario impresso anno 1514, pro Mercedariis et Camaldulensibus, nihilominus in suo breviario cardinalis Quignonus ponit *Ave, Maria*, dicendam cum *Pater* in principio cuiusque horae, quam terminat in verbis: *ora pro nobis peccatoribus. Amen.*

Tandem s. Pius V, Salutationem angelicam, prout nunc iacet, dicendam esse praecepit in divino officio ante omnes horas et in fine completorii, simul cum *Pater noster*.

Itaque nescimus quonam argumento, cum Gavanto, ex Baronio nonnulli docent, quod secunda pars angelicae Salutationis, nempe verba *sancta Maria*, etc., addita fuerit a concilio Ephesino (431); in eo quidem definita fuit divina maternitas, sed ne verbum quidem de hac additione in actis eiusdem concilii invenitur. Imo, ut bene notavit Grancolas (loc. cit.), nulla de hac formula fit mentio ante saeculum XV, in scriptis Patrum, nec in liturgia. Sit pro omnibus d. Thomas, qui *Ave, Maria*, illustrat, absque illis verbis.

Rubrica quam hic illustramus, paucis nunc indiget declarationibus, et per se patet, quando et quomodo dicendae sint Oratio dominica et Salutatio angelica.

Porro dicuntur secrete, ante unamquamque horam, excepto

completorio, quod incipitur a lectione, et quia dicuntur post ipsum. Ita ut si post completorium dicendum sit immediate matutinum sequentis diei, tum denuo dici debent, ut explicite mandat rubrica (in fine complet.), « quia completorium quod est finis officii sic terminari debet, et ante matutinum iterum repetitur pro principio officii sequentis diei ».

In fine autem cuiusvis horae, dicitur *Pater noster* tantum, nisi statim subsequatur alia hora, quia tunc dicitur unum tantum *Pater* et *Ave*, pro horae sequentis initio.

II.

DE PRECIBUS.

262. Preces ait Rubrica (XXXIV, 4) sunt aliquot versus, qui aliquando dicuntur ante orationem, incipientes a *Kyrie, eleison*, vel a *Pater noster*. Iuxta Martène (*Ante Rit. Mon.* l. 1, c. 3, n. 15) et Bäumer (I, pagg. 368 et 374), antiquissimae sunt; vocabantur autem *collectiones*, *collectae*, *capitella*, aut *capitula de psalmis*. Idem Bäumer (II, p. 427) notat, huiusmodi precum usum quodammodo institutum fuisse ex praecepto apostolico; nam s. Paulus (Tim. II, 1, 2) ait: « Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt ».

S. Ambrosius (in I Tim. apud Migne, *P. L.* XVII, c. 466) ad rem scribit: « Haec regula ecclesiastica est tradita a magistro gentium, qua utuntur sacerdotes nostri, ut pro omnibus supplicent, deprecantes pro regibus » etc. Idem prope dicunt s. Augustinus (Epist. 149, n. 11, *P. L.* XXXIII, c. 636) et s. Io. Chrysostomus (in I Tim. *P. G.* LXII, c. 530). Ita ut Patres antiqui recentioresque doctores unanimiter in citato textu paulino praescriptionem agnoscant apostolicam circa publicas preces fundendas in ecclesiis.

Praeclarissimum tamen testimonium de huiusmodi precum usu perantiquo habetur in fragmento primae epistolae s. Clementis romani ad Corinthios, recenter invento a Brynnois, quod Bäumer (ib. p. 432) refert, et nos libenter lectoribus nostris exhibemus (1).

(1) *Preces papae s. Clementis romani* (*an Chr. 95*) *Epist. I ad Cor.* c. LIX-LXI edit. Funk (Tubing. 1887, p. 135):

Continuo orantes ac supplicantes precabimur, ut opifex omnium rerum numerum electorum suorum constitutum in toto mundo conservet integrum per dilectum puerum Iesum Christum, per quem nos vocavit de tenebris in lucem, de ignorantia in cognitionem gloriae nominis sui... qui humilias arrogantiam superborum... qui intueris abyssos, inspector operum hominum...

Rogamus te, Domine, ut sis adiutor et auxiliator noster. Eos

In regula s. Caesarii Arelatensis, qui floruit ante annum 502, (Migne, *P. L.* LXVII, c. 1102), neque non in regula s. Aureliani (568) pro monachis suis (Migne, *P. L.* LXVIII, c. 395). et Concilium Agathense, can 30 (Harduin, *Coll. Conc.* II, p. 1101), praescribunt in officio divino preces, quas vocant *capitella.*

Ipse s. Benedictus in sua regula pluries de his precibus agit, ibique appellantur *Supplicatio litaniae* (Reg. c. IX, XII).

nostrum, qui in tribulatione sunt, libera, humilium miserere, lapsos eleva, inopibus occurre, infirmos sana, errantes populi tui converte; nutri esurientes, solve captivos nostros, erige imbecilles, consolare pusillanimes; cognoscunto omnes gentes, quod tu es Deus solus et Iesus Christus puer tuus ac nos populus tuus et oves pascuae tuae.

Tu perennem mundi constitutionem per effectus manifestasti; tu Domine, orbem terrae fundasti, fidelis in omnibus generationibus, iustus in iudiciis, admirabilis in fortitudine et magnificentia, sapiens in condendo et prudens in creatis stabiliendis... benignus et misericors, dimitte nobis iniquitates et iniustitias et peccata et delicta nostra.

Ne imputes omne peccatum servorum tuorum et servarum, sed purifica nos in veritate tua, et dirige gressus nostros, ut in pietate et iustitia et simplicitate cordis ambulemus et agamus, quae bona et beneplacita sunt coram te ac coram principibus nostris.

Immo, Domine, ostende faciem tuam super nos, ut bonis fruamur in pace tegamur manu tua potenti, et ab omni peccato liberemur brachio tuo excelso, ac libera nos ab iis, qui nos oderunt iniuste.

Da concordiam ac pacem et nobis et omnibus habitantibus terram, sicut dedisti patribus nostris pie te invocantibus in fide et veritate, qui obedientes sumus nomini tuo omnipotenti omnique virtute pleno et principibus et praefectis nostris in terra.

Tu, Domine, dedisti iis potestatem regni per magnificam et inenarrabilem virtutem tuam, ut cognoscentes gloriam et honorem, quem tu iis tribuisti, nos subiiciamus ipsis, voluntati tuae non adversantes; quibus da, Domine, sanitatem, pacem, concordiam, firmitatem, ut imperium, quod tu iis dedisti, sine offendiculo administrent. Tu enim, Domine, caelestie rex saeculorum, filiis hominum das gloriam et honorem et potestatem eorum, quae in terra sunt; tu, Domine, dirige consilium eorum secundum id, quod bonum et beneplacitum est in conspectu tuo, ut potestatem a te datam in pace et mansuetudine pie administrantes propitium te habeant.

Qui solus haec et plura bona nobiscum agere potes, tibi confitemur per pontificem ac patronum animarum nostrarum, Iesum Christum, per quem tibi gloria et maiestas et nunc et in generationem generationum et in saecula saeculorum. Amen.

Sanctus Columbanus autem († 610) in sua coenabitarum regula, c. VII (Migne, *P. L.* LXXX, c. 212), habet: « . . . psalmi statuti sunt a senioribus nostris cum versiculorum augmento intervenientium pro peccatis primum nostris, deinde pro omni populo christiano, pro sacerdotibus et reliquis Deo consecratis sacrae plebis gradibus; postremo pro eleemosynas facientibus, postea pro pace regum, novissime pro inimicis ».

Tandem Amalarius (*De eccl. off.* I. 4, 4, apud Migne, *P. L.* CV, c. 1175), Durandus (*Rationale* I. 5, c. 5, n. 11) et Radulphus, Tungrensis (*De can. observ.* pr. 14) iam de precibus, quae nunc habentur in breviario, diserte loquuntur.

Imo preces hodiernae ad laudes et vesperas feriales, Martène (ib.) exhibet ex breviario casinensi saeculi IX, in bibliotheca parisiensi adservato, in quo, versus V sic se habet: *Domine salvos Reges;* non *Regem*, uti nunc habemus.

In breviario s. Pii V hoc loco legitur: *Domine, salvum fac regem nostrum N....* quae formula, in correctione Clementis VIII, in nodiernam mutata fuit. Meratus (Sect. 5, c. 17, n. II) iure arguit Gavantum, qui ait: « Regem autem hoc loco totius Ecclesiae intellegimus Papam ». Nescimus profecto, quomodo Gavantus, alioquin circumspectus, hoc scripserit, certum enim videtur, precem illam fundi pro principe, cuius dominio subiecti sunt, qui precem illam recitant, quocumque nomine veniat, sive ducis, sive imperatoris, sive dynastae, etc., ac etiam praesidis, iuxta hodiernum rerumpublicarum ordinem.

Mirum aliquibus videtur, in hisce precibus, fieri obsecrationem pro principe, non vero pro romano pontifice. Meratus (ib.) notat in ℣ precedenti; *Sacerdotes tui induantur iustitiam* comprehendi, primario, papam; quod summo iure bene dici potest, sed tamen optabile esset, ut fit in tot aliis locis s. liturgiae, explicitam precem pro pontifice summo fundere.

In breviario parisiensi a card. De Talleyrand edito, licet a romano diverso, et ducto privata auctoritate, ad preces habentur versus: *Oremus pro papa nostro N... — Pro pastore nostro N... Pro universa Ecclesia — Pro rege nostro N... — Pro cuncto populo* — etc. Singulare vero videtur, quod in breviario Carmelitarum antiquae observantiae nil habetur de papa, sed post ℣ pro defunctis, additur ℣ *Pro priore generali nostro.*

Hoc de precibus ad laudes et ad vesperas. Quae vero habentur ad primam pro diebus ferialibus ieiuniorum, prolixiores sunt, et item antiquissimae, et dicuntur etiam preces flebiles.

Nescimus, utrum verum sit, quod dicit Gavantus (ib. n. 2), citans s. Isidorum: « A Graecis compositas fuisse preces, unde retinentur primae voces graeconice *Kyrie, eleison* » quia nullus ex antiquis scriptoribus hoc notavit; et aliis in locis s. liturgiae huiusmodi voces inveniuntur.

Quoniam vero in his precibus ferialibus habentur formulae venerandissimae, quoad substantiam a temporibus Apostolorum invectae, non satis deplorari potest hodierna multiplicatio festorum, quae impedit, quominus istiusmodi preces dicantur in divino officio.

III.

DE COMMEMORATIONIBUS COMMUNIBUS SEU SUFFRAGIIS SANCTORUM.

263. De his agens rubrica (Tit. XXXV) ait: « Commemorationes communes, seu suffragia de sanctis, quae habentur in psalterio post vesperas sabbati, dicuntur in fine vesperarum et laudum, ab octava Epiphaniae usque ad dominicam Passionis exclusive, et ab octava Pentecostes usque ad Adventum exclusive, in dominicis, feriis et festis (nisi officium sit duplex, vel infra octavas, etiam si de dominica, vel semiduplici infra eas fiat), et illis adiungitur commemoratio de patrono, vel titulo ecclesiae, ante vel post commemorationem de sancta Maria, de s. Ioseph et de Apostolis, pro dignitate illius, ita tamen, ut semper ultimo loco ponatur commemoratio de Pace. Et ante illa in feriali officio fit commemoratio de Cruce ».

Huiusmodi Commemorationes seu *Suffragia* satis sunt antiquae; et Bäumer (I, p. 374) de eis mentionem invenit tempore s. Gregorii magni, quia in fine officii tunc recitabantur antiphonae de Cruce, de s. Maria et de *sancto cuius veneratio in praesenti ecclesia colitur*. Vox Suffragium, iuxta Du Cange (Gloss.), sumitur pro quavis praestatione, pro auxilio, ideoque et pro orationibus quibus sanctorum auxilia imploramus; et inter alios citat Evervinum Steinfeldensem, qui de haereticis sui temporis ait: « In suffragiis sanctorum non confidunt ». Suffragia ergo seu commemorationes Ss., nil communis habent cum suffragiis de quibus loquuntur *Constitutiones apostolicae* (Cfr. Bäumer I, p. 238), quae, ut vidimus, aliud non sunt nisi preces feriales.

Radulphus Tungrensis (prop. 14) has commemorationes appellat *Memorias*; sed et Micrologus iam de illis agit (c. 44), et meminit comm. de Cruce, de s. Maria et de Apostolis, de quibus ubique fieri debet memoria, eo quod sint totius Ecclesiae patroni, ut ait Durandus (l. 6. c. 60),

Commemorationes non dicuntur nisi in officiis minoris solemnitatis, nempe in ritu semiduplici et simplici. Ratio est, quia

in divino officio, iam ab eius institutione, quo maior est solemnitas, eo minus fit de aliis officiis memoria; igitur suffragia non dicuntur in duplicibus neque infra octavas, quia, ut diximus licet infra ipsas officium fiat semiduplex, nihilominus in obsequium festi, cuius agitur octava, non fiunt suffragia sicut nec preces dicuntur.

Item, tradit rubrica, Breviarii, tempora habentur per annum in quibus minime dici debent suffragia. Omittuntur ergo: I. Ab Adventu usque ad octavam Epiphaniae. II. A dominica Passionis usque ad SS. Trinitatem inclusive. Ratio huius non bene a doctoribus traditur, dicunt enim (Cfr. Durandum, Gavantum et alios minores), tempore Adventus et Passionis non decere invocare suffragia Ss. quia in adventu principis cedunt servi, tempore passionis uni Christo vacemus. Haec ratio, si quid valet, nimis probat: cum enim iis temporibus festa agimus Ss. quod est maius, bene poterat et commemoratio eorum agi, quod est minus.

Pius pp. IX anno 1871 postquam s. Ioseph patronum catholicae Ecclesiae constituit, eius quoque memoriam inter Ss. suffragia fieri mandavit.

Rubrica quoque ait: *adiungitur commemoratio de Patrono vel Titulo ecclesiae.* Iuxta Gavantum (hoc loco) fieri debet commemoratio tam de patrono loci, quam de titulo ecclesiae. Guyetus vero (l. 3, c. 18, p. 9), cui adstipulatur Meratus (hoc loco), opinionem Gavanti refellit, dicens, quod si vera esset sua sententia, pessime concepta fuisset rubrica: debuisset enim adiungi: ex. gr.: Illis adiungitur commemoratio de patrono loci *et* de titulari ecclesiae. At cum deficiat particula *et*, habeaturque particula *vel*, imo cum in eadem rubrica non dicatur *pro dignitate illorum*, sed pro dignitate *illius*, dicendum est, voluisse rubricam tantummodo commemorationem unius non duorum.

Nihilominus interpretatio Gavanti in praxim deducta est, omnes inter suffragia memoriam egerunt tam de patrono, quam de titulari propriae ecclesiae. Forsan dicendum est illam fuisse mentem legislatoris, etsi minus feliciter expressam in rubrica; nam in breviariis ante s. Pium V editis proponitur utriusque commemoratio.

In breviario Placentinae ecclesiae, Venetiis edito anno 1530 (p. 65 et seq.), habentur suffragia: I. de b. Maria, II. de ap. Petro et Paulo, III. de patrono s. Antonino, IV. de patrona s. Iustina, V. *De sancto sub cuius vocabulo est ecclesia, vel de*

quo habentur Reliquiae, VI. de omnibus sanctis, VII. de pace. Similia habentur tam in breviario Bracharensi 1724, quam in Parisiensi 1735.

Quidquid sit de littera huius rubricae, omnes commemorationem agere debent et de patrono et de titulari, ut decrevit S. R. C. d. 6 Apr. 1894, n. 3823, *si vigeat consuetudo.*

Commemoratio de patrono et de titulari facienda est, ante vel post commem. de s. Maria, de s. Ioseph, et de Apostolis, pro dignitate illius. Igitur qui habet titularem suae ecclesiae SS. Trinitatem, vel SS. Redemptorem etc. eius comm. fit ante b. Mariam.

Item ubi s. Ioannes, vel s. Michael, aut angelus custos sunt patroni vel titulares, eorum comm. fit ante s. Ioseph. Ceterum pro mensuranda dignitate Ss. attendendus est ordo litaniarum.

In feriali officio, non autem in aliis, ante suffragia fit de Cruce. De hac sic scribit Gavantus: « Miror cur de Cruce, a qua pendet nostra salus, nonnisi fiat in feriali officio? » Aeque nos cum Merato nescimus huius rationem; breviaria tamen omnia, etiam aliorum rituum, ponunt Crucis commemorationem tantummodo in officiis ferialibus; imo Micrologus ipse testatur (c. 30), iam suo tempore id in usu fuisse. Tempore paschali non fiunt suffragia solita, sed tantum de Cruce, per antiphonam quae evidentem relationem habet cum mysterio resurrectionis et per orationem paschalem, quia ab ipsa Cruce resurrectio ortum habuit. Fit autem tantummodo in officiis inferioris ritus, non in duplicibus, neque per octavas, ob rationem supra allatam.

« Si facienda sit commemoratio alicuius festi occurrentis, semper fit ante ipsa suffragia consueta, etiam ante commemorationem de Cruce », ait rubrica.

Ratio huius est, quia commemoratio festi occurrentis pertinet ad officium diei, ideoque, licet agatur de sancto inferioris dignitatis, fit ante Crucem et b. Mariam. Suffragia enim dicuntur commemorationes *communes*, scilicet infimae nobilitatis quae idcirco locum cedere debent commemorationibus particularibus officio diei pertinentibus.

« Commemoratio de sancta Maria non fit cum aliis, quando dicitur eius officium parvum, nec quandocumque fit officium de ea »; quia in officio nunquam bis fit de eodem obiecto. Ideoque in officio votivo de s. Ioseph, vel de ss. ap. Petro et

Paulo, vel de s. Patrono ubi indultum est, in suffragis non repetitur commemoratio de eis.

Gavantus (hoc loco) docet non fieri suffragium de s. Maria quando dicitur eiusdem officium parvum in choro, nisi in propria ecclesia, et citat S. R. C. decretum d. 10 Ian. 1604. Hoc tamen decretum, quod in antiqua collectione habebatur sub n. 231, in nova non exstat, et bene; nam non satis intelligitur huiusmodi dispositio.

IV.

DE OFFICIO PARVO B. MARIAE – DE OFFICIO DEFUNCTORUM DE PSALMIS GRADUALIUS ET POENITENTIALIBUS

264. Quando addi coeptum fuerit officium b. Mariae post horas canonicas, tuto statui nequit. Bäumer (I, p. 375) docet quod Bona (*Div. psalm.*, c. 12, § 2) et Thomassinus (*V. et N. Eccles.* disc. I. l. 2, c. 86, n. 8), teste Paulo Diacono, supponunt s. Gregorium II composuisse illud officium, et s. Zachariam eius recitationem praecepisse; ait autem, quod s. Petrus Damianus hoc ipsum officium emendavit et auxit, sicque adiectum fuit officio divino. Quam sententiam multis testimoniis, ex discipulis et concivibus eiusdem Petri Damiani, iam probaverat Meratus (hoc loco); qui addit: « Urbanus II in concilio apud Clarum Montem in Gallis celebratum anno 1095, sancivit, ut SS. Virginis Officium, iam a quibusdam monachis frequentatum, etiam a clericis recitaretur; quod quidem officium in praefato synodo clericis omnibus praescriptum, deinceps tanto studio propagatum fuit, ut ipsi etiam laici illud soleant frequentare ».

Certo certius b. Urbanus II fuit b. Mariae virginis devotissimus, ut legitur in lectionibus pro clero romano in eius festo, et patrocinium Deiparae invocandum potissimum praecepit, ut fideles suscipiendae expeditioni Cruciatorum impares essent, milites pro religionis causa dimicantes, saltem orationibus adiuvarent. Imo in concilio, quod idem coegit Placentiae eodem anno, prima vice ipse decantavit praefationem b. Mariae, ut testatur traditio placentinorum, et ex Baronio et Bellarmino docet Gavantus et Meratus, nec non Benedictus XIV (*De sacrif. Miss.*, l. 2, c. 11, n. 16).

In choro, si adest consuetudo recitandi hoc officium, obligat etiam post bullam s. Pii V, non tamen extra chorum.

Quod vero attinet ad officium mortuorum, licet eius institutio ignoretur, ut ait Meratus (hoc loco), constat tamen, consuetudinem preces effundendi pro animabus defunctorum ab ipsis Apostolis emanasse. Nonnulli auctorem faciunt huius officii, vel Origenem, vel s. Ambrosium, vel s. Augustinum, alii vero Amalarium.

Cardinalis autem Bona (*Div. Psalm*, c. 13, n. 2) eos plenaria fide dignos non esse docet. Bäumer (II, p. 37) tradit, id certum esse, quod officium mortuorum et psalmos tam poenitentiales quam graduales monachi primitus ex devotione in divino officio induxerunt, praesertim apud cluniacenses, cartusianos et cistercienses; saeculis XII et XIII eorum usus Romae quoque receptus fuit.

Quoad psalmos graduales, notamus cum Merato (hoc loco): « Quindecim in psalterio psalmi, nimirum a Ps. 119 usque ad 134, graduales appellantur; in textu hebraeo praefatus titulus idem sonat ac *Canticum Ascensionum* ».

« Communem tamen interpretationem *Canticum graduum*, vulgo plures sequuntur, sumpto hoc nomine ex 15 gradibus Templi, in quibus cantabantur ».

S. Augustinus (Psalm. 50) rationem reddere videtur, propter quam totidem fuerunt, dicit enim: « Septem et octo quindecim sunt: tot sunt et cantica, quae appellantur graduum, quoniam totidem fuerunt templi gradus ».

Venerabilis cardinalis Bellarminus in aureo suo opuscolo *de Ascensione mentis in Deum*, ad similitudinem 15 psalmorum gradualium in totidem gradus distinguit, quibus anima ad Deum ascendit. Ex quo colligitur, numerus quindecenarius mystice sumptus est. Pius V, hos graduales psalmos in feriis IV quadragesimae dicendos esse indixit in choro.

Psalmi poenitentiales septem numero, inveniuntur in Ordine Romano in feria IV quadragesimae. Innocentius III praescripsit ut recitarentur in divino officio in quadragesima; et Pius V eos assignavit pro sola feria VI. Litaniae sanctorum, quae hodie habentur, demptis aliquibus sanctis, eaedem sunt quae in ordine romano inveniuntur, pro *Benedictione ecclesiae.*

---

*

V.

DE ANTIPHONIS B. MARIAE IN FINE OFFICII

265. « Antiphonae ait Rubrica (Tit. XXXVI) beatae Mariae positae in fine psalterii post completorium, singulae dicuntur pro temporis divertitate, ut ibi annotatur, praeterquam in triduo maioris hebdomadae ante Pascha». De huiusmodi antiphonis nulla invenitur mentio in libris liturgicis, nisi post saeculum X, ut docet Wagner (*Orig. et dèvel. du chant litur.* Desclée, 1904, p. 161) quia in antiphonario s. Galli (cod. 390, 391) eo saeculo conscripto, omnino desiderantur. In eo quidem (fol. 10) habentur: *Alma Redemptoris* et *Salve, Regina*, sed characteribus et neumis saeculi XIII; *Salve, Regina* tamen prostat ad modum potius responsorii, sicut et invenitur in Bibliotheca Cantabrig. (Cod. Mm. 11, 9, saec. XIII). Hoc eodem modo prostat in antiquo Breviario placentino ed. 1530, p. 79–80 (1).

(1) Hic placet lectoribus exhibere cum suis rubricis, ut sequitur: « Notandum, quod finitis horis canonicis, sive plures horae successive dictae fuerint, sive unaquaeque separatim, et de per se dicta fuerit, semper antequam presbyteri exeant chorum, hebdomadarius vel quicumque officium facit, omnibus cum illo genua flectentibus, dicant sequentem antiphonam seu laudem, vel salutationem sanctae Mariae virginis:

Salve, Regina misericordiae, vita, dulcedo et spes nostra, salve etc.» usque in finem, sicut nos hodie habemus: caret ergo vox *mater*, sicut in praedicto codice gallensi et cantabrigiensi.

Postea, in Placentino breviario, sequitur ℣ *Diguare me*, et oratio *Omnipotens... qui gloriosae virginis* etc. post quam rubrica prosequitur:

« Suprascriptus modus dicendi *Salve, Regina*, observatur pariter per totum annum, praeter quam in Coena Domini, et in parasceve, ubi dicta laus et antiphona omnino subiicetur; et exceptis completoriis tam dominicalibus et ferialibus, quam solemnibus et festivis, a quarta feria cinerum inclusive, usque ad quartam feriam maioris hebdomadae similiter inclusive. Quia tunc post cantatum completorium diei, et suo more dicto completorio beatae Virginis, si dicendum fuerit, per versicularium dicta antiphona cantando inchoetur, et chorus

Scriptores ecclesiastici non unum fecerunt auctorem huiusce antiphonae, sed communiter etiam saeculo XIX ab Hermanno Contracto, O. S. B., de Reichenau (1054), fuisse conscriptam docuerunt. Hodie vero, ut refert Wagner (*Das « Salve Regina » Gregor. Rundschau*, 1903, nn. 3–6) D. Gabriel Meier in catholico congressu Monachii habito anno 1900 (*Act. congr.*, p. 160) probavit alium, non vero Hermannum praedictum, fuisse auctorem.

Notandum quoque est, quod in Breviario Carthusianorum (Cfr. edit. 1879) haec antiphona sic se habet: Salve, Regina misericordiae, vitae dulcedo, et spes » etc., atque in fine desinit... « Et Iesum benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exsilium ostende benignum. O clemens, o pia, o dulcis Maria », absque voce « Virgo ».

Ad rem scribit Grancolas (*Comm. Brev.*, c. 40): « Carthusiani secuti sunt Hermanni scripturam, scilicet primitivam compositionem huiusce antiphonae ». Similiter Thomas Cantipratensis, ab eodem Grancolas citatus, refert sanctionem a Fratribus Praedicatoribus Parisiis praescriptam, ut « omni die post completorium cum processione et solemnitate cereorum *Salve, Regina misericordiae* », unde intelligimus tunc temporis, antiphonam *Salve* adhuc esse apud ordinem s. Dominici usitatam, prout fuerat initio composita absque verbum *mater* et cum voce *vitae dulcedo*, quod et notavit Merati (hoc loco).

illam excipiens similiter quousque dictum fuerit: *exsilium ostende.* Tunc enim antequam dicatur *O clemens*, per duos ex minoribus stantes ante altare cantentur versus infrascripti videlicet:

« Virgo, mater ecclesiae, aeternae porta gloriae, esto nobis refugium apud Patrem et Filium. Quibus finitis chorus respondens dicat: *O clemens.* Et subinde per alios duos ipsis minoribus superiores stantes, ut supra, sequentes versus concinantur: Virgo clemens, virgo pia, virgo dulcis, o Maria; exaudi preces omnium, ad te pie clamantium »;

« Et eis finitis, chorus similiter respondens dicat:

« *O pia.* Postremo per alios duos praedictis omnibus maiores, stantes ut supra decantentur versus qui sequuntur:

« Gloriosa Dei mater, cuius natus exstat pater, ora pro nobis omnibus, qui memoriam agimus.

« Et postea chorus respondendo dicat: *O dulcis virgo Maria.* Sequitur deinde per eumdem versicularium ℣ *Dignare me;* et per chorum puriter. ℟ *Da mihi.* Et deinde per facientem officium subiiciiat oratio *Omnipotens*, modo et ordine quibus supra ».

Licet enim, lato sensu, b. virgo Maria *vita* dici possit, sicut a s. Ephrem dicta fuit *salus mundi, cunctarumque animarum;* nihilominus *vita* verax solus Christus est, ideoque qui primus hanc laudem composuit, procul dubio *vitae dulcedo* conscripsit, non *vita, dulcedo.*

Hoc quoque suadet dispositio membrorum, *regina misericordiae, vitae dulcedo, et spes nostra,* nec non suavissimum vocamen *dulcedo vitae,* quod sensum pium ac poeticum reddit, magis quam *vita, dulcedo.* Quamvis enim ex sese, hae voces, distincte et substantive sumptae, nobiliores et augustiores sint existimandae, nihilominus idea *dulcedinis vitae,* melius et perfectius convenit cum tota oratione. Dicendum est porro errorem fuisse amanuensis, qui tamen iam saeculo XII passim divulgatus fuit, et ipse s. Bernardus, huiusce pulcherrimae antiphonae propagator, admisit.

Sunt qui dicunt, sequentes *Chronicon Spirense,* eumdem s. Bernardum, in fine addidisse: *O clemens, o pia, o dulcis virgo Maria,* has voces ipse primus decantando in maximo templo Spirensi; sed id sustineri hactenus non potest, ut probat Wagner (ibid.); enimvero, habentur nonnulli sermones s. Anselmi Lucensis († 1086) super *Salve, Regina,* in qua verba illa leguntur (Cf. Grancolas ib.).

Gregorius IX anno 1239 praescripsit, ut post completorium feriae VI (nempe nos addimus), quando iam coeptae sunt I Vesperae festi b. Mariae in sabbato, decantaretur *Salve, Regina.*

Hoc, suo tempore, in dubium revocaverat Grancolas (loc. cit.). sed videtur id certo retinendum (Cfr. Mercati, *Rassegna Greg.* 1903, c. 436).

Cluniacenses *Salve, Regina* quotidie dicunt, Carmelitae ad cuiusvis horae et Missae finem, et praedicatores etiam quotidie cum processione post completorium, ut vidimus.

In praedicto codice Gallensi antiphonae *Alma Redemptoris,* et *Salve, Regina,* habentur in officio Annuntiationis b. Mariae. Item codex parisiensis saeculi XII (n. 12044, fol. 177) exhibet antiphonam *Alma,* pro hora Sexta Assumptionis, et *Ave, Regina coelorum,* pro hora Nona.

In antiphonario s. Petri a b. Thomasi edito, invenitur *Regina coeli* tamquam antiphona pro octava Paschatis.

Bäumer (I, p. 375) tenet usum huiusmodi antiphonarum coepisse saeculo XIII, in cappella regum Galliarum, nam Thomassinus (*Vet. et nov. Eccl.* discipl. I, l. 2, c. 87, n. 2) habet « Vo-

lebat rex s. Ludovicus, ut pueri... et propinqui semper ad completorium assisterent cum ipso; in cuius fine specialis antiphona b. Mariae alta voce cantabatur»; attamen, ut bene notat idem Bäumer (ib.), videtur quod huiusmodi cantus iam a longo tempore usuvenerat, forte diebus s. Bernardi, nam biographus s. Ludovici non dicit, hunc regem usum ipsum induxisse. Quis autem fuerit auctor aliarum b. Mariae antiphonarum, colligi nequit.

Quidquid sit de antiquitate, certum est saeculo XVI, quando desiit usus recitandi officium beatae Mariae parvum, eius loco, tamquam compendium eiusdem, dicta est una ex antiphonis de ipsa beata Virgine.

Porro pro diversitate temporis per annum variantur huiusmodi antiphonae, nam a I Vesperis sabbati ante I dominicam Adventus, usque ad Purificationem inclusive, dicitur *Alma Redemptoris mater*: a completorio ipsius festi Purificationis, usque ad feriam V in Coena Domini, nempe usque ad completorium inclusive praecedentis feriae IV, dicitur *Ave, Regina coelorum*: A completorio sabbati sancti, usque ad Nonam sabbati post Pentecosten, *Regiina coeli*: tandem a I vesperis SS. Trinitatis usque ad Adventum, *Salve, Regina,*

FINIS

INDEX

Cap. I..... De Liturgiae definitione et obiectu. . . . Pag. 1
» II..... De variis Liturgiis in Catholica Ecclesia . . . 9
» III..... De Libris liturgicis eorumque rubricis 14
» IV-V... De S. Rit. Congreg. eiusque decretis 22
» VI ..... De divini Officii origine, evolutione, deque eius obligatione 31
» VII..... De Breviario Romano 40
» VIII.... De recitatione Divini Officii. 45
» IX ..... De Partibus Div. Officii. De Psalmis 52
» X..... De Canticis 62
» XI ..... De Hymnis 64
» XII..... De Antiphonis. 82
» XIII-XIV. De Lectionibus 88
» XV..... De Responsoriis 109
» XVI.... De Respons. brevibus et Versiculis. 116
» XVII... De Absolutionibus et Benedictionibus. 126
» XVIII.. De Capitulis 131
» XIX.... De Oratione 135
» XX..... De *Te Deum* et *Quicumque* 151
» XXI.... De Martyrologio 156
» XXII... De Matutino et Laudibus 169
» XXIII.. De Prima. 186
» XXIV... De III, IV et IX. 191
» XXV ... De Vesperis. 195
» XXVI .. De Completorio 199
» XXVII.. De diversitate Rituum 203
» XXVIII. De Ritu Duplici 208
» XXIX .. De variis classibus Duplicis 211
» XXX ... De Ritu Semiduplici eiusque divisionibus . . . 217
» XXXI .. De Ritu Simplici eiusque divisionibus 220
» XXXII.. De Festis Primariis et Secundariis 224
» XXXIII De Festis localibus et I. de Dedicatione Eccl. . 232
» XXXIV. De Titulari Ecclesiae 241

Cap. XXXV.... De Patrono Loci . . . . . Pag. 249
» XXXVI... De Festo Ss. ratione Reliquiae 253
» XXXVII.. De Festis ex Consuetudine 266
» XXXVIII. De Dominica 272
» XXXIX... De Feriis 288
» XL..... De Vigiliis 292
» XLI..... De Octavis 300
» XLII ..... De diversa notione Festorum quae simul obvenire possunt 321
» XLIII. .. De Occurrentia et Translatione Festorum . . 332
» XLIV..... De Translatione Festorum Octavam habentium 336
» XLV ..... De Regulis sequend's in praelatione Festorum 343
» XLVI .... De nova lege quoad Dupl. I et II clas. transferenda, et Dupl. minora et Semid. commemoranda 356
» XLVII.... Tabella nova Occurrentiae 365
» XLVIII... De Sanctis Sociis separandis 368
» XLIX..... De Concurrentia Officiorum 377
» L..... Nova Tabella Concurrentiae. 392
» LI..... De Commemorationibus 395
» LII..... De Computo Ecclesiastico 395
» LIII..... De Calendario 427

Appendix:

I. De Symbolo Apostolorum, de Oratione Dominica et de Salutatione Angelica 437
II. De Precibus 444
III. De Commemorationibus Communibus. 448
IV. De Officio parvo B. Mariae, de Officio Defunctorum, de Psalmis Gradualibus et Poenitentialibus. . . . 452
V. De Antiphonis B. Mariae in fine Officii 454

49251